ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II

CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS IV: ASIA

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLX

ARABIA

1

Exc.mi P. D. IRTII A. MAGLIACANI

Episcopi tit. Diensis, Vicarii Ap. Arabiae

Aden, 21 ottobre 1959

Eminenza Reverendissima,

La sua pregiatissima del 18 giugno 1959, Prot. N. 1 C/59-1710, mi fu respinta nella Somalia Britannica. Di ritorno a Aden ho potuto mettermi in comunicazione con i miei consiglieri, e solo ora vengo a comunicare all'Eminenza Vostra Reverendissima che dall'esame fatto non sono emersi punti o questioni speciali da proporsi al Concilio.

Prostrato al bacio della Sacra Porpora, con sensi di deferente ossequio, mi professo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo

✠ Irzio Luigi Magliacani
Vicario Apostolico di Arabia

2

Exc.mi P. D. UBALDI T. STELLA

Episcopi tit. Antaeopolitani, Vicarii Ap. Kuvaitensis (Kuwait)

die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratus pro Eminentiae Vestrae litteris quas sub fine decursi mensis iulii accepi, respondeo linquens Exc.mis Praelatis et Theologis viris argumenta in proximo Oecumenico Concilio tractanda cernere.

Tantum mihi votum licebit exprimere, quod — si fieri potest —

de *Beatae Mariae Virginis* parte in *redemptione humana* tractetur et de *eiusdem mediatione* in gratiarum dispensatione.

Divino Spiritui, mediante Missarum Novendiale, subito ac nuntium datum fuit et singulis mensibus Missarum sacrificium offerens exitum commendo Concilii et Patrum decisiones.

Ad osculum Purpurae prostratus
add.mus

✠ Ubaldus Theophanus Stella
Episcopus tit. Antaeopolitanus
Vicarius Apostolicus Kuwaitensis

AUREA CHERSONESUS

1

EXC.MI P. D. DOMINICI VENDARGON

Episcopi Kuala Lumpurensis (Kuala Lumpur)

Die, 25 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Acceptis litteris vestris Prot. N. 1 C/59-701, consultores dioecesanos convocavi, et sequentia ad vos scribo:

1. *Animadversiones.* De Limbo. Doctrina de aeterna infantium sine baptismo decedentium condicione, definienda est.

Indulgentiae, in partiales et plenarias dividuntur. Aliquibus non placet frequens mentio dierum numeratorum in libris precum cum amplius non vigeat disciplina antiqua.

Scapularia multiplicis generis habentur. Possunt forte plura imponi unica benedictione numismatis.

2. *Consilia* « De Confirmatione administranda iis qui in periculo mortis constituti sunt » (S. C. de Prop. Fide Decretum 18 dec. 1947 *A.A.S.* 40-41). Parochi etiam in civitate episcopali, cum agitur de periculo mortis inconveniens esse inveniunt commonefacere Episcopum et angore conscientiae de validitate vel liceitate confirmationem, vel dant vel omittunt. Extendatur ergo sacerdotibus facultas confirmandi in mortis periculo urgenti etiam in civitate episcopali.

3. *Vota.* Simplificentur caerimoniae Missae Pontificalis, ritus consecrationis Ecclesiae, et consecrationis Altaris et etiam altarium portatilium.

Propositio evehendi laicos ad Diaconatum ut ob carentiam sacerdotum et catechistarum, ministerio opem ferant nobis placet.

Abusus matrimonii ob ideas materialisticas grassatur. Per meliorem instructionem praenuptialem debemus catholicos praemunire contra propagandistas limitationis filiorum artificialis. His notatis, me fateor

Eminentiae vestrae addictissimum

✠ DOMINICUS VENDARGON

Episcopus Kuala Lumpurensis

2

Exc.mi P. D. MICHAËLIS OLÇOMENDY

Archiepiscopi Malacensis-Singaporensis (Malacca-Singapore)

Singapore, 19 martii 1960

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Sequentia vota ad considerationem Concilii Generalis humiliter propono:

1. Maior usus linguae vernaculae nationis in liturgia.

a) Lectio in lingua vernacula Epistolae et Evangelii missae, etiam in missis cantatis;

b) Cantus in lingua vernacula partium missae: Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei.

Usus linguae vernaculae adiuvabit pietatem fidelium, praesertim rudium et neophytarum, necnon acatholicorum (infidelium vel haereticorum).

2. Facultas pro sacerdotibus et monialibus, saltem ad libitum, recitandi sanctum Officium in lingua vernacula. Hoc non solum adiuvaret attentionem et pietatem sed sacerdotibus magnam familiaritatem textus Sacrae Scripturae daret, in sua lingua propria, quod in ministerio sacrae paenitentiae, predicationis et instructionis religiosae puerorum et catechumenorum sine dubio valde utile erit.

3. Uniformitas regularum de abstinentia et ieiunio in universa Ecclesia. Diversitas regularum in diversis locis admirationi locum dare potest.

4. De obligatione habitum ecclesiasticum deferendi sollemniter sacerdotes commoneri necessarium esse videtur. Non pauci sacerdotes sine vera necessitate, sine habitu ecclesiastico fideles et acatholicos obveniunt et iter faciunt. In hoc aliquando periculum nimiae familiaritatis esse potest sed quoquomodo adest periculum reverentiam populi amittendi.

Nunc in his regionibus ministri acatholici non pauci vestem talarem et etiam cingulum ferunt.

Eminentiae tuae
addictissimus in Domino

✠ Michaël Olçomendy
Archiepiscopus Malacensis-Singaporensis

3

Exc.mi P. D. FRANCISCI CHAN
Episcopi Pinangensis (Penang)

31st august 1959

Your Eminence,

I thank you very much for your letter dated 18 june 1959, which arrived quite late.

I send you certain points which may be considered in the coming General Council.

With respectful good wishes,

I remain, Your Eminence
Yours devotedly
✠ Francis Chan
Bishop of Penang

Quaedam puncta Concilio Oecumenico consideranda hic proponuntur:

1. De Baptismo: Ritus in baptismo adultorum in sua forma praesenti longior videtur. Pro praxi, suggeritur ut, aut coeremoniae vel abbrevientur vel ritus prorsus eliminetur, aut suum locum ritus baptismi infantium teneat et semper adhibeatur.

2. Benedictiones publicae v. g. benedictio domus, automobilium etc. in lingua vernacula redigantur.

3. De Ss. Missae Sacrificio: Consulitur ut saltem Epistola et Evangelium (praesertim diebus dominicis et festis de praecepto) in lingua vernacula recitentur, celebrante stante facie versa ad populum.

4. Doctrina: Enixe rogatur ut doctrina de Maria Omnium Gratiarum Mediatrice definiatur.

Quaeritur de infantibus sine baptismo defunctis utrum a visione beatifica in aeternum excludantur an post ultimum iudicium in caelum inducantur? Quaenam est doctrina orthodoxa?

5. De studiis ecclesiasticis: Hucusque theologia dogmatica de rebus speculativis tractat. Sub condicionibus quae nunc ubique terrarum obtinent et propter errores et falsas doctrinas ubique grassantes, nonne magis ac magis instare oportet circa theologiam apologeticam et pastoralem?

6) *a*) Privilegium Paulinum: Clarificatio et simplificatio rogantur praesertim circa modum interpellationes faciendi.

b) Privilegium Fidei: Optandum concessiones Canonis 1125 clarius dari in ipso canone sine referentia ad ipsos textus antiquos Constitutionum Pauli III, S. Pii V etc.

c) Definitio impedimenti publici in canone 1037 forsan mutanda? aut saltem aliquid addendum de distinctione inter impedimentum occultum et casum occultum.

7. De lege ieiunii et abstinentiae et de operibus servilibus: Theologi morales non tam concordant in explicationibus circa opera servilia diebus de praecepto prohibita (can. 1248) et circa legem abstinentiae et ieiunii. Nonne optandae essent, in ipso iure, clariores notiones de his et praesertim circa opera servilia?

✠ FRANCISCUS CHAN
Episcopus Pinangensis

BIRMANIA

1

Exc.mi P. D. GEORGII MAUNG KYAW

Episcopi Basseinensis (Bassein)

Bassein, 18 augusti 1959

Eminentia Vestra Reverendissima,

Humillimas rependo gratias pro honore allato per litteras (Prot. N. 1 C/59-202) significantes voluntatem Augusti Pontificis circa argumenta, quae prodesse possint Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae.

Cum Romae omnibus sub sole negotiis apprime caleant, deesse fateor argumenta suggerenda, nisi forsan quod doctrina de Maria Mediatrice Omnium Gratiarum magis firmetur, Matutinum et Laudes Divini Officii magis abbrevientur, necnon Fratres Religiosi a Votis Perpetuis in Missionibus charactere muniantur Diaconi atque huius fungantur officiis.

His dictis mihi solum restat ut invocem iuvamen divinum pro tanto labore a Vestra Eminentia suscepto, qui procul dubio uberes in Ecclesia feret fructus.

Eminentiae Vestrae addictissimus

✠ Georgius Maung Kyaw
Episcopus Basseinensis

2

Exc.mi P. D. FERDINANDI GUERCILENA

Episcopi Kengtunghensis (Kengtung)

Kengtung, die 18 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Pergratis Vestris Litteris diei 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59, placet remittere paucas opiniones.

Imprimis Deo gratias ago qui inspirationem dedit Sanctitati Suae Oecumenicum Concilium convocandi, peropportunum quidem his temporibus.

Familiare est Summo Pontifici feliciter regnanti cogitationem de Libro et Calice proponere. Consequenter:

1. Apte in Concilio providendum esset ut omnes Clerici verbum S. Hieronymi ad Nepotianum magni faciant. « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doces: obtine eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere ». Sacrarum Scripturarum scientiae valde progressae sunt; magistri in scholis theologicis docent multa de recentioribus repertis: sed, pro dolor! tyrones quidam tempus insumunt in discendo de S. Biblia sed tempus non habent legendi ipsas Sacras Litteras. Non omnes novi Sacerdotes, reor, legerunt in Seminario omnes Sacros Libros.

Acatholici quidem docent nos magna in aestimatione habere S. Scripturas, quas assidue et devote perlegunt.

Gratum est audire S. Apostolicam Sedem opem praebuisse quibusdam Missionibus ut translationes utriusque Testamenti in novas linguas efficerentur.

Concilium directivas praebere potest ut catecheticam instructionem explicationem potiorem habeat e S. Scriptura: Ecclesiae Patres large usi sunt verbis S. Scripturae et eorum fideles familiarius quam praesentes fideles noverant Sacram Historiam.

Inter cultores S. Liturgiae nunc agitur de convenientia disponendi in Missali largiorem numerum pericopum S. Scripturae; cursus cyclicus trium annorum supplere potest cum iucunda varietate ampliorem notitiam utriusque Testamenti et, rebus opportune dispositis, possibilitatem profundius exponere catecheticam instructionem praebere potest. Quae omnia consideratione digna existimo.

2. Et de Calice, seu de Eucharistia Summus Pontifex adloqui gratum habet. Meliorem et vitam fingentem eucharisticam educationem in Seminariis promovendam esse duco; permultae sodalitates in seminariis foventur, (uti cingulum S. Thomae, Scapulare, varii tertii Ordines, congregationes marianae, etc.) utique bonae res, sed multa multis urgentur nec retinere ea ulli facile est. Eucharistia est quidem vita sacerdotis, sed sine debita formatione animi seminaristae, emolumentum tantum fiet. Seminaristae doceri videntur amare Eucharistiam et per Eucharistiam vitam expendere pro aliis et in Eucharistia unitatem sacerdotalium cordium invenire. Haec doctrina fructus uberiores efferet per totam vitam sanctificando ipsum seminaristam et sacerdotem et virtutem praebendo cum aliis et pro aliis adlaborandi. *Ut unum sint*: D. N. Iesu Christi precationem Eucharistia in clericis praeprimis perficere potest et debet.

In hac materia sacerdotum et seminaristarum studium utiliter dedu-

ceret canonizatio Beati Petri Iuliani Eymard tempore Concilii, utpote qui valde adlaboravit ut sacerdotes ad Eucharistiam maxime allicerentur.

3. De disciplina Clericorum.

Infausta horum temporum conditio multos impellit in exilium. Tempore belli multi sacerdotes e variis Missionibus, Dioecesibus, Congregationibus ablati e loco apostolici laboris collecti sunt in unum in captivitate: omnes fratres sed sine patre, oves sine pastore. Ecclesiasticus communis superior, vivens inter ipsos captivos, in his adiunctis peropportunum quamprimum nominari debere videtur. Bellum in praesentibus multos afficere solet et leges ad regulandam ecclesiasticam disciplinam inter clericos captivos valde optandae sunt ut clerici nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.

4. De re liturgica practicum votum liceat mihi efferre.

Pascha videtur fixanda esse sicut et Dies Nativitatis D. N. I. C. in uno certo die: exempli gratia in prima Dominica aprilis. Hoc opportunum esset ad meliorem uniformem dispositionem festorum in calendario et ad opus pastorale regularius explendum. Fateor hanc quaestionem difficultates efferre particulariter in relationem ad Ecclesiae Orientalis reunionem et ideo meum iudicium submitto prudentiae Eminentissimorum Concilii Patrum.

5. De re dogmatica Votum.

Beatae Mariae Virginis Mediatricis Omnium Gratiarum definitionem in Concilio Oecumenico ferri posse mihi et meis sacerdotibus cogitare iucundum est.

Epilogus Encyclicae Mystici Corporis Christi perlucide rationes commemorat quibus toto corde adhaeremus.

Per Virginem Matrem unitatem Ecclesiae in Concilio effici posse miserentissimus Deus praestare dignetur.

Eminentiae Vestrae
humillimus servus

✠ FERDINANDUS GUERCILENA
Episcopus Kengtunghensis

3

Exc.mi P. D. ALBERTI P. FALIÈRE
Archiepiscopi Mandalayensis (Mandalay)

Una cum eo responsum dedit

Exc.mus P. D. IOANNES I. U. WIN
Episcopus tit. Letaeus, Auxiliaris Mandalayensis

Die 13 septembris 1959

Reverendissima Eminentia,

Pauci tantummodo dies iam elapsi fuerunt ex quo, negotiis tractandis tractatis, ex Europa ad Birmaniam redivi; unde meas animadversiones et vota pro futuro Concilio Oecumenico Vestrae Eminentiae tempore fixo mittere impar fui. Hac de ratione me excusatum habere vestra Eminentia non dedignetur, quaeso.

En quaedam considerationes quae speciali modo Missiones spectant:

I. Ut non-catholici ad unitatem ecclesiae redire inducantur, omnes possibiles concessiones sine ulla exceptione ipsis omnibus faciendae sunt. Praesens utique divisio paganis est scandalum et catholicam religionem non amplectendi eis viam pandit. Ecce quod ipsi dicunt: « *Unionem primo inter vos facite et postea venietis et predicabitis* ».

II. Usque modo non fraternam caritatem sed potius hostilitatem erga separatos fratres ostendisse, nobis videtur. Nihilominus non pauci, pastores atque fideles, in bona fide esse videntur, et si ipsi non sint meliores nobis, saltem sunt tam boni quam nosmetipsi. Nostri ergo catholici erga eos se benevolos ostendere, suadendi sunt.

III. Ut diversarum Missionum opus coordinetur, delegatum Apostolicum aut aliquem Superiorem pro 10 vel 12 missionibus deputare bonum esse nobis videtur. De facto, unaquaeque missio, in quantum fieri potest, operam navat; attamen cum non magna adsit inter eas unitas, multis in casibus parvus tantummodo successus obtinetur.

IV. Ut ex operibus maior successus obtineatur, optandum est ut in Missionibus religiosi, sive viri sive mulieres, in operibus et aerariis disponendis a suo episcopo independentes non sint.

V. De Sacramentis.

1) *Baptismus.* Caeremoniae clariores reddendae sunt. Sicuti nunc

inveniuntur in Rituali sunt supra captum nostrorum catechumenorum. Illas caeremonias esse tamquam « *nemoris virginem* » quidam observabat.

2) *Missa*: Idem dicere possumus de quibusdam caeremoniis Missae. Exempli gratia, quare plures benedictiones erga species sacras faciendae sunt? Equidem ipsae sensum mysticum in se habent; nihilominus novi christiani eas intelligere nequeunt.

3) *Sacer ordo*: Sermo iam habitus est de creatione diaconorum laicorum, qui matrimonium inire queunt. Ipsi in Missionibus valde utiles essent in adiuvandis sacerdotibus et dirigendis catechistis, cum hodie parvus tantum Missionariorum numerus habeatur.

4) *Matrimonium*: Impedimenta et regulae matrimoniorum pro episcopis nec non pro sacerdotibus qui in missionibus laborant, plerumque sunt magnae anxietatis causae, et pariter sunt causae cur quidam per plures annos in peccato remanent, vel baptizari nequeunt non obstante eorum sincera voluntate. Unde optandum est ut regulae simplificentur. Exempli gratia, valde dubitandum est utrum matrimonia in paganismo contracta, sint valida, eo quod ipsi generatim matrimonii indissolubilitatem reiciunt; et matrimonium inter se contrahunt cum intentione, manifestata aut non manifestata, si cohabitatio reddatur impossibilis aut valde difficilis, denuo aliud matrimonium contrahendi. Tanquam generalis habetur regula inter plures paganorum tribus, ut vir ducat aliam uxorem si ex prima nullam prolem habere valeat.

VI. Breviarium: Pro bono sacerdotum, optandum est ut breviarium reformetur et abbrevietur. Pii sacerdotes alias preces recitabunt ad id compensandum; tepidi autem, eo quod brevius reddatur, id melius recitare inducerentur.

VII. Clerici: Sacerdotes generatim sunt pauperes; (Deo gratias)! nihilominus eorum quidam valde divites esse videntur et quaedam ecclesiae pariter amplae opulentiae specimen prae se ferunt... De pecunia multus sermo habetur ... Unde bonum esset aliquam invenire viam ad id extirpandum et ex eleemosynis tantummodo vivendum.

VIII. Simili modo inveniuntur quidam sacerdotes qui sunt honoris et dignitatis cupidi. Optandum est ut numerus canonicorum et Praelatorum reducatur et sacerdotes ut simplicem ac humilem vitam ducant, hortandi sunt.

IX. Adhuc quidam inveniuntur qui laborant delirio reinstaurandi aedificia et caeremonias quae existebant in primis Ecclesiae saeculis. Hoc esset valde bonum et optabile si populus eas magni faceret et eorum devotio magis augeretur, sin autem, sicuti sunt, relinquendae sunt. Non debemus facere quae nobis placent, sed quae ad maiorem Dei gloriam conferunt.

X. Melius esse nobis videtur adhibere nomina uniuscuiusque regionis in lingua vernacula ad designandas principales urbes Dioecesis et alia loca, cum nomina nunc adhibita intelligi nequeant.

✠ ALBERTUS P. FALIÈRE
Archiepiscopus Mandalayensis

✠ IOANNES J. U. WIN
Episcopus tit. Letaeus
Auxiliaris Mandalayensis

4

EXC.MI P. D. VICTORIS BAZIN
Archiepiscopi Rangunensis (Rangoon)

Le 25 août 1959

Eminence,

Conformément à votre Circulaire du 18 juin 1959, Prot. N. 1 /59-1095, j'ai l'honneur de vous faire parvenir sous ce pli nos humbles suggestions en vue du prochain Concile Oecuménique.

Avec l'assurance de mes prières pour Vous et pour le complet succès du Concile, je vous prie, Eminence, de croire à mes sentiments très respectueux et dévoués en N.-S.

✠ V. BAZIN
Archevêque de Rangoon Birmanie

Vota

1. In litteris encyclicis aliisque declarationibus, Pius Papa XI atque Pius XII legitima esse amorem patriae ac nationalismum bene ordinatum necnon culturas indigenas saepius docuerunt. Conditiones tamen hodiernae nationalismi nascentis, praesertim in Asia meridionali et in Africa centrali atque meridionali, tales sunt ut ipsum Concilium Oecumenicum hanc Ecclesiae doctrinam explicite iterare cum fructu possit.

2. In nationibus noviter independentibus Asiae meridionalis, pars maior fidelium ex gentibus numero minoribus ac culturae magis primitivae est conversa. Clerus atque duces laici pro tempore futuro proximo,

immo et sat remoto, ex his gentibus orientur. Paene integrum manet problema conversionis partis maioris totius nationis, quod problema propter opiniones praesumptas atque suspiciones mutuas inter partes minores et partem maiorem populi exacerbatur. Deficiente clero extero, quomodo possunt clerus indigena ac illi duces laici influxum exercere in partem dominantem in talibus nationibus?

3. Quoad educationem catholicam in iisdem nationibus, 80%-85% alumnorum in scholis catholicis mediis superioribusque sunt acatholici. In his adiunctis duo eveniunt, Ecclesiae beneficia, scil.: benevolentia a parte acatholicorum erga Ecclesiam Catholicam et possibilitas sustentandi ex reditibus paucos alumnos catholicos ex pauperibus electos. Quaeri autem potest si in talibus scholis vere habeatur educatio catholica. Nam, numero alumnorum valde in dies augmentato, manent moderatores religiosi religiosaeque perpauci. Porro magistri laici auxiliares, ob defectus ipsius systematis, bene in veritatibus fidei instructi desiderantur. Alumni catholici vix dici possunt accipere educationem catholicam, in qua omnis disciplina sub lumine revelationis supernaturalis praesentari debet. Neque alumni acatholici tali influxui cotidiano et pervadenti quo splendor fidei appareat subiciuntur.

Nonne Superiorum Generalium est opportune monere moderatores religiosos religiosasque in talibus scholis missionariis de obligatione, non obstantibus difficultatibus, bene instruendi alumnos catholicos in veritatibus fidei?

4. Propter media communicationis recentiora, homines in nationibus Occidentis christiani hodie multa audiunt de religionibus non-christianis. Apologetica catholica vero videtur adhuc protestantismo et saecularismo quasi exclusive adversari. Nonne conditiones hodiernae postulant ut propugnatores futuri fidei catholicae tum in seminariis tum in scholis pro laicis bene addiscant quae sit bona, quae defectuosa vel saltem incompleta in religionibus non-christianis? Ita potest demonstrari quod religio a Christo revelata sit inter omnes religiones mundi vere unica.

5. Inter religiones mundi saepius enumeratur Buddhismus. Iste Buddhismus autem qui floret in Asia meridionali (sic dictus « Hinayana » seu « Theravada » Buddhismus) uti religio turbae toto caelo differt a doctrinis peritorum. Ille species est superstitionis (animismi), hic systema atheisticum. Secundum tales peritos Buddha Gaudama negavit tum existentiam Dei tum animam humanam. Dantur utique auctores catholici (e. g. Otto Karrer, Romano Guardini, Iean Danielou S. I., Henri de Lubac S. I.) qui huic interpretationi contradicunt. Omnino adhuc desiderantur, ni fallor, studia comparativa in quibus parallelismus inter doctrinam Buddhismi philosophicam et libros quosdam Veteris Testamenti enu-

cleetur. Indagatio fructuosior forte prosequi possit in parallelismum inter doctrinam a Buddha Gaudama prolatam et quasi-agnosticismum Libri Ecclesiastis (Koheleth) de immortalitate animae humanae. In mundo hodierno tam contracto, Buddhismus redivivus influxum exercet tum in Oriente tum in Occidente. Apostolatus intellectualis catholicorum apologetarum talibus studiis non mediocriter adiuvabitur, si monstrari potest primitiva doctrina Buddhistica uti theistica sed incompleta.

6. Intelligat sacerdos omnis in missionibus, sive exterus sive indigena, quod auxilium non leve apostolatui proprio necnon toti Ecclesiae afferat, si pro modulo suo sese daret studiis religionum non-christianarum.

✠ VICTOR BAZIN
Archiepiscopus Rangunensis

5

EXC.MI P. D. ALAPHRIDI LANFRANCONI
Episcopi Tunguensis (Toungoo)

Toungoo, die 12 novembris 1949

1. Impense postulare volo definitionem dogmaticam *Maternitatis* Mariae *spiritualis,* iuxta votum a Hierarchia Mexicana propositum.

2. Ut Breviarium Romanum recognoscatur, saltem quoad partem historicam Lectionum II Nocturni, et ut nova versio Psalterii *praecipiatur.*

3. Ut itidem recognoscatur Missale Romanum, saltem quoad pericopes Evangeliorum dominicalium. Sive copiosior materia ex Evangeliis seligatur, distribuenda in quatuor annos, prout pluribus liturgiae cultoribus placet, sive (ut potius mihi arridet) una tantum series locorum pro unius anni dominicis, prout nunc extat, intacta maneat, opto ut aliqui loci sufficiantur aliis ex Evangelio locis facilioribus, vel pulchrioribus, vel demum aptioribus ad hoc ut parochi ex eis depromere valeant homilias magis consentaneas huic nostrae aetatis menti, v. g. de conversione mulieris peccatricis, de parabola filii prodigi, de parabola Divitis et Lazari, etc. Pericopes minus aptae mihi videntur illae quae assignantur dominicae 4 post Pascha, et dominicis 4, 5, 7, 8, 11, post Pentecosten.

4. Ut edatur *authentica* harmonia quatuor Evangeliorum, necnon *authentica* versio Sacrarum Scripturarum ex *originalibus* exemplaribus, quae scl. aequa auctoritate ac Vulgata in Ecclesia gaudeat. Talis futura versio adhibenda esset in futura recognitione Missalis Romani.

5. Ut Catechismus *authenticus* edatur, ad instar Catechismi Card. Gasparri concinnandus, scl. pro admittendis ad Primam Communionem, pro pueris, pro adultis. Concilium Tridentinum edidit authenticam *explanationem* Catechismi ad adultos. Nonne expedit authenticum *textum* Catechismi (pro scholis praesertim) edere? Si talis Catechismus edatur, puto ei inserendas esse tres *breves* Appendices, prout in Compendio Catechismi « Perardi » habentur, scl. de re missionaria, de re liturgica, et de Actione Catholica seu de apostolatu laicorum.

6. Valde utilis esset missionibus *authentica Expositio Christianae Religionis ad acatholicos,* sed concinnata praecipue in usum *non-christianorum,* nempe illorum qui, etsi non sint, vel nondum sint, catechumeni, tamen de nostra sancta religione inquirere volunt. Haec expositio, etsi sufficienter ampla esse deberet, tamen uno volumine absolvenda esset. Argumenta quidem apologetica adhibere deberet ad veritates fundamentales probandas, sed nullius particularis religionis errores refellere deberet. Complenda demum esset breviore libello, in quo eadem materia tractetur, sed simpliciori stilo, in usum lectorum incultiorum.

7. Ut, in futura recognitione *C.I.C.,* locus detur, quantum fieri potest, etiam iuri missionariorum.

8. Argumentis sedulo perpensis circa quaestionem utrum consultum sit annon diaconatum permanentem in missionibus constituere, in sententiam contrariam propendeo. Catechistae et religiosi laici melius mihi videntur providere necessitatibus missionariorum, praesertim religiosi laici nuper invecti in nostra missione, qui non vivunt in communitatibus, sed singuli vel ad summum bini addicuntur stationi missionali et vicos lustrant, sub sacerdotis ductu.

9. In futura editione Ritualis Romani sequentes partes expungendas esse arbitror:

a) Ordinem Baptismi adultorum;

b) absolutionem excommunicati iam mortui;

c) rubricam sub n. 4 in Titulo IV, C. III, in ritu absolutionis excommunicati extra sacramentalis confessionis tribunal, scl.: « sacerdos poenitentem, in humero, si vir sit, usque ad camisiam exclusive denudatum, virga aut funiculis sedens leviter percutit ». Utique scio, huiusmodi caeremonias numquam peragi: sed tunc, cum relinquuntur in libris liturgicis? (Idem dicatur de pluribus ritibus obsoletis in Pontificali Romano et in caeremoniali Episc.).

10. Ut, in eodem Rituali Romano, sequentes mutationes fiant in *Ordine Baptismi parvulorum* (et in *supplendis caeremoniis*), quando plures, sive infantes sive adulti, sunt baptizandi:

a) Ad n. 1: interrogationes fiant in plurali pro omnibus.

b) Ad n. 2: verba dicantur in plurali pro omnibus.

c) Ad n. 3: triplex insufflatio fiat semel super omnes, et verba semel dicantur in plurali.

d) Ad n. 5, rubrica ita immutetur: Deinde dexteram manum versus baptizandos extendit, eamque extensam tenens dicit etc.

e) Ad n. 14, rubrica ita immutetur: Postea, singulis baptizandis expressis nominibus appellatis, omnes simul interrogat dicens: « Abrenuntiatis Satanae? ». Respondent baptizandi, vel eorum patrini, simul: « Abrenuntiamus ».

Et sic deinceps.

f) Ad nn. 17-18: interrogationes et responsiones eodem modo fiant ac in n. 14 dictum est.

Sac. ZIELLO PASCHALIS
Vicarius Generalis

pro Exc.mo D.no ALAPHRIDO LANFRANCONI
Episcopo Tunguensi
(absente a dioecesi, in Italia)

6

REV.MI P. D. THOMAE A. NEWMAN
Praefecti Ap. Promensis (Prome)

Die, 11 augusti 1959

Eminentissime,

Epistolam a Pontificia Commissione Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico (Prot. N. 1 C/59-1980) die decima octava iunii 1959 missam, nonnisi die sexta mensis augusti accepi.

Omnibus serio perpensis, nihil speciale mihi occurrit ad considerationem huius Commissionis proponendum, nisi sit *clarificatio status fidelium quoad Sacramentorum receptionem ubi ecclesia sic dicta Catholica Nationalis a Gubernio instituatur.*

Benedictionem Eminentiae Tuae necnon preces in favore nostrae Praefecturae humiliter petens, omni qua par est reverentia maneo

Addictissimus servus in Christo
THOMAS A. NEWMAN
Praef. Apostol. Promensis

CAMBOGIA

1

EXC.MI P. D. GUSTAVI A. F. RABALLAND

Episcopi tit. Egugensis, Vicarii Ap. de Phnom-Penh

Die 7 octobris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Pater,

Pretiosissimis tuis epistolis quae, sub numero 1 C/59-1842 a die 18 iunii emissae iam mihi venerunt, pro tardiori, valetudinis praecipue causa, hac responsione veniam indulgere humiliter deprecor.

Imprimis, propter saluberrimum Summi Pontificis Ioannis XXIII gloriose regnantis ad concilium oecumenicum mox convocandum decretum, libenter Tuae Eminentiae Reverendissimae ingens meum gaudium patefacio. Communi bono quod constanter mirificis modis alia concilia Ecclesiae universali procuraverunt, in hoc actuali fructum valde bonum exoriundum ex praesentia vera Ecclesiae Missionariae, prima vice adstantis, cum speciali laetitia adnumero.

Quae cum ita sint, quamvis difficillimae apostolatus curae et inclementia coeli huius regionis parum temporis ad studiorum exercitationes et ampliorem informationem acquirendam mihi relinquant, quia iterum atque iterum me pronum ad negotia parva tenent ut non liceat dissertissima longioraque vota exprimere, unum tamen adest quod mihi praecipue curae manifestandum est. Quod votum, etiamsi non perdiu in mente habuissem, mihi Summi Pontificis unionis corroborandae Ecclesiae desiderium suasisset.

Agitur de maiori unione Ecclesiae « Missionariae » (ut ita dicunt) et « veteris Ecclesiae », quam subiectissime ita expono.

Ex una parte, usque adhuc, propter itinerum longinquitatem viarumque difficultates, necessitas postulabat ut clerus specifice « missionarius » existeret, qui a patria sua, a clero suo, et ab ecclesia ex qua ortum habuerat, valde alienus fiebat. Quapropter militiae missionariorum numerus nimis hodie extenuatus est. Ab eo enim qui ad missionum longinquas plagas proficisci volebat, proclivi erant quasi omnes christiani fideles exigere vocationem ita specialissimam ut non multi subiecti possent se ad talem statum provectos esse exstimare ... Illi autem electi plus admirationem quam approbationem in populo christiano movebant ...

Idcirco tantum damnum nimia paucitas missionariorum operariorum attulit ut gigneret incomprehensionem mutuam inter duos campos scilicet inter Ecclesiam sic dictam missionariam et Ecclesiam veterem. Insuper « magni scriptores », qui de apostolatu in missionibus confecto multa scripserunt, plerique, nonnisi « missionarii in cella » fuerant. Porro authentici missionarii, christianorum cura onerati necnon frequenter ardoribus solis oppressi non magnam scribendi facultatem habent, nedum de ratiocinatione artis pastoralis in missionibus exercitatae. At illi praedicti « missionarii in cella » neque rerum claram intelligentiam neque congruentem super facta et circumstantias perspicacitatem ad plenam veritatem habere potuerunt.

Ex altera parte, missionarii cum nunquam aut rarissime in patriam germanam revertuntur, iam res bene gestas aut recte dictas « in veteri ecclesia » non amplius attingunt: scientia enim ex libro nec cognitionis de visu nec praesentiae locum tenet. Quapropter, velit nolit, efficitur ut « continuatio » inter metropolitanam et missionariam ecclesiam scindatur et sicut quaedam fossa amplior de die in dies cavatur quae damnum praesertim Missionibus affert.

Itaque, nonne optandum est ut missionariae Societates iam non exclusive aut saltem minus exclusive missionariae sint, ut in patria onus alicuius dioecesani apostolatus suscipiant (haud tantum docendi). Hinc fieret ut qui in patria laborarent rationabile commercium haberent cum iis qui Missionibus operam darent: illi autem qui iam in patria laboravissent novam mentem, novos conceptus novasque forsan apostolatus methodos in missiones afferrent; qui autem iam in Missionibus laboravissent et in patriam reverterent suam mentem corrigerent aliorumque mentem de missionariis quaestionibus emendarent.

Nonne etiam optabile esset, sicut pro Africa iam Sua Sanctitas Pius XII postulavit, ut ita veterum christianarum regionum dioecesani sacerdotes se per plures annos ad laborandum in Missionibus obligare possent. Itinerum enim difficultas non amplius est magnum impedimentum; linguas vero discere, si satis iuvenes sunt subiecti, nec inexpugnabilis difficultas habetur, cum plerisque vix uno anno opus sit ut fructuosum apostolatum incipiant.

Quibus datis, missionariae Societates rerum idearumque evolutionem ita sine intermissione melius cognoscerent, et veterum christianitatum clerus ita melius Missiones intelligeret ut missionaria problemata cum latiori comprehensione pertinentius excuterentur et uberiores fructus obtinerentur.

Et maxime copia operariorum ad dissitas plagas proficiscentium mirifice multiplicaretur. Denique unio tam coniunctissima in Ecclesia fieret

ut fossa inter veterem Ecclesiam et novam, id est missionariam, celerius compleretur; Delegatorum Apostolicorum etiam praesentia valde quidem efficax est ad unionem cum Sancta Sede servandam, sed non sufficit ut unitas apostolatus efficiatur.

Certe ea suggestio maturiori explanatione indiget; tamen, ut mihi videtur, adiutorium praestare posset in illa strictiori Ecclesiae unione quam Summus Pontifex feliciter regnans vehementer exoptat et adstringit.

Quidquid hic scripsi et acceptum habere, Eminentissime ac Reverendissime Pater, digneris, et Supremi Pastoris altissimo iudicio humillime et integre submittere.

✠ GUSTAVUS A. F. RABALLAND
Episcopus tit. Egugensis, Vicarius Ap. de Phnom-Penh

CEYLON

1

EXC.MI P. D. THOMAE B. COORAY

Archiepiscopi Columbensis in Ceylon

(Colombo in Ceylon)

22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ad osculum Sacrae Purpurae reverentissime accedens, epistolam diei 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-386) cum gratiarum actione receptam profiteor.

Quantum mihi quotidiana Ecclesiae commissae instantia permisit, qua par est diligentia et celeritate responsiones ad quaesita sermone latino, exarare conatus sum.

Occasione vero nactus regressus Romam Re.vmae Matris Rose-Virginie e Congregatione Boni Pastoris (Andegaven.) has responsiones quamvis incompletas sine mora tuto per eius manus Eminentiae Vestrae submitto, paratus si liceat alias serius subiungere.

Ad tranquillitatem mentis velim petere ut dignetur Eminentia Vestra Reverendissima certiorem me reddere ipsas receptas esse iuxta elenchum adnexum.

Denuo Sacram Purpuram exosculatus, qua par est reverentia maneam.

Eminentiae Vestrae Rev.mae obsequentissimus in Domino

✠ THOMAS B. COORAY O. M. C.
Archiepiscopus Columbensis
in Ceylon

I. DE CULTO DIVINO

Usus sermonis vulgaris

Sententia

Etsi usus complementarius linguae vulgaris (ut praxis nuper ab Apostolica Sede concessa pro aliquibus locis viget) medium praebere potest illa lingua utentibus sese melius sociandi cum ministro celebrante ac sic cum ipso Summo Sacerdote ac Victima Christo Iesu, timendum

tamen ne talis praxis invectio causam ministret invidiarum, dissensionum ac discordiarum, militetque contra tam optandam unitatem in cultu divino, sicut certo evenit ubi (sicut apud nos) plures in eadem regione, immo in eadem paroecia, linguae inter se de primatu certant.

Hoc vero adhuc magis timendum est ubi (iterum sicut hic) usus linguarum respondet variis conditionibus ordinis socialis, vitae occupationibus, divitiis vel paupertati.

Talibus in circumstantiis usus sermonis vulgaris introducet statum intolerabilem: in locis vero missionum oriretur confusio maxima ac disintegratio operis.

Quapropter, stantibus privilegiis iam ab Apostolica Sede concessis praesertim relate ad usum Ritualis Romani, in sacrosanctae Missae celebratione sufficere videtur ut missalia manualia pro fidelium usu versiones vulgares cum commentariis et explicationibus offerant simul cum textu latino, servata autem lingua latina pro actione liturgica.

Quod vero ad cantum Divini Officii (vesperarum vel completorii) attinet sufficere videtur ut facultas fiat laicis, participantibus, vulgari sermone utendi; forsitan melius esset episcopis potestatem facere talem facultatem concedendi iuxta exigentias.

II. De Clericis

1. *De Alumnis Seminariorum*

Votum

Quo sacerdotes e Seminariis egressi plenius respondeant votis Ecclesiae ut « totius in eis eluceat forma iustitiae », « censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent » (*Pontif. Roman. de Ord. Pres.*), optandum videtur ut specialis *annus asceticus* provideatur sive in ipso in Seminarium ingressu sive (quod videtur esse melius) post completum cursum philosophicum, servandus.

In cuius decursu, alumni, studiis sepositis, intensiori vitae spiritualis efformationi subiciantur ad mentem et ad tramitem concionis S. P. Pii XII pro die 19 octobris 1958 exaratae quae iure merito tamquam testamentum suum ad seminaristas habetur.

Rationes

1. Decursu studiorum, alumni tot tantisque disciplinis addiscendis nimis intenti, minus aequo operi propriae sanctificationis incumbunt.
2. Quod annus novitiatus religiosis, hic annus asceticus levitis con-

ferat, puta cum character ac officium sacerdotis gradum aliquem iam acquisitae perfectionis exigant, religiosis vero sufficiat voluntas firma ad perfectionem tendendi.

3. Nostris hisce temporibus speciatim formatio diuturnior ac solidior requiritur tum quia sacerdotes maioribus periculis sunt obnoxii, tum quia iuvenes ingressum in seminarium petentes malo mundi spiritu (ipsis etiam insciis) magis inficiuntur.

2. *Neo-sacerdotes*

Votum

Ut ad mentem Constitutionis Apostolicae « Ad uberrima vitae pascua » diei 3 iunii 1958 qua S. P. Pius XII istitutum pastoralem una cum centro orientationis et coordinationis pastoralis in urbe constituit, *annus pastoralis exercitationis ac institutionis ad omnes neo-sacerdotes* universaliter ac ubique (etiam cleri saecularis) statuto ac decreto extendatur, sicut iam factum est pro Religiosis.

Rationes

Rationes vero luculenter expositae sunt ab eodem Summo Pontifice tum in memorata Constitutione « Ad uberrima vitae pascua », tum in sequentibus documentis Pontificiis in ipsa Constitutione citatis, seu:

Motu Proprio *Quandoquidem,* 2 apr. 1949;
Adhortatio *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950;
Constitutio Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956;
Allocutio diei 14 iunii 1957.
Cf. *Acta A. Sedis* 1958 pp. 460-464.

Accedunt rationes sequentes:

a) uniformitas praxis ac legis pro omnibus neo-sacerdotibus desideratur;

b) neo-sacerdotes cleri saecularis aeque ac religiosi, immo plus his, pastorali institutione indigent utpote citius ac largius curam animarum in paroeciis assumpturi.

3. *Provisio pro Sacerdotibus emendationis egentibus*

Votum

Etsi sufficienter in Lege provisum est pro sacerdotibus emendatione indigentibus, de facto tamen domus poenitentiae seu emendationis de quibus in can. 2301 plerumque desunt eo quod talis domus erectio ac

sustentantio, paucis tantum occurentibus casibus delinquentiae, singularum dioecesium vel Religiosarum Provinciarum ambitum ac media actionis excedit.

Optandum propterea videtur ut, sicut factum est pro seminariis « Regionalibus » studiorum causa *per interventum Sanctae Sedis* sive per dicasteria sive per Legatos in Nationibus, erectio domorum poenitentiae « Regionalium » curetur pro certa dioecesium consociatione, emendationis causa.

Notanda

1. Ad bonam famam servandam tum Sacerdotii in genere tum sacerdotis cuius emendationi consulitur, necesse est ut domus poenitentiae-emendationis remotius erigatur, ac certo extra dioecesim originis, praesertim in angustis, sicut nostris, locis.

2. Porro Familia quaedam Religiosa tum Constitutionibus tum experientia ad hoc opus idonea curam suscipere debet domus poenitentiae; tales vero Ordines vel Congregationes mandato Sanctae Sedis quidem parere parati, haud facile invitamentum Episcoporum acceptant.

4. *De Bonis Temporalibus Ecclesiae, de emolumentis parochorum et de sustentatione Cleri*

Votum

Ad speciem ac rem evangelicae paupertatis in Ecclesia Universali tuendam, ut ita ansa auferatur ab inimicis famam Ecclesiae calumniantibus vel in bona eius (ut credunt fabulosa) inhiantibus;

ad spiritum evangelicae paupertatis apud ministros ipsos fovendum ut ita pari passu, mundanitate omni expulsa, in zelo animarum sedulitate ministerii ac sincera caritate ipsi proficiant;

ad inaequalitatem conditionis quae inter parochos viget ratione variae conditionis paroeciae cui praefecti sunt auferendam ut ita tollatur indecora emulatio pro paroeciis « pinguibus » obtinendis vel damnosa obstinatio pro iisdem retinendis; at simul ad omnibus Ecclesiae ministris (debita ratione habita de personarum aetate, infirmitate, dignitate vel de muneris onerositate) sufficiens pro digna sustentatione subsidium providendum, *optandum est* ut,

revocatis ad hoc vigentibus consuetudinibus, immo, quatenus res exigere possit, emendatis codicis canonibus,

Aerarium commune constituatur in unaquaque dioecesi:

1. Ex reditibus ecclesiarum (fundis, domibus, etc.);

2. Ex omnibus emolumentis ab unoquoque sacerdote in ministerii operibus perceptis, nempe: ex taxis (stellatura, seu « iura stolae ») quae occasione administrationis sacramentorum vel sacramentalium percipiunt (ad normam can. 1507);

3. Immo, *emendato ad hunc finem canone 1506,* ex eleemosynis Missarum manualium quae hucusque tamquam stipendia personalia habebantur.

Ex hoc vero aerario unicuique sacerdoti secundum Statuta Dioecesana (vel synodalia) per Procuratorem Generalem tribuetur dignum honorarium sive paroecia cui praeest sit pinguis sive pauper.

Notanda

1. Ita finem accipiet indecora concurrentia inter cleros pro paroeciis pinguibus vacantibus.

2. Simul tolleretur (saltem ex parte) occasio pro pertinacia parochorum inamovibilium praeter (immo contra) bonum animarum.

3. Porro, ipsa institutio parochorum inamovibilium aboleri posset, (*res vero maxime optanda pro bono animarum*), emendato in hunc finem canone 454.

4. Ex aerario communi et generali orietur facultas incoepta quaedam pro communi Dioecesis bono, sub Episcopi directione, aggrediendi.

III. De Religiosis

Bona temporalia Religiosorum

Votum

Ad tollendam indecoram, invidiosam ac haud periculi spiritualis expertam inaequalitatem inter varias eiusdem instituti Religiosi Provincias vel etiam inter domus singulas eiusdem Provinciae, optandum est ut pro unaquaque familia religiosa commune aerarium constituatur ex omnibus redditibus, proventibus, stipendiis, honorariis etc. a singulis Provinciis domibus et alumnis perceptis.

Ex hoc vero aerario generali per Oeconomum Generalem sub directione Moderatoris Generalis ac secundum Statuta Capitularia unicuique Provinciae subsidium providebitur: de aerario vero Provinciali unicuique domui.

Notanda

1. Ex tali coordinatione melius providere licebit pro operibus ac praesertim pro tironum formatione in unaquaque provincia.

2. Sic evitabitur casus haud rarus ubi domus vel provincia aliqua abundat dum alia egena est usque ad destitutionem cui ipse Superior Ecclesiasticus (Episcopus) subvenire debet.

3. Si ex aerario generali provideatur pro omnibus tironibus (novitiis, scholasticis vel iunioribus) in unaquaque provincia, Missiones exterae minus gravabuntur. Nam subsidium quod Episcopi missionarii nunc debent solvere Institutis Religiosis in suo territorio laborantibus petitur precise ac praesertim pro domibus formationis tironum.

IV. De Regimine Missionum ad Paganos

De Missionariis et de Clero saeculari

Votum

Optandum est ut in formam canonum concise redacta in Codice Iuris Communis inserantur ea quae in Encyclicis Litteris *Maximum Illud, Rerum Ecclesiae, Evangelii Praecones, Fidei Donum,* necnon in Instructione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 8 dec. 1929 et aliis documentis Sanctae Sedis et « Statutis » particularibus tam sapientissime ac clare definita sunt circa finem et media operis missionalis Ecclesiae cumulanda, circa sensum, ambitum, praxim ac spiritum « concreditionis » territorii alicui Familiae Religiosae; circa iura vicissatim superiorum missionis ac superiorum religiosorum; circa vocationes indigenas pro utroque clero fovendas; circa « plantationem » Ecclesiae ac mandato expleto cessionem territorii ad nutum Sanctae Sedis sive clero saeculari sive alii Familiae Religiosae, etc.

Notanda

1. Quamdiu haec optima principia ac statuta dispertita in documentis variis manent facile ignorantur vel ipsis non advertitur, immo pro quibusdam valorem videntur habere mere « academicum ». Exinde dissidia ac luctae vel etiam lites inter Superiores Ecclesiasticos et Religiosos; suspiciones et emulationes inter Clerum Saecularem et Religiosum; maximo cum dispendio temporis ac virium, ad detrimentum Ecclesiae ac animarum.

2. Quod ad opus missionale attinet, toti ecclesiae interest. Immo,

valorem habet perpetuum; quia etsi status missionalis pro certo loco temporarius iudicetur, nunquam tamen deerunt regiones ubi adhuc vel denuo talis status vigeat.

Iure meritoque proinde « Ius missionale » in Codice (vel saltem in Appendice) locum obtinebit.

✠ THOMAS B. COORAY O. M. C.
Archiepiscopus Columbensis
in Ceylon

20 luglio 1960

Eminenza Reverendissima,

Rispettosamente ossequiando la Sacra Porpora, mi affretto a ringraziare Vostra Eminenza per il biglietto di nomina alla Pontificia Commissione Centrale Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II che mi è giunto in questi giorni per gentile cura dell'Ill.mo e Rev.mo Monsignor Felici.

Dinanzi a quest'alta intimazione della volontà del Santo Padre, non posso far altra cosa che esprimere la mia prontezza a servire i suoi santi disegni nella misura delle mie povere forze.

Se lo posso senza abuso, vorrei profittare di questa occasione per sottomettere a Vostra Eminenza un'idea che sarebbe stata mandata all'Antipreparatoria l'anno scorso, ma non era ancora abbastanza dettagliata nella mia mente.

Riguarda i sacerdoti e i diaconi: e vorrei, se la cosa è ancora possibile, che sia inclusa nelle discussioni della Commissione Preparatoria.

Pregando Vostra Eminenza di scusarmi e baciando la Sacra Porpora,

Mi firmo
Di Vostra Eminenza Reverendissima
rispettosamente devoto

✠ TOMMASO COORAY, O. M. I.
Arcivescovo di Colombo

1. PROBLEMA

Defectionem Sacerdotum problema in dies acutius constituere ipse Summus Pontifex luget his verbis:

« Nostis, quid dies Nostros crebro et acerrime constristat. Gemitus est qui e propinquo et a longinquo, a Romana scilicet Urbe et a variis terrarum locis ad Nos pervenit, gemitus scilicet sacerdotum quibus cor et caro simul terrestre iter percurrentia, etiam in parum evigilata per-

functione sacri muneris magnum detrimentum attulerunt atque coram Deo et Ecclesia et ante oculos fidelium dedecus itemque acutas et acerbissimas aegritudines pepererunt ». (S. P. Ioannes XXIII, Allocutio in II sess. Synodi Romanae, *A.A.S.* 1960, p. 226).

Pauci sunt Episcopi quibus causa deest consimilem conquestionem exhalandi. Nam quamvis in comparatione illorum qui vocatione qua vocati sunt digne ambulant sacerdotes apostatae vel titubantes revera sint numero paucissimi, attamen aegerrime a viginti sacerdotibus fidelibus damnum resarciri potest quod Ecclesiae et animabus intulerit unius sacerdotis infidelitas.

Notissimum axioma: ruina animarum, sacerdotes perversi.

Summopere ergo refert, urget, alto huic et inhonesto vulneri mederi, si opus sit, etiam cautere et scalpro.

2. Causae

Ibi autem remedia efficacius adhibentur ubi mali origo certius dignoscitur. Investigandae sunt proinde causae defectionis. Inter has, vero, duas sequentes modo speciali recensere licet:

a) incongruitas indolis et temperamenti ex parte candidatorum;
b) scopuli et pericula ministerii.

a) *Incongruitas indolis (characteris) et temperamenti*

Haud raro accidit iuvenes qui decurrente Seminarii cursu notas favorabiles obtinuerint, subinde in ministerio spem Superiorum graviter eludere. Huic causa videtur esse ipsis sub tutela Seminarii seclusis et secure communiter degentibus probationem defuisse vitae ut reapse vivitur.

Semel vero ut in ministerio proiecti obviam veniant « occasionibus », mox in eis apparent debilitas voluntatis ad ardua haud exercitatae, levitas vel erraticitas mentis ad sui directionem haud initiatae, vel propensitates temperamenti ambientibus circumstantiis facile cedere assueti.

Ex alia parte nemo prudenter suadebit iuvenes alumnos in ipsis formationis annis in medium saeculum proiiciendos esse ut, vitae pericula experti, ad sese et « ambitum » superandos exerceantur. Ipsis tunc deerit etiam scientia theologica sufficiens.

b) *Scopuli et scylla ministerii*

Maximum ministerii hodierni periculum omnes fatentur *turbinem* operum, gestionum, tentamentorum, quae partim quidem a circumstan-

tiis exiguntur, partim vero aequo avidius ab ipsis sacerdotibus quaeruntur. Pestis est, et plerumque haeresis, « activismi » qui agitationem pro actione concipit.

Quomodocumque sacerdos ab hoc turbine abripitur, consequens est ut, otio ac viribus pro sat protracta ac intima cum Deo oratione deficientibus, detrimentum spirituale patiatur. Fervor animi minuitur; visio spiritualis obscuratur. Paulatim pastor imprudens fit « cisterna dissipata quae continere non valet aquas » (cf. *Ierem.* I, 13); multo minus posset illam aliis propinare. Divinum auxilium effugiens, tentationibus praesertim carnalibus exortis ac obsidentibus facile succumbet.

3. Remedium

Malis remedia applicando, sequentia suggeruntur:

a) diuturnior et ad probandum efficacior fiat levitarum probatio;

b) sacerdotes, a curis materialibus magis emancipati, ampliori gaudeant tempore ac tranquillitate pro oratione ac ministerio revera pastorali (i. e. non operum, sed animarum).

Modus procedendi ab ipsis Actibus Apostolorum innuitur ubi legimus (VI. 1-5) exorta de quotidianis viduarum subsidiis contentione, Duodecim Apostolos convenientes duo statuisse:

aa) « non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis »;

bb) Proinde, « constituamus super hoc opus viros ... boni testimonii (Diaconos), *nos vero orationi et ministerio verbi instantes* erimus ».

Regula vere aurea pro pastoribus.

Haec statuta Apostolica hodierno haud dissimili problemati applicando, sequentia in concreto proponimus:

1. Loco sollemnis castitatis voti, Subdiaconatui adnectatur votum simplex.

2. Subdiaconi in fine tantum cursus theologici ad Diaconatum promoveantur.

3. Diaconi antequam ad Presbyteratum promoveantur obnoxii sint *probationi* extra Seminarium, in operibus (tum spiritualibus tum temporalibus) proprio Ordini consentaneis per plures annos peragendis.

Ad sex circiter annos haec Diaconalis Probatio protrahatur; experientia enim comprobatur intervallum brevius vix sufficere ut de perseverantia operarii evangelici, hodiernis in adiunctis voto castitatis obligati prudenter coniectetur.

Interea, Diaconi sub Parochorum directione omnibus Diaconatus

officiis (etiam extraordinariis) incumbant, nempe Praedicationi Verbi, catechizando, Baptismi collationi, Sacrae Communionis distributioni (etiam infirmis domi decumbentibus). Ipsis praeterea parochi committant directionem « Actionis Catholicae », piarumque fidelium associationum, gestionem operum misericordiae, immo oeconomatum vicarium totius paroeciae.

4. Sexto emenso probationis anno, qui idonei sunt inventi ad Presbyteratum promoveantur. Indigni, prout infra notetur, dimittantur. Iis vero de quorum idoneitate haud certo constat sed de quorum profectu superest spes fundata, Diaconalis Probatio ulterius protrahatur; nono autem exacto probationis anno, Diaconi adhuc voluntate vacillantes vel conversatione titubantes a simplici castitatis voto soluti ad statum laicalem remittantur, congruis Dioecesanis operibus pro honesta sustentatione deputandi si ita caritas cum prudentia suadeat.

5. Sollemne, « indispensabile » votum castitatis Presbyteratui tantum adnectatur.

4. Effectus et fructus

1. Delectio candidatorum fiet tutior ac felicior.

2. Parcitas ministrorum haud acutius sentietur: per Diaconorum ministerium sacerdotes nunc gravati, multo onere levabuntur. Ex alia parte, Diaconi congruenter officiis fungentes, non se sentient frustra a Sacerdotio arcitos.

3. Per definitionem officiorum ac divisionem laboris inter sacerdotes et diaconos, opus ministerii uberiores reddet fructus.

4. Sacerdos intra propriae vocationis ambitum securius septus ac debito otio fruens, officio, cuius ipsi soli patet aditus, Mediatoris nempe inter Deum et homines assiduo fungetur. Ad quod consequendum, « sanctificetur adhuc »; et ita decus, dignitas et sanctitudo Sacerdotii, ad gloriam Dei et animarum profectum, in tuto ponentur.

Corollaria

1. Probatio Diaconalis exiget vitam communem in domibus paroecialibus. Re in se optima ac schola collaborationis pastoralis pro iis qui ordinandi sunt sacerdotes.

2. Provisio pro honesta Diaconorum sustentatione problema quidem ponit, at haud insuperabile.

Una solutio esset si « iura stolae », ac Missarum eleemosynae (quin per-

sonae approprientur) in aerarium commune confluere patiantur unde sacerdotibus et diaconis subsidia pro rata adiudicentur.

Ubi casus exigit, Sancta Sedes forsitan « cumulationem » stipendiorum permittet.

Recapitulatio

Ut sacerdotes Domini munere pastorali dignius securius ac efficacius obeant, *Diaconi omnes*:

In fine tantum cursus theologici tales ordinandi;

probationi antequam ad Presbyteratum promoveantur sint obnoxii;

extra seminarium in operibus (tum spiritualibus tum temporalibus) proprio ordini consentaneis per plures annos peragendis;

interea, reducto per prius in hunc finem sollemni voto subdiaconatui adnexo, obstricti maneant simplici tantum subdiaconorum castitatis voto;

sexto saltem emenso probationis anno qui idonei sunt inventi ad presbyteratum promoveantur; indigni, prout infra notetur, dimittantur.

Iis vero, de quorum idoneitate haud certo constat sed de quorum profectu superest spes fundata, « diaconalis probatio » ulterius protrahatur.

Nono autem exacto probationis anno diaconi adhuc voluntate vacillantes vel conversatione titubantes a simplici castitatis voto soluti ad statum laicalem remittantur congruis dioecesanis operibus, pro honesta sustentatione deputandi, si caritas cum prudentia ita suadet.

✠ Thomas B. Cooray O. M. I.
Archiepiscopus Columbensis
in Ceylon

2

Exc.mi P. D. NICOLAI LAUDADIO
Episcopi Gallensis (Galle)

Die 14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ut respondeam Eminentiae Vestrae Reverendissimae litteris 1 C/59-523 die 18 iunii 1959 mihi missis, pergratum mihi est Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sequentia communicare.

De hodierno catholicarum scholarum problemate in terris missionum

Independentia, quam Ceylon a gubernio anglico obtinuit, inter consequentias quas secum tulit, magnam vitalem vim in diversas religiones infudit. Buddhistica praesertim religio ingentes gradus fecit et adhuc facit. Haec nova acatholicarum religionum vita praecipue manifestatur in acatholicorum desiderio et anxietate fundandi scholasticam puerorum educationem super principia religiosa, nempe super doctrinam buddhisticam pro pueris buddhistis, super hinduismum pro hinduistis, etc.

Primi nostrarum missionum praecursores, hic et illic stationem aliquam habendi necessitatem sentientes, magnorum suorum sacrificiorum impendio ubique scholas aedificarunt, in locis etiam ubi nullus catholicus vivebat, ita ut nunc in istis terrae partibus catholicae scholae ob earum numerum, efficientiam et progressum conspicuae sint.

Nunc in Ceylon a lege gubernii compellimur admittere in nostras scholas sine ullo discrimine non tantum catholicos pueros sed etiam acatholicos cuiusvis religionis. Cum autem in nostris scholis catholicam tantum religionem nostros pueros docemus, acatholici, buddhistae praesertim, qui hodie sicut alii religionem considerant educationis fundamentum, vident et vehementer sentiunt proprios liberos neglectos esse, cum isti suam religionem discere nequeant, dum catholici pueri propriam instructionem religiosam quotidie recipiunt: hoc iniustum esse dicunt. Et cum isti acatholici, nostra organizatione ac nostro sacrificii spiritu carentes, plures novas scholas pro propriis liberis aedificare nequeant, huius problematis remedium invenire cupientes, sequentes solutiones proponunt:

a) Omnes scholae tamquam propriae a gubernio assumendae sunt et « statales », ut ita dicam, declarandae sunt. Etsi difficile percipiatur quomodo haec solutio religiosum fundamentum suorum puerorum educationi dare possit, attamen ipsi sentiunt quod hac solutione sui pueri saltem a periculosa puerorum catholicorum influentia liberarentur. Haec solutio a communistis praesertim advocatur et desideratur.

b) Instructio religiosa in omnibus scholis impertienda est omnibus omnino alumnis, et sic in nostris scholis non solum catholicis sed etiam acatholicis pueris religio docenda est.

c) Plures adhuc scholas pro alumnis uniuscuiusque religionis a gubernio aedificandae sunt: quo in casu directe vel indirecte pueri unius religionis aliarum religionum scholas frequentare prohiberentur.

Hic exposita cum ita sint, quaeritur:

Cum solutio *a*) omni opere reprobanda ac fortiter ei resistendum sit, si nullum aliud omnino remedium ad salvandas scholas nostras praesto sit, passive se habere et tantum permittere ut in nostris scholis magistri acatholici suae religionis pueros eorum religionem doceant, essetne contra aliquod nostrae doctrinae caput? Nonne hoc praeferri posset etiam solutioni *c*)? Ratione enim huius solutionis nostri catholici pueri ab omnibus aliis pueris omnino seiuncti remanere cogerentur. Et cum catholici comparati ad alios pueros omnino pauci sint, huiusmodi seiunctio, in humanis ipsorum ulterioris vitae negotiis magnum obstaculum constitueret in opere aliquo adipiscendo vel professione aliqua obtinenda, et temptationum fons esset. Addi potest quod ratione solutionis *c*), cum numerus puerorum catholicorum comparative exiguus sit, paucae tantum efficientes scholae retineri possent: quod induceret etiam multos catholicos parentes suos liberos mittere ad scholas acatholicas meliores quam nostrae, praesertim si nostrae scholae ab alumnorum catholicorum domibus aliquantulum distent.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae pastoralem anulum deosculor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
infimus in Christo servus
✠ NICOLAUS LAUDADIO
Episcopus Gallensis

3

EXC.MI P. D. HIERONYMI A. PILLAI
Episcopi Iaffnensis (Iaffna)

Iaffna, 26-4-1960

Your Eminence,

May I be permitted to enclose herewith a few points for consideration in connection with the Oecumenical Council.

I am so sorry that this document has been delayed.

Kissing Your Purple, and assuring you of my deep loyalty to the Holy Father,

Yours most Respectfully in J. M. I.
✠ HIERONYMUS A. PILLAI
Episcopus Iaffnensis

I. *De Missarum Eleemosynis et iuribus stolae*

Anteactis temporibus quasi-naturale quid visum fuit pro fidelibus certam summam pecuniae sacerdotibus solvere occasione S. Missae celebrationis vel Benedictionis SS. Sacramenti vel Vesperum vel etiam administrationis Sacramentorum, puta Baptismi etc. Hoc systema necessarium fuit tunc pro sustentatione sacerdotum et pro incremento operum Ecclesiae. Sed spiritus hodiernus non parum turbari videtur quod acta spiritualia cum materialibus emolumentis coniungantur. Proinde, opportunum videtur reformare hoc systema quod apparentiam habet simoniacam. Propositum enim meum est, quod eleemosynae Missarum et iura stolae aboleantur et aliae formae directae stipes colligendi e fidelibus instituantur iuxta necessitatem operum paroecialium. Ratio praecipua pro huiusmodi propositi est abusus qui vigere videtur in aliquibus locis quoad collectionem eleemosynarum Missarum et iurium stolae.

Non est enim difficile excogitare novum aliquod systema pro colligendis stipibus secundum necessitates operum spiritualium. Si hoc novum systema bene ordinatur, non est dubium quin per hoc systema ampliores stipes adventurae sint quam per eleemosynas Missarum et iura stolae. Utilitates spirituales inde provenientes erunt quam plurimae.

II. *De Episcopis*

Quoniam in aliquibus locis, speciatim in terris Missionum, Episcopi longum tempus — aliquando 25 vel etiam 30 annos — partes sibi creditas regunt, profectus Missionum et adaptatio ad novas necessitates plerumque deest. Ideo, puto, melius fore si Episcopi seniores amoveantur a sedibus suis post rationabile spatium temporis v. g. 20 annos. Hoc spatium temporis certe variare debet secundum uniuscuiusque Episcopi aetatem, valetudinem, et aptitudinem prospiciendi necessitatibus apostolatus hodierni. Loco seniorum Episcoporum Episcopi iuniores magis idonei constituantur.

III. *De Parochis*

Pro bono spirituali paroeciae necessarium videtur modificare systema per quod parochi nimis longum tempus manent in paroecia tamquam inamovibiles. In mundo hodierno mutationes sunt crebrae. Consuetudines et conditiones populorum sunt mutatae ab illis temporum antiquorum ut desiderabilius sit hodie quod parochi, etiam inamovibiles, crebrius mutentur v. g. post 5 vel 10 annos, absque processu iuridico.

Aliud quoque proponere volo, nempe, abolitionem systematis benefi-

ciorum, secundum quod aliquae paroeciae aliis pinguiores sunt. Emolumentum enim parochi respondere debet eius necessitatibus ideoque illud determinandum est iuxta eas.

IV. *De Religiosis in terris Missionum*

Experientia nos docet melius fore si Religiosi, saltem in terris Missionum, magis subdantur quoad opera apostolica imperio Ordinarii cuius est totum opus apostolicum ordinare in territorio. Ad hunc finem obtinendum propono sequentia media:

a) Ne Ordines et Congregationes Religiosae permittantur acquirere Instituta, quae necessitatibus fidelium territorii prospiciunt, tamquam res proprias. Pro colligendis vero stipibus necessariis pro operibus Religiosae Congregationis propriis v. g. postulatus, Novitiatus etc., Religiosae Congregationes possidere permittantur res immobiles quae reditus afferant.

b) Praxis concredendi paroecias Familiae Religiosae non est valde commendabilis. Hoc systema est saepe causa discordiarum et non parvi detrimenti pro Ecclesia saltem in terris Missionum.

V. *De Reformatione Congregationum Religiosarum*

Ex plurimis exemplis satis evidens est Congregationes Religiosas, quando crescunt et « potentes » efficiuntur tum numero, opibus et operibus, originalem spiritum fundationis faciliter perdere, et spiritum societatum syndicalium sensim sine sensu acquirere. Quaerunt enim magis incrementum Congregationis Religiosae quam Ecclesiae. Haec vera contradictio videtur; tamen, proh dolor, est factum quod negari non potest. Paucis ante diebus Episcopus quidam colloquendo mecum de certa quadam Familia Religiosa mentem suam his verbis patefecit: « Sodales Religiosae Familiae X quaerunt primo ea quae Familiae suae prosunt et deinde solum ea quae Ecclesiae — animarum saluti — prodesse possunt ».

In terris etiam Missionum Congregationes Religiosae dominium absolutum super res immobiles et instituta requirunt tamquam conditionem, sine qua non, operis apostolici. Res e contrario se habere deberet. Priores Missionarii res immobiles acquirebant et instituta fundabant pro Missionibus, ita ut quando illae missiones creverunt haec omnia, opera dioecesana devenere. Hodiernus autem modus agendi Congregationum Religiosarum toto coelo differt ab illo systemate. Volunt enim Congregationes Religiosae acquirere instituta et res immobiles sibi ipsis, ita ut quando

Dioecesis crescit, possint ea retinere tamquam propria. Exempla non desunt quando Episcopi coacti sunt instituta nova fundare quia instituta priora a Religiosis aedificata et retenta, noluerant cum consiliis episcoporum cooperare.

VI. *De Seminariis Maioribus*

Ratio Studiorum in Seminariis Maioribus non satis respondere videtur necessitatibus apostolatus hodierni. Huic defectui remedium satis idoneum fore, puto, si clericalium studiorum tempus protendatur per amplius unum annum, ita ut quaestiones pastorales, administrativae, sociales etc. diffuse tractentur. Quae quaestiones nunc obiter tantum tractantur. Valde utile etiam videtur mittere alumnos Seminarii tempore formationis v. g. post cursum philosophicum, saltem pro anno integro ad proprias Dioeceses, ut formationem quemdam pastoralem recipiant antequam sacerdotio augeantur. Quae formatio pastoralis fieri debet certe sub vigilantia et cura sacerdotum vere competentium.

Formatio clericalis quae datur hodie in aliquibus Seminariis Religiosis Familiis concreditis, nimis sequi videtur Constitutiones et Regulas earum Congregationum Religiosarum, ideoque non satis idonea videtur vitae quam hi clerici in futurum ducere debent dum se exercent in ministerio pastorali. Inde, necessarium videtur mutare praesens systema formationis aliquo modo.

Valde utile etiam videtur habere in Seminariis, Religiosis Familiis concreditis, sacerdotes aliquos saeculares vere pios et doctos tamquam moderatores spiritus supernumerarios vel professores. Eorum enim exemplum bonum, multum prodesse poterit optimae formationi clericali alumnorum Sanctuarii.

✠ HIERONYMUS AEMILIANUS PILLAI
Episcopus Iaffnensis

4

Exc.mi P. D. IGNATII GLENNIE

Episcopi Trincomaliensis (Trincomalee)

19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Quod attinet ad Eminentiae Vestrae de Concilio Oecumenico gratissimas litteras (1 C/59-1381), haec puncta, re enixe perpensa et oratione commendata, propono:

I. *De Formatione Cleri Dioecesani*

Tum Rector seminarii Pontificii Kandiensis, tum Ordinarius huius dioecesis animadvertunt cleri formationem intellectualem et culturalem maxime progressam esse, non vero formationem spiritualem. Inde, sacerdotes e seminario egrediuntur intellectualiter optime formati, et etiam gradibus ecclesiasticis et civilibus ornati. Formatio spiritualis, tamen, multum abest ut sit circumstantiis et periculis huius aetatis accommodata et sufficiens. Certe, seminaristarum dioecesanorum formatio spiritualis religiosorum formationi comparari nequit, sed tamen sacerdotes dioecesani, qui in primis aciebus propugnare debent, in maioribus periculis versantur, et, insuper, auxiliis et tutelis religiosorum carent. Unde, mihi videtur, aliquo remedio opus est.

Quod fortasse hac de re fieri possit noto: Domus interdioecesanae (vel dioecesanae) instituantur in quibus ante cursum seminaristicum inceptum canditati per unum annum vel sex menses, duce sacerdote prudente et rebus spiritualibus perito, vitae spiritualis fundamentum solide iaceant. Cursu seminaristico peracto, omnes neo-sacerdotes, ante quam ministerium incipiant, in domibus supra dictis recedant ibique vitam spiritualem per sex menses roborent.

Si magis placet, hae institutiones spirituales ter in cursu formationis haberi possunt, v. g. per sex vel tres menses ante philosophiam, per tres menses inter philosophiam et theologiam et per tres menses ante quam ministerium incipiant.

II. *De usu linguae Latinae*

Nunc temporis magis magisque audiuntur clamores pro linguis vernaculis in rebus liturgicis loco linguae latinae. Dolendum est, ut

mihi videtur. Lingua latina est vinculum unitatis. Deum precando distinctiones nationum evanescunt et omnes, in quacumque plaga mundi versentur, iisdem verbis idem Sacrificium offerunt. Potius, studium linguae latinae in scholis debet magis et magis intensificare et proficere.

III. *De Religionibus paganis*

Optanda est clarificatio auctoritativa relate ad religiones paganas. An omnino sint reiciendae et in contemptu haberi? An, potius, sint considerandae ut praeparationes evangelicae?

Commendo me Eminentiae Vestrae Sacrificiis, et qua par est reverentia, me profiteor

Eminentiae Vestrae servum in Christo

✠ Ignatius Glennie
Episcopus Trincomaliensis

5

Exc.mi P. D. BERNARDI REGNO

Episcopi tit. Bagaiensis, Administratoris Ap. Kandiensis

15th augusti 1959

Your Eminence,

I have the honour to enclose herewith our humble suggestions for the consideration of the future Ecumenical Council, at the same time craving your indulgence for sending them in *the English language*. We did so for lack of time and opportunity.

Humly kissing the Sacred Purple, with all respects and humble homages, I have the honour to be, your Eminence, your most devoted servant in Christ,

✠ Bernard Regno
Tit. Bishop of Bagai
Administrator Apostolic of the diocese of Kandy

1. Codification and Modernization of Liturgical Laws:
   a) state briefly what is of strict obligation;
   b) indicate what is desiderable, though not binding.
2. Provision should be made for a vernacular Ritual, especially for

the sacraments of Baptism and Marriage, and for funerals. The rite for Adult Baptism should be greatly shortened and simplified, so that it may more conveniently be used for adults (instead of the form for Infant Baptism); or let the rite for adults be kept as it is and provision be made for imposing the various ceremonies and exorcisms at different times during the catechumenate.

3. A shorter and simpler rite for Consecration of Churches.

4. Bishop's robes for pontifical ceremonies: some provision should be made to simplify them so that they might be more conveniently used in the tropics.

5. Marriage: The canonical form of marriage should be simplified, that is, the presence of a priest to solemnize the marriage should suffice for validity; proper delegation of the priest, and the two other witnesses should be required only for liceity. At present, it would seem that not a few marriages are doubtfully valid due to the doubtful delegation of the officiating priest.

6. Marriage: Some of the present impediments rarely occur. Would it not be better to shorten the present lengthy list of impediments, and to retain only those which are more practical and of ordinary occurence?

7. Marriage Procedure: Ways must be found to expedite procedure for deciding marriage cases, especially when cases have to be sent to Rome, either to the Rota, or to a Congregation for a decision or a dispensation. In every case sent to Rome from this diocese, the parties concerned were eventually lost to the Church, as they could not tolerate the lengthy delays, moved elsewhere, and contracted illicit unions.

It migh help to have Regional Courts of Third (and further) Instance for the different areas in the Church; and by delegating more ample powers to Delegates Apostolic, or even to the Metropolitans.

8. Penalties: The fifth book of the Code of Canon Law should be modernized and greatly simplified.

At present the long list of penalties is unknown to most of the faithful—even those otherwise quite well instructed—and it is not understood or remembered by the majority of priest.

Even for canonists at present it is quite difficult to determine in many concrete cases whether a person has actually incurred a penalty, or not!

In those cases where a penitent has clearly incurred a reserved penalty, the entire burden of obtaining proper faculties invariably falls on the already overburdened confessor (who has committed no crime); he must report the case, often receive the brunt of a Superior's detestation of said crime, remember properly to absolve penitent, etc.

9. Clergy: The obligation to preach and instruct the faithful should be imposed with even greater strictness; stricter penalties imposed for flagrant abuses. More adequate provision should be made to ensure that priest are employed only for priestly ministry—praeching, visiting the faithful, contacting the poor, etc.—using the service of educated laymen adn women for teaching, writing, etc. etc.

10. Ordinaries: It would seem that some almost entirely neglect to confer with their Consultors in running the diocese, much less obtain their consent. Would it not be useful to indicate briefly the more important instances where the Consultors consent, and advice, must be sougth.

11. Relations between Ordinaries (i. e. local Ordinaries) and religious major Superiors, should be further clarified, indicating more precisely the powers and limitations of each, particularly for appointment of subjects to a religious house, and the control of finances, funds, salaries, pensions. This is very important for peace and harmony in the missions.

✠ BERNARD REGNO
Tit. Bishop of Bagai
Administrator Apostolic of the diocese of Kandy

COREA

1

EXC.MI P. D. EGANI RIGHI LAMBERTINI

Delegati Ap. in Corea

Seoul, 31 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Ebbi l'onore di ricevere il venerato Officio N. 1 C/59-1701, del 13 luglio u. s., con cui l'Eminenza Vostra Reverendissima si degnava di chiedermi opinioni, desideri e voti in vista ed in preparazione del futuro Concilio Ecumenico.

Sotto l'argomento generale « De Obligationibus in Societate Civili », che i testi di teologia morale trattano nel quarto Comandamento, desidererei che i Padri del Concilio, specialmente sulla scorta degli insegnamenti del Papa Leone XIII, trattino dei doveri dei cittadini, tanto come sudditi (gravità del dovere di votare per es.) quanto se investiti di cariche nello Stato. Penso sommessamente che, oltre alla riaffermazione dei principi, si dovrebbero prendere in considerazione le deduzioni pratiche, vicine quanto è possibile alle odierne congiunture, in modo da dare al cittadino un insegnamento ed una guida ai quali uniformarsi e sui quali essere giudicato.

Sembrami che un posto particolare debba essere dato all'esame della disciplina del clero « in societate civili » e « ad politicas contentiones quod spectat ». Sembrerebbe opportuno esaminare se convenga dare una maggiore estensione al can. 141, § 1, del *C.I.C.*, dove è detto: « neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant » (v. Vermeersch-Creusen: *Epitome Iuris Canonici* ediz. 1949, pag. 237). Desidererei che i Padri del Concilio vedano se e come convenga cambiare il « Clericis tamen suadendum est » degli autori Vermeersch-Creusen in stretta obbligazione.

Altro punto può essere quello dei doveri del clero e dei fedeli negli odierni stati persecutori (comunisti) in cui nuovi sistemi sono adottati per indurre all'apostasia.

Particolari doveri incombono sul clero e sui fedeli nei paesi minacciati dall'eversione comunista.

Così pure nei paesi minacciati dall'invasione comunista sembrano necessarie particolari direttive. Qui in Corea, dopo la dolorosa esperienza dell'invasione comunista e dopo l'armistizio, non sono man-

cati dubbi ed ansietà per il timore di una seconda invasione. Alcuni dubbi sono stati proposti al competente Dicastero. Alla Conferenza di Manila del dicembre scorso furono dai Vescovi poste diverse questioni in proposito e S. E. Mons. Riberi fece noto il frutto delle sue esperienze coi comunisti cinesi.

Esprimerei altresì sommessamente il voto che nel futuro Concilio Ecumenico si esamini la convenienza di tenere nei Seminari, durante le teologia, lezioni speciali sugli avvenimenti sociali e politici in corso, nazionali ed internazionali, per abituare il clero a giudicare tali avvenimenti alla luce della dottrina cattolica, in rapporto alla salvezza delle anime, senza cadere nella faziosità di parte e senza ledere la carità. Ai miei tempi, in seminario, si preferiva la via negativa, tenendo per quanto possibile i seminaristi all'oscuro sugli avvenimenti esteriori. Il che non impediva che ognuno si facesse delle idee e simpatie proprie, senza il maturo criterio che può essere fornito da un insegnante competente e prudente.

Voglia l'Eminenza Vostra accettare la pochezza di questi cenni e spunti, che il Suo pressante invito mi ha indotto a fare, almeno come segno di buona volontà.

Chino al bacio della Sacra Porpora, mi valgo volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di profonda venerazione.

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo e devotissimo servitore

EGANO RIGHI LAMBERTINI
Delegato Apostolico in Corea

2

EXCMI P. D. IACOBI V. PARDY

Episcopi tit. Irenopolitani in Isauria, Vicarii Ap. Cheongiuensis
(Cheong-ju)

Die, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum magno gaudio epistolam Eminentiae Tuae accepi in qua nuntiavisti Summum Pontificem, Ioannem XXIII, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico. Cum officium Tuae Eminentiae datum sit momenti magni, velim prospere agas et in precibus meis tui reminiscor. Dominus Deus Omnipotens Tuae Eminentiae lucem desuper valetudinemque in arduis conferre dignetur.

In diebus nostris, dum homines de pace multum loquuntur, non est Pax. Vicarium Christi ut Ducem in persona Summi Pontificis Nostri habere est nobis consolatio magna. Patres Concilii Oecumenici indubitanter declaraturi rursum de natura, dignitate, fineque hominis, dabunt spem novam Catholicis miseris qui nunc in difficillimis rerum adiunctis versantur. Concilium Oecumenicum porro opportunitatem denuo dabit omnibus hominibus bonae voluntatis, etiam haeresi laborantibus, redeundi ad domum Patris.

Cum Eminentia Tua rogaverit ut aequo animo indicarem animadversiones meas, humiliter remitto sequentia:

Restaurationem consuetudinis antiquae conferendi Ordines Minores ad laicos etiam maritos commendo, praesertim in partibus infidelibus. Multi ex catechistis nostris fidelibus qui per multos annos ardenter prudenterque pro gloria Dei iam laboraverunt digni sunt hoc honore, publice in nomine Ecclesiae conferendo.

De facto, catechistae in missionibus persaepe habent curam Ecclesiae atque custodiam bonorum ecclesiasticorum. Iam adiuvant sacerdotes in praedicando Verbum Dei absente sacerdote et in perficiendo caeremonias quasdam Ecclesiae.

Si permittitur catechistis Ordines Minores conferre, illi apud fideles honore condigno fruuntur. Deinde tempore belli, sacerdotibus incarceratis vel expulsis, catechistae possent melius ducere fideles atque conservare bona ecclesiastica.

Interim omnia bona et fausta exoptans, remaneo

Addictissimus in Domino

✠ IACOBUS V. PARDY

Episcopus tit. Irenopolitanus in Isauria

Vicarius Ap. Cheongiuensis

3

EXC.MI P. D. BARTHOLOMAEI KIM

Episcopi tit. Agbiensis, Vicarii Ap. Chongiuensis (Chonju)

Die, 29 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Circa finem iunii accepi vestram epistolam diei 18 iunii N. 1 C/59-1749 sed ex morbo non potui respondere prompte nunc tantum tarde responsum dare possum, placeat me excusatum habere.

Quoad responsum videntur esse multa respondenda sed reapse non sunt:

1. De disciplina Cleri: in seminario in quo fundatur disciplina Cleri bene edoceatur per magistros sanctiores.

2. Breviarium Romanum minuatur praesertim in missionibus in quibus vix potest recitari praesertim sabbato et vigiliis festorum maiorum. Nonne melius est recitare breviter cum pietate quam vix recitare ad peccata vitanda.

3. Ritualis orationes nimis longae sunt ideo fere omnes brevientur.

4. Non saepius mutentur formulae orationum sed non cito canonizentur quia ita mutantur sive missalia sive breviaria.

5. Modestia Cleri augeatur praesentim in vita casta servanda per totam vitam pro qua obtinenda modestia requiritur.

Et aliae multae quaestiones sunt sed de quibus non modo possum clarificare.

Ex toto corde exopto Tuae Eminentiae omnia bona.

✠ BARTHOLOMAEUS KIM
Episcopus tit. Agbiensis
Vicarius Ap. Chongiuensis

4

Ex.mi P. D. THOMAE QUINLAN

Episcopi tit. Furnitani Maioris, Vicarii Ap. Chunchonensis
(Chunchon)

Die 1 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Ad necessitates Vicariatus fiscales sublevandas in Novam Zelandiam et Australiam profectus, usque adhuc ansam non habui Eminentiae Vestrae gratias agendi propter communicationem gratissimam, 1 C/59-1750, diei 18 iunii, neque mandatis in ea contentis obsequendi.

Ad Ecclesiae Dogma quod attinet, non habeo quid proponam. In materia disciplinae cleri, opportunum duxerim si in Concilio Oecumenico aliqua legislatio proferretur de membris Sacrae Hierarchiae et cleri in rebus mere politicis sese non immiscendis. Si agitur profecto de Communismo debellando vel de aliis quaestionibus moralibus, hierarchia et clerus diligentes et fortes se praestare utique debent in doctrina Ecclesiae tum guberniis quum populis exponenda. Sed, ut arbitror, magno detri-

mento esset tam Ecclesiae quam animis salvandis, si, ad suffragia pro factione aliqua politica obtinenda, Sacra Hierarchia clerusve operam navarent. Dum factio fausta favorem celeriter oblivisceretur, factio opposita interventionem aegre ferret. Altera ex parte, vix ulla factio investigationem criticam informatam et pertinentem aegre ferret, immo talis investigatio Ecclesiae valde prodesset in aestimatione populari.

Ad rem missionalem quod spectat, perutile duxerim reiterare Sanctam Sedem in votis habere et valde desiderare diem quo omnes missiones ab Episcopis et clero indigenis gubernentur et administrentur, manentibus utique, quamdiu necessarii sint, tamquam coadiutoribus missionariis exteris. Censeo enim, gubernia Orientis Ulterioris ante multum elapsum tempus flagitatura esse ut, sub primatu Vicarii Christi et auctoritate Curiae Romanae, regimen Ecclesiae in suis terris filiis indigenis committatur.

Quia in multis nationibus abusus abortus et contraconceptionis, specie legalitatis et honestatis obtenta, longe lateque grassantur, non inutile censerem si Patres Concilii, rationibus turpitudinis istorum criminum lucidius expositis, fideles ab eisdem committendis magis stricte arceant.

Pro fausto Concilii exitu preces effundens et fidelitatem cum devotione promittens, permanere deprecor

Eminentiae Vestrae humillimus servus

✠ Thomas Quinlan
Episcopus tit. Furnitanus Maior
Vicarius Ap. Chunchonensis

5

Exc.mi P. D. HAROLDI HENRY

Episcopi tit. Corydalensis, Vicarii Ap. Kvangiuensis
(Kwangju)

Ex Kwangju, die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Spiritui Sancto gratias ago Qui Augustum Pontificem inspiravit instituere Concilium Oecumenicum ad renovationem faciei terrae valde opportunum ac utillimum.

Maxima cum reverentia et humilitate duas propositiones submitto, nempe:

1. Utrum utile erit conferre Ordines Minores catechistis vel aliis cu-

ram stationum secundariarum praesertim in missionibus habentibus, etiamsi cum uxore in matrimonium coniunctis.

Hi docent, deficiente sacerdote, infantes privatim baptizant, S. Scripturam et alia legunt et ducunt preces loco assistentiae missae recitandas ubi sacerdos abest.

In missionum locis (saltem in Corea et aliis in locis puto) ministri protestantes in fere singulis pagis habentur qui, plus nostris catechistis quos omnes ut laicos simplices spectant, altius aestimantur. Si catechistae nostri in Ordines Minores constituti fuerint, plus aestimarentur coram oculis fidelium ac paganorum ut veri officiales Ecclesiae et ideo ad plura valerent.

2. Utrum erit utile ad promovendam cleri saecularis sanctitatem instituere unum annum exercitiorum spiritualium ac studii continuum post quinque vel sex annorum in sacerdotio expletionem, in loco secluso. Poterunt adiuvare externe diebus sabbati et dominicae si necessarium erit.

Post transitionem a vita seminarii restricta ad vitam libertatis ob nimia negotia necessaria ac associationem cum rebus et personis mundialibus, multi sacerdotes amittunt sensum valorum spiritualium et sensim acquirunt mentem mundialem ad detrimentum eorum apostolatus. Si habuerint sacerdotes, post aliquos annos in sacerdotio, ad discretionem Ordinarii, occasionem seriose meditandi, examinandi conscientiam et rectificandi sensum valorum spiritualium, videretur maxime prodesse eorum apostolatui, per media supernaturalia attinendo.

Laici qui plus his diebus quam antea intimius in apostolatu cooperant, saepius contristantur de sacerdotum mentem mundiali qui nec eos sedulo ducunt nec dirigunt. Revera multi sacerdotes optimi sunt, sed eis quoque valde ad efficaciorem apostolatum proderit, si habebunt talem opportunitatem eorum sanctificationem promovendi.

Omni qua par est reverentia manere gaudeo,

Eminentiae Vestrae
oboedientissimus

✠ Haroldus W. Henry
Episcopus tit. Corydalensis
Vicarius Ap. Kvangiuensis

CYPRUS

1

EXC.MI P. D. ELIAE FARAH

Archiepiscopi Cyprensis (Cipro)

Cornet-Chehouane, Liban, le 25 septembre 1959

Eminence Révérendissime et Illustrissime,

Répondant filialement au désir du Souverain Pontife glorieusement régnant, ce m'est un devoir très agréable de communiquer à la Commission Antepréparatoire du Concile Œcuménique (Prot. N. 1 C/59-367) quelques vœux que me suggèrent la sollicitude pastorale et le zèle des âmes rachetées par le sang du Divin Agneau.

I. *Renouveau de l'enseignement dans les Séminaires*

Il me semble qu'il est temps de réviser toutes nos méthodes d'enseignement dans les Séminaires, à la lumière des expériences de l'Eglise deux fois millénaires, ainsi qu'à la lumière de toute la technique moderne. Un Apostolat vital et fécond doit tenir compte de ces deux grands courants qui ont révolutionné le monde. A cet effet, je me permets de faire deux suggestions:

1. Soumettre tous les jeunes prêtres, immédiatement après leur ordination sacerdotale, et au Séminaire même, si c'est possible, à une ou deux années de cours de Pastorale, en même temps qu'à un stage dans les paroisses. Ainsi, ils apprendraient à mettre à la disposition des âmes tout l'apport de la Révélation et de la Civilisation Chrétienne.

2. Imposer aux grands Séminaristes des cours de Psychologie et de Sociologie, pour les aider dans leurs grandes organisations de mouvements catholiques: mouvements catéchistiques, mouvements d'Action Catholique.

II. *Prêtres célibataires et prêtres mariés*

Vu la pénurie de prêtres, pénurie qui se fait sentir dans toute l'Eglise;

Vu qu'un grand nombre de jeunes gens ont la vocation, et le zèle des âmes, mais redoutent le célibat;

Vu que certains climats et certaines circonstances rendent la vie très difficile aux prêtres célibataires;

Vu le nombre des scandales dans maints pays;

Ne serait-il pas prudent d'autoriser, dans tous les rites, et pour ceux qui le désirent, le mariage des candidats au sacerdoce, avant leur ordination? Ainsi les prêtres célibataires et les prêtres mariés rempliraient un grand vide dans l'apostolat moderne.

Ne serait-il pas prudent, à ce sujet, de procéder à une enquête universelle auprès des prêtres catholiques eux-même?

III. *Instituts catéchétiques et d'Action Catholique*

La collaboration des laïcs à l'apostolat moderne, sous l'initiative et le contrôle de la Hiérarchie, devenant de plus en plus indispensable, à cause de la pénurie des prêtres, et de la complexité de la civilisation moderne, ne serait-il pas opportun de créer dans chaque pays des Instituts spéciaux pour la formation des jeunes à la Catéchétique, et aux autres mouvements spécialisés?

IV. *Adaptation de la Liturgie aux langues vivantes*

Adapter la Liturgie aux langues vivantes (i. e. la traduire) est le vœu de tous les fidèles d'Orient, et de 99% des prêtres eux-mêmes.

La Liturgie mise à la portée des fidèles, en leur langue, aurait pu transformer les masses chrétiennes modernes.

En fait, les fidèles s'éloignent en partie de nos Eglises, et de nos offices à cause de la difficulté de la langue. Ne faut-il pas sacrifier la langue liturgique ancienne même si elle est sacrée, au profit des âmes?

V. *Unification de la législation pour les rites orientaux*

Dans la nouvelle codification des Eglises Orientales, ne serait-il pas opportun d'unifier toute cette législation et de ne laisser à chaque rite que ce qui est strictement propre à ce rite: par ex: pourquoi avoir des différences entre certains rites orientaux sur la publication des bans, les empêchements d'affinité, etc.?

VI. *Réduction des Fêtes chômées*

Ne serait-il pas opportun de réduire les fêtes fériées à 4 ou 5 ou 6, compte tenu des besoins des fidèles dans les temps modernes?

VII. *Validité des mariages mixtes entre Catholiques et non-Catholiques, contractés devant un ministre non-Catholique?*

Le retour à l'ancienne législation dans ce cas serait très sage, pour les motifs suivants:

1. En déclarant nuls ces mariages, nous risquons de perdre définitivement la partie catholique et ses descendants.

2. En déclarant valides ces mariages, nous avons beaucoup de chance de gagner les enfants qui en naîtraient.

Nous avons beaucoup de chance de gagner la partie acatholique, ou d'atténuer son fanatisme à l'égard de la partie catholique et de ses enfants.

3. Pratiquement, les enfants nés des mariages mixtes sont éduqués dans des maisons catholiques.

VIII. *Unification de la Juridiction dans un même pays oriental*

Le Catholicisme en Orient est paralysé, en partie, dans sa vitalité, à cause de la multiplicité des *Juridictions* sur le même territoire.

L'unité de *Juridiction* unifierait l'action, augmenterait la possibilité de rendement des évêques, des prêtres, des missionnaires, des Ordres Religieux, diminuerait les dépenses matérielles.

Pourquoi avoir dans le même milieu, malgré son exiguité, plusieurs églises, plusieurs Congrégations, plusieurs mouvements d'Action Catholique, plusieurs prêtres?

Nous proposerions que cette Unification de *Juridiction* se fît soit à base historique, soit à base de majorité de fidèles: dans chaque pays, dans chaque diocèse, dans chaque paroisse même.

Voilà ce qu'en toute simplicité, j'ai cru devoir soumettre à Votre Eminence Révérendissime et Illustrissime que je prie de vouloir bien agréer mon respect et mon dévouement en Notre-Seigneur.

✠ ELIAS FARAH
Archevêque Maronite de Chypre

IAPONIA

1

EXC.MI P. D. DOMINICI SENYEMON FUKAHORI

Episcopi Fukuokaënsis (Fukuoka)

Fukuoka, die 4 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergrato animo litteras tuas accepimus in quibus vota nostra de proximo Concilio Oecumenico ut mittantur petis.

Curae pastoralis onere pressus, paulum tardius responsionem nostram mittimus: habeas me excusatum.

Heic inclusas nostras invenies propositiones ad Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio. Utinam paulum prosint!

Exspectando diem magnam huius coetus Ecclesiae Catholicae, quae erit nobis gratiarum fons uber, Eminentiae Vestrae me addictissimum servum profiteor in Domino.

✠ DOMINICUS FUKAHORI
Episcopus Fukuokaënsis

Quaestiones generales

1. Fideles et sacerdotes meliori modo praecavere contra positivismum eiusque formas diversas et gradus.

2. Existentialismus atheisticus condemnandus est.

3. Ecclesiae administrationem simpliciorem facere; parvorum quasi innumerabilium decretorum et regularum rigiditatem et « formalismum » minuere, ita ut christianae religionis cor bene appareat esse caritas, et non ista minuta mandata.

De Liturgia

1. Breviarii revisionem quamprimum facere: praesertim Lectiones corrigere secundum historiae leges.

2. Catechumenorum Missam dicere in lingua vernacula, excepto *Kyrie eleison.*

3. Dominicis et festis cum concursu magno populi, Divini Officii recitationem multum alleviare pro sacerdotibus sacro ministerio adlaborantibus.

4. Missionariae adaptationis causa, maiores Facultates Apostolicas Ordinariis Missionum concedere quoad novorum rituum ceremoniarumque temporariam introductionem.

5. Codex de tota re liturgica desideratur.

6. In Missionum territoriis, ritus speciales aliquarum Societatum religiosarum prohibere, saltem coram populo, quia fideles nimis mirantur de talium diversitate rituum et de Ecclesiae unitate dubitant.

De vita sacerdotali

1. Strictiorem exsecutionem canonum 130, 131, 136 et 811 obtinere.

2. Ut sacerdotes coelibatus legem melius aestiment sentiantque, inter ritus ordinationis ad subdiaconatum introducere verba expressa quibus castitatis votum emittatur. Idem de Divino Officio suscipiendo.

3. Propter disciplinarum ecclesiasticarum augmentum et pastoralia opera nova, enixe petitur ut cursus theologiae fiat per quinque annos; ultimo anno, potius theologia pastoralis doceretur, et ordinatio ad presbyteratum huius anni initio fieri posset.

4. Leges condere quibus praedicatio dominicalis renovetur et certe fiat toto anno, et non tantum temporibus frigidis.

Pro novo Iuris Canonici Codice

1. Vocabulum « acatholicus » habeat eumdem sensum ubique in codice.

2. Addere capita de Actione Catholica, Institutis Saecularibus, Operibus socialibus.

3. Sive appendicem ad Codicem sive specialem codicem de Iure missionario producere: praesertim quoad matrimonium, scholas, ritus paganos semi-religiosos semi-profanos, usum librorum paganorum ...

4. Determinare casus ubi « error communis » adest circa matrimonium celebratum coram sacerdote facultatem assistendi non habente (can. 209).

5. Extendere ad Missionum territoria decretum 12 iunii 1957 S. C. Semin. et Univers.

6. Maior coordinatio et unitas petitur inter decreta diversarum SS. Congregationum aut etiam eiusdem S. Congregationis. Ultimis temporibus, decreta contradictoria edita sunt circa quemdam librum « Introduction à l'A. T. » et circa quaedam problemata liturgica.

7. Pro matrimoniis cum disparitate cultus, cautiones praestandae tantum ad liceitatem: cann. 1070-1071.

8. Sensus verborum « opera servilia » clare determinandus est in can. 1248.

9. Cann. 1395 sq.: Legem Indicis modificare pro scholis catholicis ubi maior pars alumnorum est pagana; addere condemnationis rationes in libro Indicis.

10. Tribunalium regionalium erectionem fovere quae officiales competentes habeant. Tribunalia dioecesana saepe saepius doctrina et experientia deficiunt.

11. Quorumdam processuum formam simpliciorem reddere. Tribunal collegiale erigere est impossibile ubi vix unus canonista laborat.

Pro religiosis sororibus

1. Melior intellectualis praeparatio requiritur.

2. Exercitia spiritualia per 3-4 menses ante vota perpetua desiderantur.

3. Leges condere quibus strictius obligantur pastores ad concionem sacram faciendam religiosis sororibus saltem semel in mense.

4. Habitus religiosus adhuc amplius adaptandus est humilitati, voto paupertatis, rationi oeconomicae, corporali hygieni. Propter calorem et aegritudines ex hoc ortas, non paucae sorores convenienter laborare et orare non valent.

✠ Dominicus Fukahori
Episcopus Fukuokaënsis

2

Exc.mi P. D. IOSEPHI A. SATOWAKI
Episcopi Kagoshimaensis (Kagoshima)

Kagoshima, die 27 augusti 1959

Infrascriptus Episcopus Kagoshimaensis est pergratus, si in futuro Concilio prae caeteris sequentia tractari curetur:

I. *De Seminariis*

Reformentur cursus studiorum in Seminario Maiore. Videtur enim minime sufficere praesentes cursus studiorum formationi clericorum, qui debent laborare in mundo sub revolutione. Qua de re, necesse est ut tradantur scientiae modernae vel nova subiecta, e. g. Sociologia, Anthropologia, Psychologia socialis, Psychologia educativa etc.

II. *De Catechismo*

Necesse est ut componatur Novus Catechismus Romanus: populus enim saeculi xx habitat in civilisatione industriali, scientifica, materialistica, uno verbo, in conditione vitae inaudita, unde habet novum cogitandi vel sese exprimendi modum, praesertim habitantes in magna civitate et operarii in magna fabrica sentiunt magnam difficultatem intelligendi nostram doctrinam. Concilium deberet igitur componere Novum Catechismum vocabulis vivis, sicque adaptatum psychologiae massae populi.

III. *De Morali*

Principia Moralitatis aeterna oportet applicare diversis situationibus Theologiae Moralis: Nunc vero tempus modernum videtur tendere in tempus amoralismi, ratione scientismi. Praeterea, nunc problema iustitiae disputatur non ratione individui, sicut antea, sed ratione collectivitatis. Unde textus Theologiae moralis in usum Seminarii Magni revisi necesse est.

IV. *De Liturgia*

Nemo est qui dubitat de alto valore Liturgiae Latinae actualis, quae multis saeculis adiumento fuit sanctificationi animarum. Aliunde tamen certum est quod nonnullae formulae vel caeremoniae perdiderunt valorem pristinum, immo nonnullae partes non sunt consonae conditioni vitae vel mentalitati populorum. Omnino igitur necessarium est tota Liturgia revisi et reformari, ita ut sit vehiculum et alimentum fidei.

✠ IOSEPH SATOWAKI
Episcopus Kagoshimaensis

3

EXC.MI P. D. PAULI FURUYA YOSHIYUKI

Episcopi Kyotensis (Kyoto)

Kyoto, die 13 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Die 13 augusti currentis anni Domini, congregatis Excellentissimo Domino Paulo Furuya, Episcopo Kyotensi, et Patribus Commissionis Dioecesanae Praeparatoriae Concilii Oecumenici, approbatae fuerunt quaestiones sequentes:

A) *Circa Doctrinam*

1. Desideratur ut Apostolica Sedes frequenter loquatur instructionesque edat circa momentum valorum spiritualium et supernaturalium in Christiana educatione puerorum atque iuvenum.

2. Item circa praestantiam atque necessitatem orationis.

3. Item circa ius parentum educandi liberos suos. Status atque magistri non gaudent hoc iure naturali nisi parentes incapaces sint eum adimplendi.

4. Enixe exoptatur ut novus Catechismus edatur quo exponantur quaestiones doctrinae modo magis positivo quam usque adhuc, videlicet docendo pulchritudinem virtutis, vitae orationis, sacrificii, itemque possibilitatem attingendi statum mysticum. Non proponantur dubia neque problemata. Doceatur necessitas gratiae divinae ad credendum. Atque colatur simplicitas spiritualis contra tendentiam rationalisticam quae lugenda experientia constat invalescere in homine moderno.

5. Tradatur doctrina sacramentalis modo magis sociali. Sacramenta instituta fuerunt non tantum propter individua, sed etiam propter societatem christianam, ut omnes unum sint in Corpore Mystico Christi, atque unanimes laborent in propagatione Regni Domini. Hoc erit telum fortissimum ad debellandum Communismum aliasque erroneas doctrinas sociales quae hodie florescere videntur.

B) *Circa disciplinam*

1. Desideratur simplificatio Breviarii Romani.

2. Item facultas recitandi Breviarium in lingua vernacula.

3. Desideratur, ut minimum, recitatio lectionum Breviarii in lingua vernacula. Hoc erit adiutorium ad praeparandas conciones sacras.

4. Exoptatur ut permittatur litare Sacrum in lingua vernacula, excepto Canone.

5. Ut Sacerdos celebret versus ad populum.

6. Ut instauretur Ordo Diaconalis uti in primis Ecclesiae temporibus, atque viri vincti matrimonio possint ordinari ad Diaconatum. Hoc erit magni momenti in regionibus missionum ubi paucitas sacerdotum non valet adimplere omnes functiones sacras.

7. Ut requies dominicalis simplificetur ad tranquillitatem conscientiae fidelium et omne opus permittatur — sine distinctione servilis atque liberalis — quod non sit obex ad adimplendas obligationes dominicales audiendi Sacrum etc. Exoptandum est tamen ut omnes Parochi enixe commendent venerabilem consuetudinem a saeculis probatam abstinendi ab omni opere non necessario, minus convenienti aut forensi.

8. Ut in unaquaque natione Episcoporum Coetus valeat determinare materiam abstinentiae. Quoniam in aliquibus locis, uti in Iaponia, fere nemo manducat carnem, lex abstinentiae quasi sine fine videtur. Forsitan melius esset prohibere manducationem piscium aut aliorum ciborum, et sic verum sacrificium perficere.

9. Item, ut in omni natione Caetus Episcoporum valeat determinare et etiam mutare diversas regulas monialium atque sororum quae contra consuetudines populi, vel leges hygienicas militare videantur. Videlicet usus lanae in habitibus quando conditiones climatologicae et oeconomicae potius suadeant usum lini, etc.

10. Ut praeter libros prohibitos a Iure Naturali et Canonico, Coetus Episcoporum in omni natione valeat determinare libros introducendos in Indice. Desideratur abrogatio aut simplificatio Indicis Librorum Prohibitorum, quoniam aliqua opera nunc non videntur tam periculosa quam in diebus antiquis, vel ob peculiares circumstantias varium nationum valde difficile est eum in practicam reducere.

11. Desideratur abrogatio impedimenti disparitatis cultus (atque mixtae religionis?) in iis regionibus ubi numerus catholicorum valde exiguus est. Sufficiat iudicium prudentis Parochi et permittatur matrimonium cum infidelibus quando isti parati sint ad adimplendas praescriptiones iuris naturalis atque ecclesiastici.

12. Enixe rogatur ut Coetus Episcoporum potestate polleat in unaquaque natione determinandi atque alterandi diversas regulas disciplinares atque liturgicas, mediantibus congregationibus nationalibus quae sequi debebunt generales normas a Curia Romana praescribendas.

13. Quaeritur utrum si quis sacerdos laxus, quod Deus avertat, fornicationem commiserit et prolis secuta fuerit, non melius sit eum reducere

ad statum laicalem ut contrahere possit matrimonium et prolis curam habere, quando non aderit spes eius emendationis.

14. Exoptatur maius adiutorium oeconomicum a Sancta Sede ut doctrina propagetur in regionibus missionum mediantibus « radio » teelvisione, periodicis, publicationibus, etc.

15. Item executio decretorum Apostolicae Sedis circa Musicam Sacram.

16. Magis magisque usus elementorum nativorum in regionibus missionum ad extendendam Religionem Catholicam exoptatur.

Deum precantes benedictiones caelestes supra Eminentiam Vestram, nostramque sinceram adhaesionem profitentes, has litteras signamus.

✠ PAULUS FURUYA
Episcopus Kyotensis

4

EXC.MI P. D. PAULI A. YAMAGUCHI
Archiepiscopi Nagasakiensis (Nagasaki)

Nagasaki, die 18 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ex eo tempore quo Summum Pontificem Ioannem XXIII feliciter regnantem, Concilium Oecumenicum in proximo futuro habiturum pronuntiasse audivi, aliqua pro solemni celebratione gaudiosa expectatione motus, felicem rei effectum precabar. Nunc vero officialiter rogatus ut res et argumenta in isto Concilio tractanda proponam, potius anxietate implicatus sum, et humiliter fateor nihil habere specialiter a me proponendum in sollemni et universali Concilio. Confidens tantum erga Summum Pontificem et Commissionem Antepraeparatoriam, Universali Ecclesiae necessaria et utillima negotia proponi spero et enixe precor Omnipotentem ut istum Concilium optime praeparetur et efficaciter perficiatur ad maiorem extentionem exaltationemque Sanctae Matris Ecclesiae.

Interim qua par est reverentia fateor Eminentiae Vestrae devotissimus servus in Christo.

✠ PAULUS A. YAMAGUCHI
Archiepiscopus Nagasakiensis

5

EXC.MI P. D. PAULI YOSHIGORO TAGUCHI

Episcopi Osakensis (Osaka)

Osaka, die 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

In responsione ad epistolam Prot. N. I C/59-962, cum praesentibus inclusa nostra vota Eminentiae Vestrae Reverendissimae misimus, deprecantes ut benigne examinentur, et Sanctae Sedis veniam petentes si quid inveniatur non satis mature excogitatum.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae,

humillimus servus in Christo

✠ PAULUS TAGUCHI

Episcopus Osakensis

Vota in re canonica

1. Ut v. g. quinto quoque anno edatur supplementum ad Codicem I. C. in quo inveniri possint principia iuris quibus innituntur responsiones SS. Congregationum in quinquennio habitae.

2. Ut concessio dispensationum in forma commissoria cum executore necessario, quae adhibetur in casu subdelegationis prohibitae, possit fieri valide absque rescripto, seu oraliter, remanente illicitate huius modi agendi, proportionatis rationibus deficientibus.

3. Ut ad usum Ordinariorum, Superiorum religiosorum, parochorum etc., liber formularum, id est petitionum ac concessionum dispensationum aut permissionum a Codice requisitarum officialiter edatur, attentis facultatibus in Codice concessis et a Romanis Congregationibus habitualiter aut particulariter delegatis; necnon ut pariter edatur exemplar diversorum actuum administrationis ecclesiasticae.

5. Ut edatur quasi codex Actionis Catholicae.

6. Ut legitimatio prolis ad mentem can. 1116 extendatur de iure etiam matrimonii quibus obstabat tantum sive disparitas cultus, sive ligamen quando scilicet convalidatur matrimonium neo-conversorum qui bona fide novas nuptias attentaverant.

7. Ut, si fuit divortium civile, matrimonium in infidelitate con-

tractum iam non sit impedimentum validitati novitiatus (can. 542) et ut post debitas interpellationes (aut legitimam dispensationem), tempore primi professionis etiam temporalis dissolvetur, eodem modo ac in privilegio Paulino.

8. Ut constitutiones can. 1125 explicentur et codificentur.

9. Ut in processibus praesertim matrimonialibus, salvo examine completo meriti casus, leges processuales faciliores reddantur et ideo onera pecuniaria processuum minuantur.

10. Ut, data evolutione morum in favorem maioris libertatis, matrimonia mixta celebrari possint sine ulla cautione explicita a parte acatholica exigenda, habita tantum certitudine morali de absentia periculi perversionis et de absentia voluntatis impediendi libertatem religiosam prolis; salva tamen obligatione gravi partis catholicae totis viribus adlaborandi pro conversione coniugis, et ad educationem catholicam prolis, ita ut si proles ante usum rationis in periculo vitae incedant, gratia baptismi statim procuretur.

Vota in re liturgica

1. Ut edatur codex liturgicus praecipue pro missionum territoriis.

2. Ut, in quantum res ad ius divinum non attinet, cautiones exigendae in matrimoniis mixtis faciliores sint. Cf. vota in re canonica N. 10.

3. Ut mitigetur lex qua vetatur crematio defunctorum, nam in his regionibus nullum habet sensum anti-christianum, et aliunde practice vitari nequit.

4. Ut sacerdos possit pro rationabili causa formulam baptismi parvulorum adhibere etiam in baptismo adultorum; item ut insufflatio omitti possit.

Vota in re dogmatica

Ut doctrina quae tenet Beatam Virginem Mariam, Matrem Dei et Matrem nostram, vere esse *Mediatricem Universalem* omnium gratiarum quae generi humano dispensantur, tamquam dogma fidei a proximo Concilio Oecumenico solemniter definiatur.

✠ PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

6

EXC.MI P. D. BENEDICTI TOMIZAWA
Episcopi Sapporensis (Sapporo)

Sapporo, die 19 aprilis 1960

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Receptis litteris Eminentiae Vestrae die 18 iunii 1959 Romae datis de mittendis votis pro futuro Concilio Oecumenico, peto, ut benigne habeas me excusatum de non mittendo celerius. Non scripsi, quia putabam, votis tot praeclarorum Praesulum totius orbis terrarum habitis, non esse necesse, his adiungere vota mea. Sed cum Eminentia Vestra Reverendissima, secundo datis litteris a me postulaverit, non possum, quin quaedam desideria et vota heic inclusa illustri Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae proferre coner. Et sic me profiteor omni, qua par est, oboedientia et reverentia,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimus et oboedientissimus
✠ BENEDICTUS TOMIZAWA
Episcopus Sapporensis

1. Ut festum Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi in die quadam fixa iuxta Calendarium civile constituatur, e. g. in dominica prima mensis aprilis.

Ratio: Mos est apud nos, diversos coetus paroeciales vel actionis catholicae aliaque programmata, e. g. diem sacerdotum diebus vernis, et quidem paulo post Pascha vel tempore Pentecostes vel Corporis Christi agere. Est vero valde incommodum, si tales coetus de anno in annum in tempus diversum incidunt, imprimis cum christiani fixis temporibus etiam aliis coetibus saecularium interesse debeant, et sic coetibus nostris interesse non possint.

2. Ut aliquae caeremoniae breviores fiant, e. g. Consecratio Ecclesiae.

Ratio: Nonnullae caeremoniae, e. g. Consecratio Ecclesiae vel altaris hisce temporibus taedium christianis afferre videntur.

3. Ut ieiunium Eucharisticum pro infirmis ad unam tantum horam diminuatur.

Ratio: In his regionibus et temporibus infirmi fere omnes, qui in morbum incidunt, ad nosocomium adeunt, ut ibi sanitati provideatur, pro quo diversa habentur statuta circa horam edendi, visitatores recipiendi etc. Cum talia ad omnes attinent, catholici ea melius observarent, si ieiunium Eucharisticum ad unam horam diminueretur. Etiam sacerdotibus esset non parvum levamentum, scilicet pro celebratione Missae et distributione S. Communionis in nosocomiis, praesertim pro casibus, in quibus id tempore vespertino locum habet.

4. Ut lingua latina solum ut officialis ad usum sacerdotum relinquatur, et lingua vernacula permittatur pro usu populi inter Missam.

Ratio: Hodiernis temporibus solo usu linguae vulgaris participatio fidelium in Missae Sacrificio cum sacerdote offerente efficax fieri videtur.

5. Ut color liturgicus in festo Septem Dolorum B. Mariae V., infra hebdomadam primam Passionis occurrente, non sit albus, sed in accomodatione ad tempus Passionis violaceus, et liturgia sit sine Gloria et Credo, cum « Benedicamus Domino » in fine.

Ratio: Ne sensus liturgicus huic tempori debitus pereat.

6. Ut praecepto Ecclesiae recipiendi SS. Sacramentum Eucharistiae satisfieri possit non solum tempore Paschali, sed etiam tempore festi Nativitatis Domini nostri Iesu Christi.

Ratio: Christiani huius Regionis permaximam habent devotionem erga mysterium Nativitatis Domini, atque habent maius otium circa finem anni elabentis et initium novi.

✠ BENEDICTUS TOMIZAWA
Episcopus Sapporensis

7

EXC.MI P. D. PETRI A. KOBAYASHI
Episcopi Sendaiensis (Sendai)

19 septembris 1959

Excellentissime Domine,

Faveas acceptare argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

1. *Liturgia*

A) *Missa*: Ad meliorem participationem fidelium in Sacrificio Missae, aestimo utile proponere quod sequitur:

1) Ut Missa catechumenorum lingua vernacula celebrari possit.

2) Ad textum evangelii Missae, eligenda sunt non tam miracula quam loci doctrinales.

3) Ut Episcopis concedatur potestas adaptandi orationes, caeremonias liturgicas secundum mores consuetudinesque proprias loci (verbi gratia: in Iaponia in loco genuflexionis, inclinatio profunda proponi possit).

B) Ut Officium Divinum non sit onus sed vera oratio propono quod sequitur:

1) Simplificatio et reductio officii divini quotidiani.

2) Possibilitas utendi lingua vernacula.

3) Ut tempus diei in quo singulae horae officii divini recitandae sunt, determinetur, et obligatio recitandi officii tempore determinato sit « sub levi ». Extra tempus determinatum nulla sit obligatio.

2. *Propositio particularis*

Reinstitutio officiorum diaconi, id est, vir coniunctus in matrimonio vel non, qui praedicare, sollemnem baptismum ministrare et Sacram Communionem distribuere possit.

Omni qua par est reverentia, me profiteor, Excellentissime ac Reverendissime Domine, addictissimum tuum in Domino,

✠ PETRUS A. KOBAYASHI
Episcopus Sendaiensis

8

EXC.MI P. D. PETRI T. DOI
Archiepiscopi Tokiensis (Tokio)

I. *Circa doctrinam*

1. *In genere.* Non videntur haberi graves rationes pro proclamatione novorum dogmatum, sed potius desiderandum videtur ut a Concilio Oecumenico doctrina catholica declaretur circa varia problemata huius nostrae aetatis.

Verbi gratia: de obiectivitate et cognoscibilitate veritatis, sive naturalis sive supernaturalis, contra relativismum, existentialismum, etc.; de evolutionismo in suis variis formis; de unitate generis humani et aequalitate fundamentali omnium hominum contra hypernationalismum, discriminationem stirpium et colorum, etc.; de officiis iustitiae et caritatis tam

pro individuis quam pro guberniis relate ad educationem, laborem, migrationem; de relatione inter populos et Status, de iure libertatis, propriae culturae, iustae defensionis; de principiis moralibus relate ad sic dictam « ethicam situationis »; doctrina moralis catholica relate ad vitam humanam, functiones sexuales, unitatem matrimonii, iura et officia parentum in primis quoad educationem et instructionem religiosam filiorum; doctrina socialis Ecclesiae in punctis fundamentalibus i. e. quoad aequam distributionem bonorum et fundorum, quoad ius ad laborem et fructus laboris, quoad pretium aequum laboris, habitationem, educationem (in instructione christiana generaliter magis fuse agi deberet de virtutibus socialibus et vitiis oppositis), denique quoad problema superpopulationis modosque illud solvendi necnon quoad legitimum modum limitandi prolem propter graves causas, quas multi homines in hac terra de facto habent.

2. *De Ecclesia in specie.* Postquam in Concilio Oecumenico Vaticano definita est doctrina de primatu iurisdictionis Romani Pontificis et de eius infallibili magisterio, desideratur ut in proximo Concilio Oecumenico exponatur doctrina de potestate ordinaria Episcoporum uti successorum Apostolorum in regendis propriis dioecesibus et de eorum responsabilitate pro bono communi totius Corporis Ecclesiae.

II. *Circa legislationem et disciplinam Ecclesiae*

1. *Extendatur potestas ordinaria Episcoporum,* ita ut vitam ordinariam propriae Dioecesis propriis facultatibus regere valeant et recursus ad Sanctam Sedem ad casus rariores restringantur. Quod commendatur etiam per rationes practicas, specialiter ut negotia celerius expediantur (v. g. in dispensatione ab irregularitatibus aliisque impedimentis de quibus in can. 984 et seq., in casibus alienationum bonorum, de quibus in can. 534, etc.).

2. Specialiter desideratur extensio potestatis Episcoporum *in causis matrimonialibus.*

a) Episcopi habeant *ordinariam* potestatem dispensandi ab omnibus impedimentis a quibus Ecclesia dispensare solet.

b) In casibus, quae respiciunt *solutionem in favorem fidei,* statuatur modus procedendi magis velox et expeditus (v. g. delegando speciales facultates Tribunalibus Episcopalibus vel Archiepiscopalibus), ad praecavenda damna quae saepe nunc sequuntur pro bono animarum ex dilatione solutionis.

c) Similiter ut Episcopi possint permittere usum *Privilegii Paulini*

in casu dubii indissolubilis de baptismo (de quo responsum Sancti Officii, 1937), pariter ad praecavenda damna ex dilatione oritura.

3. *Circa Religiosos.*

a) Ut Episcopi efficacius dirigere possint *opera apostolica et caritativa Religiosorum* ad bonum commune Dioecesis.

b) Ut *disciplinam Religiosarum* omnium, etiam Monialium, magis adaptare valeant exigentiis huius aetatis et propriae regionis (inclusa facultate imponendi normas circa *vestem religiosam* saltem cum exeant).

c) *Aetas* necessaria pro emissione *votorum perpetuorum,* de qua in can. 573, prorogetur ad 23 annos, ut candidati diutius probentur et maturius deliberare possint.

4. *Circa festa et ieiunia.*

a) *Dies festi de praecepto* extra dominicas reducantur ad numerum qui de facto in maiori parte mundi christiani observari potest.

b) *Festum Paschale,* si fieri possit, determinetur ad dominicam primam aprilis, tum ad simplificandum calendarium tum ad facilitandam participationem fidelium specialiter neophytorum in sacris caeremoniis Hebdomadae Sanctae.

c) *Lex ieiunii* reformanda videtur ita ut de facto maior pars fidelium eam observare valeat. Utilis erit forsan introductio sic dicti « ieiunii relativi », quod in quibusdam terris iam bene servatur.

5. *Circa poenas et prohibitionem librorum.*

a) Simplificentur et minuantur *leges de poenis;* nam leges actuales saepe constituunt potius onus confessariorum quam poenam utilem delinquentium.

b) *Prohibitio librorum* conditionibus praesentibus melius adaptanda est. Specialiter in terris nostris plures ex libris in Indice librorum prohibitorum positis in scholis publicis leguntur (v. g. Kant, *Critica Rationis purae;* et similia). Neque possunt fideles facile in talibus casibus petere licentiam ab Ordinario. Quare statuatur etiam modus amplior et facilior pro obtinenda licentia in casu necessitatis legendi libros prohibitos. Tollatur poena excommunicationis pro illis qui scienter legunt libros prohibitos (can. 2318, 1).

6. *Circa matrimonium.*

a) Aboleantur quaedam *impedimenta gradus minoris* quae hodie sunt parvi momenti ut v. g. affinitas in secundo gradu lineae collateralis, cognatio spiritualis ...

b) Cf. II 2 a: Episcopi habeant potestatem *ordinariam* dispensandi ab omnibus impedimentis a quibus Ecclesia dispensare solet.

c) Cf. II 2 b: in casibus quae respiciunt *solutionem in favorem fidei* statuatur modus procedendi *magis velox et expeditus.* Ratio est

quod secundum mores huius populi divortia facile et frequenter fiunt et quod etiam in casibus matrimonii contracti cum dispensatione super impedimentum disparitatis cultus non tam raro pars fidelis derelinquitur ab infideli: ita ut sat frequentes sint casus in quibus solutio vinculi in favorem fidei peti debeat. Saepe tamen homines, qui egent tali gratia, non possunt diu expectare sed ob difficultates vitae oeconomicas et similia coguntur quasi, ut quam primum novam unionem ineant. Quare si Ecclesia magis in hac terra diffundetur, iam vix possibile erit cum modo praesenti talibus casibus sufficienter providere; et iam nunc ex dilatione solutionis gravia habentur incommoda pro bono animarum.

d) In concessione solutionis vinculi in favorem fidei *omittatur clausula* « ut cum catholico novum matrimonium inire possit » quia ob paucitatem catholicorum saepe impleri nequit, ita ut novus recursus novaque dilatio necessaria fiant.

III. *Circa sacram liturgiam*

1. *In genere.* Desideratur ut caeremoniae ac ritus, in quantum instructionem aut exhortationem populi continent ac de facto coram populo perficiuntur, necnon preces quae pro populo recitantur, fieri possint in lingua vernacula.

2. *De S. Missae Sacrificio.* Optatur:

a) ut *Missa Catechumenorum* et *orationes post Communionem* fieri possint in lingua vernacula.

b) ut *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei* possint recitari vel cantari in lingua vernacula.

c) ut usus linguae vernaculae permittatur etiam in recitatione Orationis Dominicae *Pater Noster,* saltem pro fidelibus.

d) ut usus linguae vernaculae permittatur pro *Domine non sum dignus* fidelibus ad Communionem accedentibus simulque sacerdoti distribuenti Sacram Communionem.

— Ratio praecipua pro istis petitionibus est difficultas magna pro maxima parte fidelium Iaponiae addiscendi et recte pronuntiandi istos textus in lingua latina ita ut de facto participatio activa fidelium in Missae Sacrificio, prout in recentibus documentis Sanctae Sedis postulatur, sine usu linguae vernaculae sit practice impossibilis. Accedit alia ratio quod nempe infideles, qui saepe Missis assistunt, ita magis ad fidem allicientur.

e) ut abbrevietur formula distributionis Sanctae Communionis quae in casu Communionis magnae multitudinis vix distincte pronuntiari potest.

f) ut ante Communionem fidelium intra Missam tollatur *Confiteor* quod iam in initio Missae recitatum est.

g) ut in Evangeliis et Epistolis tollantur pericopae difficiles intellectu vel mirationem creantes aliaeque substituantur.

3. *De Baptismo.* Optatur ut ritus Baptismi Adultorum (qui in his terris frequentissime administratur) conferri possit per tres gradus, sicut etiam factum est in Ecclesia antiqua, ita ut prima pars ritus sit examen de fide, exorcismus, benedictiones, secunda pars introductio in Ecclesiam, traditio et recitatio Symboli et Pater Noster, Ephpheta cum unctione, tertia pars denique Baptismus proprie dictus. Collatio primae et secundae partis apte convenire possunt cum completione primae et secundae partis Catechismi vel saltem certum significare gradum in catechumenatu.

Ratio pastoralis suadens hanc divisionem ritus baptismalis est praecipue in eo ut catechumeni hoc modo tempore praeparationis in bono proposito confirmentur et exorcismis ac benedictionibus Ecclesiae roborentur. Speratur fore ut ope talis auxilii maior percentualitas catechumenorum perseveret usque ad baptismum.

4. *De Ritu Consecrationis ecclesiae.* Ritus consecrationis ecclesiae abbrevietur et ad condiciones nostrae aetatis, — etiam illas in terris missionum — adaptetur.

5. *De Officio Divino.* Optatur:

a) ut ad formam simpliciorem et breviorem reducatur (v. g. ut pro regula habeatur unum Nocturnum cum tribus Psalmis;

b) ut omittantur Psalmi historici ac deprecatorii;

c) ut breviores Psalmi eligantur pro horis minoribus in Dominica;

d) ut nova selectio fiat lectionum specialiter Sacrae Scripturae et maior pars Novi Testamenti continuatim legatur;

e) ut revisio fiat lectionum Patrum, celebriores pericopae doctrinales inserantur. Textus vero allegorici parum utiles eliminentur.

f) pro sacerdotibus qui nimis fatigantur recitatione Breviarii in lingua latina, petitur facultas ut possint recitare Divinum Officium (vel saltem Psalterium) in lingua vernacula.

✠ PETRUS TATSUO DOI
Archiepiscopus Tokiensis

9

Exc.mi P. D. LAURENTII SATOSHI NAGAE
Episcopi Urawaënsis (Urawa)

Urawa, die 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad invitationem quam Eminentia Vestra litteris die 18 iunii 1959 datis (Prot. N. I C/59-1413) ad me misit, cum humilitate et libertate proponuntur sequentia quae in futuro Concilio Oecumenico inter alia argumenta tractari poterunt:

1. Doctrina de Corpore Mystico Christi exponatur et definiatur. Declaratio de hac doctrina praesertim in relatione ad Baptismum et Sanctum Sacrificium Missae facta, maxime iuvabit ad fovendam fidelium vitam spiritualem.

2. Doctrina necnon disciplina iuridica de laicis et de associationibus apostolatus laicalis clare enuntientur ita ut iura et obligationes laicorum in Ecclesia clarificentur et organica harum associationum unitas necnon coordinatio obtineri possit.

3. Organum hierarchiae nationalis quadam potestate iuridica praeditum instituatur ut negotia maoïris momenti et res ambitum dioecesanum excedentes cum competentia tractare, definire et promovere possit.

Rerum opportunitate utens omnique reverentia ac observantia Sacram Purpuram deosculans me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimum in Domino

✠ Laurentius Satoshi Nagae
Episcopus Urawaënsis

10

EXC.MI P. D. LUCAE KATSUSABURO ARAI
Episcopi Yokohamaënsis (Yokohama)

le 2 septembre 1959

Eminence,

J'ai l'honneur de transmettre à Votre Eminence les questions que je désirerais voir traitées lors du prochain concile œcuménique.

Dès maintenant je prie l'Esprit Saint pour qu'Il daigne éclairer tous ceux qui ont la charge si importante de préparer ce concile.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de mon plus profond respect.

✠ LUCAS K. ARAI
Evêque de Yokohama

1. *De Re Liturgica*

1. De usu linguae vernaculae in tota Missa, canone excepto.

2. De extensione iurium Ordinarii Loci vel saltem Ordinariorum unius Provinciae ecclesiasticae relate ad Liturgiam.

Ordinarii Locorum nunc habent ius vigilandi in re liturgica, sed bonum pastorale postulat ut Ordinarii Locorum etiam ius legislandi habeant, saltem in rebus minoribus, v. g. administratio Baptismatis adultorum in tribus partibus, mutatio omnium genuflexionum in inclinationes, adaptatio aliquorum rituum (exsequialis etc.) moribus loci, etc.

3. De adaptatione Breviarii conditionibus praesentibus:
  a) De simplificatione Breviarii,
  b) De usu linguae vernaculae.

2. *De Congregationibus Religiosis*

1. De extensione iurium Ordinarii relate ad omnes congregationes, praesertim mulierum, etiam iuris pontificalis; speciatim relate ad formationem et apostolatum. Sed etiam in variis, scilicet in concedendo vel negando permissionem mutuam pecuniam sumendi, in solvendo votum etc. In praesenti codice Ordinarius saepius est tantum executor decisionum Sanctae Sedis.

2. De permissione generali pro omnibus religiosis, etiam ad clausu-

ram subiectis, exeundi e Monasteriis vel domibus religiosis ut possint participare congressibus organisatis pro religiosis, vel pro laicis quando disputantur problemata educationis, apostolatus etc.

3. *De re iudiciali*

De simplificatione processuum, praesertim in interrogationibus infidelium.

4. *De Seminariis*

De usu linguae vernaculae in explanatione philosophiae et theologiae

a) ad meliorem intellectionem,

b) ut novi sacerdotes possint doctrinam christianam facilius exponere fidelibus, catechumenis et paganis

5. *De bonis Ecclesiae temporalibus*

De taxa annua imponenda omnibus ecclesiis, institutionibus et domibus religiosis ad expensas curiae episcopalis solvendas.

Votum

Durante Concilio Oecumenico usus machinae quod vulgo dicitur « earphone » desideratur.

✠ LUCAS KATSUSABURO ARAI
Episcopus Yokohamaënsis

11

EXC.MI P. D. MAXIMILIANI DE FURSTENBERG
Archiepiscopi tit. Palteni, Internuntii Ap. in Iaponia

Tokyo, 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Per modum responsionis ad Pontificiae Commissionis Prot. N. 1 c/59-1667, humiliter aliquas suggestiones hic infra submitto.

1. Accuratius definiatur Traditio eiusque relatio ad Sacram Scripturam.

2. Parochus nimis oneratur obligationibus administrativis per semetipsum perficiendis, ita ut tempus ad verum ministerium pastorale ipsi desit.

3. In rebus non necessariis — verbi gratia pro multis matrimoniis

inter consanguineos — diminutio recursuum ad diversas romanas Congregationes. Sat mirum videtur maiorem libertatem vigere in longinquioribus regionibus, praesertim missionum, ubi per se administratio vel competentia non est melior.

4. In missionibus saltem opportunum videtur Ordinariis tribuere ampliores facultates ad visitationem canonicam congregationum mulierum etiam exemptarum; etenim etsi pietas sit bona, saepe formatio intellectus, cordis et voluntatis negligitur.

5. Superiores Generales Congregationum utriusque sexus attendant ne quadam coarctatione superiores provinciales vel locales obligent ad superextensionem operum quin provideant media necessaria, quia hi ultimi spiritu reverentiae et submissionis moti, saepe ad actiones irregulares deducuntur, quae vitam religionis perturbant et minuunt reverentiam erga Ecclesiam, praesertim apud laicos sive fideles sive infideles.

6. In re liturgica unica praeparata magnaque reformatio praeferenda videtur multis concessionibus successivis quae praesertim apud clerum generant sensum relativismi. Usus linguae vernaculae desideratur pro Epistola et Evangelio, sed antea oportet eligere pericopas diversas pro singulis diebus omnium hebdomadarum.

Festa de ritu duplici minore vel maiore ad ritum simplicem redigantur. Cum eo ipso multiplicaretur Officium Beatae Mariae Virginis in sabbato, suppressio quorundam festorum Beatae Mariae Virginis opportuna videtur; item pro quibusdam festis Domini Nostri — Sanctissimi Nominis Iesu, Pretiosissimi Sanguinis, Transfigurationis —.

Revisio fiet de litaniis lauretanis ut sint omnibus intelligibiles.

Suppressio precum Leonis XIII post missam. Si oporteat aliquid servare pro Russia, ad instar mutationis orationis « Sacrosanctae » in antiphonam Beatae Mariae Virginis, tribuatur intentio ultimo Evangelio.

Fimbriam sacrae purpurae deosculans me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae humillimum famulum.

✠ MAXIMILIANUS DE FURSTENBERG
Archiepiscopus tit. Paltenus
Internuntius Ap. in Iaponia

12

Exc.mi P. D. LUDOVICI P. DURAND
Episcopi tit. Girensis

Tokyo, die 10 augusti 1959

Eminentissime Domine,

A primo nuntio futuri Concilii Oecumenici valde gavisus sum et statim, magno corde, orationes et labores infirmitatis meae Deo offerre ad hoc incoepi.

Pergrata mihi fuit invitatio ad consilia et vota exponenda, tamen, consilio virorum ecclesiasticorum accepto, quia aetate provectus et infirmus, precibus mihi magis quam consiliis Ven. Confratribus adiuvandum esse videtur.

✠ Ludovicus P. Durand, O. F. M.
Episcopus tit. Girensis

13

Exc.mi P. D. IOANNIS ROSS
Episcopi tit. Tabaleni

Ex urbe Tokyo, die 15 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Maximas hisce gratias agere velim de eo quod Em.a V.a dignata est mihi dare occasionem libere proponendi pro deliberatione Patrum Concilii pauca quae mihi iam diu curae sunt.

Ut verum dicam, expectaveram tale quid eventurum esse. Qua de causa decursu sex vel septem mensium ex quo Sanctitas Sua Concilium Oecumenicum annuntiavit, varia capita notavi, quae tempore opportuno auctoritatibus competentibus submitterem. Haec omnia nunc hisce, desiderio Em.ae V.ae obsecundans, transmitto sperans fore ut quae scripsi digna putentur consideratione Commissionis Antepraeparatoriae.

Quidquid fit de his suggestionibus, censerem me defecisse a fide in me posita, nisi usus essem libertate mihi tam generose data dicendi id quod sentio. Ceterum multum orare studebo pro optato successu Con-

cilii, ut Ecclesia quae semper et ubique ad mentem — si ita loqui fas est — Divini sui Fundatoris debet esse « Sal terrae et Lux mundi » se probet dignam hac missione tam sublimi simul ac tremenda, quae est nec plus nec minus quam continuare per saecula et perducere ad faustum finem *Divinum Opus Redemptoris.*

Em.ae V.ae purpuram exosculans
✠ IOANNES ROSS, S. I.
Episcopus tit. Tabalenus

I

Pro omnibus muneribus ecclesiasticis quae secum ferunt decisiones alicuius momenti statuatur *limes aetatis,* quem adeptus incumbens teneatur munere abdicare, eo sensu ut scripto se paratum declaret ad cedendum locum suum alteri, nisi auctoritates competentes iudicent in Domino Ecclesiae bonum postulare ut pergat fungi munere suo donec abdicatio oblata acceptetur.

Ratio est quia constat experientia innumeris vicibus repetita, etiam viros optime meritos in senectute corpore et animo debiliores fieri quam ut *apte* ultimam auctoritatem exercere possint in suo ambitu. In saeculo secundum hanc experientiam limes aetatis praescriptus est pro omnibus muneribus publicis, et quando abhinc paucos annos Summus Pontifex Pius Papa XII permisit ut experti in hac re examinarent « efficientiam » administrationis Ecclesiae, illi viri praecise « superannuitatem » Praefectorum variarum divisionum administrationis ecclesiasticae declaraverunt fontem alicuius « inefficientiae » quam invenerant, non obstante summa laude quam tribuerunt administrationi generali.

Neque quidquam obstat ex institutione divina. Plurima enim munera ecclesiastica sunt mere institutionis ecclesiasticae, et etiam pauca illa quae sunt institutionis divinae, ut primatus et episcopatus, non sunt iuris divini nisi quoad substantiam, non quoad personam. Unde, teste historia, persona quae teneret eiusmodi munus, aliis temporibus aliis modis determinabatur. Neque est cur persona semel constituta maneat in officio usque ad mortem. Ecclesia quae habet ius determinandi personam, etiam habet ius determinandi tempus quousque persona sic determinata in officio maneat.

II

Reinstituantur in Ecclesia diaconi mariti quibus committatur Administratio ut est distincta a Ministerio Sacro proprie dicto, i. e. a collatione Sacramentorum.

Ratio est: 1) quia administratio (includendo omnes activitates paroeciales extrasacramentales, organisationes, registrationes, scholas dominicales, etc.) insumit tantum tempus ut parocho et vicariis non remaneat tempus ad exercendum primarium officium suum, i. e. pastoris;

2) quia sic aperiretur via ad conversionem maritorum ministrorum Protestantium, qui impediuntur ne sequantur vocem conscientiae cura inevitabili pro familia sua;

3) quia ad tale munus non requireretur studium tam longum et tam difficile quam ad sacerdotium.

III

Revideantur, nisi possint abrogari, *Index librorum prohibitorum* et *uterque Syllabus Summ. Pontif. Pii IX et Pii X.*

Ratio quoad Indicem est quia:

1) de facto a plurimis ignoratur;

2) amisit vim deterrentem etiam pro iis qui norunt, exceptis scrupulose inclinatis qui minime indigent hac legislatione;

3) haec legislatio imprimis respicit conditiones certorum temporum et locorum, cum aliis temporibus et locis non ita adaptetur.

Ratio quoad utrumque Syllabum est: fere eadem atque ea quae modo indicata est pro Indice, numero tertio.

Revisio desideratur talis ut Index et uterque Syllabus statis temporibus, e. gr. quinto quoque anno re-examinetur et ea omnia deleantur quae iam non habent « actualitatem ».

Porro detur facultas permittendi lectionem librorum prohibitorum omnibus sacerdotibus curam animarum exercentibus utpote qui *soli* possint iudicare in singulis casibus.

Praeterea frequentius et instantius inculcetur ab omnibus curam animarum exercentibus lex naturalis prohibens ne quis sine ratione proportionate gravi se exponat periculis fidei et morum, quae non raro latent in libris omnis generis.

Nonne fieri posset simile quid atque in re cinematographica, ita ut in singulis terris statuantur censores officiales quorum sit iudicare de valore vel non-valore librorum noviter apparentium, quae decisiones dein in foliis officialibus uniuscuiusque dioeceseos publicentur?

Neque est cur iudicium semel datum postea, circumstantiis etc. mutatis, non modificetur, corrigatur, revocetur; nam « errare humanum est », et in his rebus nullo modo quaestio est de infallibili magisterio Ecclesiae vel Summi Pontificis. Non agitur nisi de rebus et iudiciis mere et pure humanis.

IV

Resecentur ad minimum *poenae ecclesiasticae, censurae, casus reservati.*

Ratio est quia:

1) non iam deterrent homines ab illis peccatis;

2) onus absolutionem obtinendi non cadit in poenitentem sed in confessarium, nisi omnes casus reservati etc. abrogentur, id quod censeo esse maxime optandum respectu habito ad curam animarum, quae tandem est ultima ratio poenarum, censurarum, reservationum.

V

Suspendantur pro terris missionum *illae dispositiones positivae Codicis Iuris Canonici* quae sunt mere iuris ecclesiastici, non iuris divini vel naturalis, ita tamen ut missionarii semper prae oculis habeant *finem appetendum,* qui est ut terrae missionum decursu temporis et suppositis supponendis, aequiparentur terris iam a saeculis christianis.

Ratio est quia: quae sunt adiumenta saepe indispensabilia pro Ecclesia in facto esse, non raro sunt impedimenta pro Ecclesia in fieri. Talia sunt e. gr. non pauca ex legibus matrimonialibus, obligatio sub gravi audiendi missam diebus dominicis et festis, leges circa ieiunium et abstinentiam. Non habent, neque habere possunt neoconversi sufficientem notitiam auctoritatis Ecclesiae talia statuendi, praecise quia sunt christiani in fieri et non in facto esse. *C.I.C.* autem respicit christianos in facto esse.

Ne forte quis putet has esse ideas viri rerum novarum cupidi, hic haec addere velim.

Iterum atque iterum decursu horum triginta annorum et supra miratus sum et etiam nunc miror cur missionariis modernis non detur eadem libertas atque missionariis antiquitatis, quamquam utrobique idem finis attingendus erat vel est. Hic finis erat et est: Mundum paganum Christo lucrifacere. Antiqui hunc finem in *suo* mundo pagano assecuti sunt, non quidem unice, sed magna ex parte propterea quod tunc temporis nondum extabant leges illae positivae de quibus hic agitur. E contra, missionarii moderni *suum* mundum paganum Christo non lucrifaciunt, non quidem unice, sed magna ex parte propterea quod his legibus impediuntur.

Detur igitur missionariis modernis eadem libertas qua gaudebant antiqui, et sperare licet fore ut Deo adiuvante cum eodem vel simili successu munere suo fungantur atque antiqui.

VI

Detur maior libertas adaptandi Calendarium necessitatibus vel utilitatibus localibus dioeceseos, terrae, ordinis religiosi, etc.

Ratio est quia: Festa multorum sanctorum, praesertim antiquitatis, parum habent inspirationis pro hominibus modernis, qui e contra multorum iuvarentur cultu sanctorum modernorum, praesertim terrae vel regionis propriae.

VII

Salvo Primatu iurisdictionis Summi Pontificis *decentralizetur potestas executiva* quae ultimis his saeculis sensim sine sensu supercentralizata est.

Ita ut Episcopis largior responsabilitas relinquatur in suis dioecesibus regendis.

Eiusmodi decentralizatio desideratur, ni fallor, ab episcopis regionum maxime dissitarum, id quod probare videtur non agi de « fame potestatis » paucorum, sed de indebita limitatione responsabilitatis eorum qui tamquam successores Apostolorum gaudent plenitudine sacerdotii.

In saeculo atque etiam in ordinibus religiosis certum signum boni superioris est: inferioribus officialibus dare partem in ultima responsabilitate, quin sibi reservet decisiones quarum officiales sunt competentes.

Eligantur igitur ad munus episcopi viri probatae fidei et sincerae devotionis erga Sanctam Sedem, sed tunc detur eis ea auctoritas et potestas quae postulat et de facto evocat optimum quodque quod in eis latet. Hic quoque valet notum illud dictum Germanicum: « Es wächst der Mensch mit seinen höheren Zielen ».

In specie loquor de recursu in non paucis casibus praescripto ad auctoritates Romanas, quae, si prudenter agere velint, non possunt quin referant rem ad ipsum postulatorem, utpote qui solus noverit omnes circumstantias scitu necessarias ad ferendum iustum iudicium.

Etiam in hac re ob mentem versatur quod ab initio suscepti muneris episcopalis sensi et etiam nunc sentio.

Restringantur Delegati Apostolici in terris missionum *ad munus Delegati,* quod secundum *C.I.C.* can. 267 est « advigilare in Ecclesiarum statum et de eodem Romanum Pontificem certiorem reddere », *non vero regere* dioeceses supra capita Antistitum. Quodsi Delegatus habeat praeterea alias facultates delegatas, hae clare indicentur Ordinariis respectivis, ne ansa praebeatur Delegato se immiscendi in regimen dioecesium.

Ratio principalis huius petitionis est, quia Delegatus suo munere non fungitur nisi ad tempus, unde nescit, neque scire potest, situationem

existentem ut sciri deberet, nisi forte post plures annos, fere versus finem suae in regione commorationis. Porro, paucissimis exceptis, nesciunt Delegati linguam sui territorii, unde non possunt legere ephemerides et periodica, quae tamen reflectunt mentem, sensus, etc. populi. Propterea dependent in suis aestimationibus et iudiciis a paucis quorum auctoritas et integritas non semper est omni exceptione maior. Et ita porro.

Hoc etiam notare velim: si Legatus Summi Pontificis sit Nuntius vel Internuntius, clare distinguatur inter haec duo munera: unum mere ecclesiasticum sensu stricto, i. e. in ultima analysi *religiosum,* alterum vero *diplomaticum* i. e. politicum, cuius est cura relationum inter « Città del Vaticano » tamquam ens politicum, et Gubernium terrae respectivae.

Ut dicam quod ex multis annis sentio: saepe mihi praestare visum est committere munus Delegati Metropolitano archidioeceseos primariae, qui habet intimam notitiam status Ecclesiae in sua terra, qui potest consulere viros competentes quos novit fide dignos et integros, qui habet accessum directum ad opinionem publicam, tendentias actuales vel latentes, etc., praecise quia est indigena vel saltem per longum tempus ut missionarius ibi commoratus est. Detur ei pro functionibus ordinariis quae dicuntur « routine work » unus alterve Episcopus Auxiliaris, sumendus potius « honoris causa » ex clero dioecesano, bene meritus sed aetatis provectioris, ut ipse Antistes possit vere *regere* suam Ecclesiam et authentice certiorem reddere Summum Pontificem vel S. C. de Propaganda Fide de statu Ecclesiae in sua terra vel regione.

✠ MICHAËL RODRIGUES
Episcopus Belgaumensis

INDIA

1

Exc.mi P. D. EDUARDI PINTO

Episcopi Ahmedabadensis (Ahmedabad)

Die, 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Nuntium de proxima a Beatissimo Papa nostro Concilii Oecumenici convocatione magna nos laetitia implevit. Commissio Antepraeparatoria Concilii cui Eminentia Vestra dignissime praeest iam actioni vacare coepit, quo firma spes nobis datur fore ut Concilium non longe celebrari incipiat. Faxit Deus ut Concilium tam Ecclesiae quam omnibus his qui in ea et extra eam lumen et directionem ab ea petunt, uberrimum unionis et caritatis fructum afferat.

Quotidiana et specialia in territoriis Missionum problemata totum fere Ordinarii tempus sumunt, nec facile nobis est longe distantibus a centris illis Catholicis ubi universaliora et maioris significationis negotia pertractantur, haec minutatim persequi. Quo fit ut progressum in disquisitionibus rerum circa doctrinam, liturgiam et disciplinam ad Ecclesiam universalem pertinentium non nisi generali quodam modo persequi possimus. Pauca vero sunt nostri territorii peculiaria problemata quae per ordinarium ad Sacras Congregationes recursum solvi nequeant. Re quidem vera, quoties particulare quoddam problema exurgit, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide recursum facimus, nec innixa in hanc Sacram Congregationem pro inspiratione et directione spes umquam nos fefellit.

Heic tamen aliqua proponere libeat, si forte talia sint quae advenientis Concilii Oecumenici consideratione digna iudicentur:

1. Attentis urgentissimis in locis missionum laboribus temporisque inopia in ministerio apostolico, doctrinali, sociali etc., id nobis utilissimum et valde opportunum, etsi non absolute necessarium videtur, si Divini Officii seu Breviarii pensum diurnum simplicius et brevius et uniforme durationis efficiatur. De hac re suggestiones invitatae sunt a Sacra Congregatione Rituum mense maio anni 1956, placuitque minutas suggestiones circa « Breviarii Reformationem » per Eminentissimi Cardinalem Archepiscopum Bombayensem mittere.

2. Gratissimum foret si, in missionum locis, pro administratione ali-

quorum Sacramentorum et in ritibus Benedictionum et Consecrationum breviores formulae adhiberi possent; ut, e. g. *a*) brevior ritus pro Baptismo adultorum, praesertim cum nonnulli simul baptizari debent, ut saepe accidit in territoriis Missionum, et similiter *b*) brevior Formula pro altarium et ecclesiarum benedictione et praesertim Consecratione.

3. Frequentior in Liturgia linguae vernaculae usus desideratur in territoriis missionum, praesertim ubi lingua latina nihil habet in communi cum linguis vernaculis, contra ac videre licet in pluribus linguis Europaeis. Ita, e. g. pergratum foret si cantus hymnorum in lingua vernacula permitteretur praesertim in Offertorio et Communione durantibus Missis Cantatis, et hoc non ut privilegium sed ex lege communi.

4. Utilissimum nobisque gratissimum erit si Scholasticis et Fratribus Laicis vel Sororibus privilegium concedatur ut Sacram Synaxim in missionum stationibus recipere possint, ubi unus tantum sacerdos residet, isque pro fidelium in dissitis pagis degentium visitatione et ministratione aliquibus diebus absens remanere debet. Audivimus, etsi de hac re officiale quodlibet documentum invenire nequivimus, hoc privilegium quibusdam Sororibus in missionibus Americae Septentrionalis concessum esse, ubi Superiorissae Religiosae propriis subditis Communionem Sacram distribuere permittitur.

5. Sensus et doctrina circa malum tam late propagatum Onanismi — « Birth Control » — sufficienter nota sunt; opportunum tamen videtur, ut occasione Concilii Oecumenici officialis declaratio de malitia huius mali hodierni irrefutabilibus theologicis rationibus fundata promulgaretur.

6. Gubernia civilia magis ac magis hodie propensa sunt considerare omnia bona ecclesiastica — tam mobilia quam immobilia — ut bona quaedam fiducialia publica, vulgo « Public Trust Property ». Hanc agendi rationem fulciri contendunt probatis Iuris Canonici commentariis. Perutile foret si canones Iuris Canonici de hac re agentes ita perspicue enuncientur, ut clarius appareat num bona ecclesiastica, tam dioecesana quam ecclesiis, paroeciis et similibus institutionibus pertinentia, bonis fiducialibus — « Public Trusts » — sensu civili aequiparari possint necne.

Haec sunt de quibus scribere occurrit ut possibilia considerationis puncta pro adveniente Oecumenico Concilio. Alii in India Ordinarii non pauci, ni fallor, similiter de his materiis sentire videntur.

Quae par est observantia et aestimatione Eminentiae Vestrae Reverendissimae me profiteor

Servum in Christo addictissimum
✠ EDUARDUS PINTO, S. I.
Episcopus Ahmedabadensis

2

Exc.mi P. D. LEONIS D'MELLO

Episcopi Aimerensis et Iaipurensis (Ajmer-Iaipur)

Die, 21 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Velis excusare negligentiam meam in mittendis animadversionibus, votis et consiliis pro futuro Concilio Oecumenico, requisitis a Litteris Vestris ad nos missis die 18 iunii, 1959.

Sed quaedam consilia et vota, una cum Ordinariis Provinciae Madhya-Pradesh (India), misimus.

Porro sequentia adiungo:

1. Ut preces dicendae ad sumenda vestimenta ante Missam Pontificalem recitentur domi priusquam ad Ecclesiam progreditur.

2. Ut osculus anuli episcopalis in distributione S. Communionis semper omittatur.

3. Ut Bulla Nominationis Episcopi a S. Sede missa sit etiam in Lingua Anglica (ubi haec praevalet), et in ritu Consecrationis haec sola translatio legatur. In vita et ordine civili haec Bulla (in lingua Anglica) identidem usu venit.

Spero haec pauca sufficere.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae
add.mum
✠ Leo D'Mello
Episcopus Aimerensis et Iaipurensis

3

Exc.mi P. D. THOMAE POTHACAMURY

Archiepiscopi Bangalorensis (Bangalore)

Die 27 ugusti 1959

Eminentissime Domine,

Placet mihi Commissioni Praeparatoriae Pro Concilio Oecumenico in responsione litteris Prot. N. 1 C/59-189 ab Eminentia Vestra datis die 18 iunii 1959 communicare haec sequentia:

I. *Circa quaedam doctrinae capita*

a) Formales definitiones optantur:

1. Maria Socia Redemptionis.
2. Universalis Mediatio Caelestis Mariae.
3. Corpus Mysticum Christi.

b) Clarificatio desideratur circa haec puncta theologica:

1. Quomodo Christus determinaverit materiam et formam Sacramentorum et utrum competat Ecclesiae ea mutare et quanam mensura.
2. Quaenam sit natura potestatis sacerdotis quoad Sacramentum Confirmationis.
3. Utrum necesse sit ut quis recipiat ordinem inferiorem ad valide recipiendum ordinem superiorem, v. g. diaconatus antequam quis ad presbyteratum promoveatur.
4. Utrum valida sit confessio per telephonium facta.
5. Utrum auditio missae per televisionem sufficiat ad adimpletionem praecepti dominicalis.
6. Utrum schismatici considerari possint ut formaliter haeretici post definitionem dogmaticam Primatus Romani Pontificis.
7. Utrum liceat aliquod membrum transplantare a persona *vivente,* v. g. utrum liceat implantare alicui visu carenti oculum a persona vivente desumptum.
8. Utrum semen a testiculis productum (zoospermata) necessarium sit iure divino ad essentiam matrimonii? (Opinio affirmativa communissima fuit per tria saecula et S. Romana Rota eam secuta est. Sed recentius graves auctores hanc opinionem impugnant et solidis rationibus opinionem contrariam probant.

II. *Circa disciplinam cleri et populi christiani*

1. Utrum consultatio de qua in can. 105 necessaria sit ad validitatem actus. In iure Ecclesiae Orientalis requiritur ad validitatem actus (can. 35, § 1, n. 2). Apud Latinos controvertitur.
2. In quo praecise consistat « error communis » cum doctores inter se de hac re non conveniant (can. 209).
3. Abrogatio regulae in can. 524 statutae confessarium monialium debere esse 40 annos natum. Ad episcopatum Codex requirit tringinta tantum et cur quadraginta pro confessariis religiosarum?
4. Simplificatio investigationum praenuptialium et aliarum formalitatum ad matrimonium contrahendum.

5. Quisnam metus requiratur et sufficiat ad invalidandum consensum matrimoniale?

6. Quid requiratur ut aliquod crimen vocari possit « publicum » cum hac de re adsit magna controversia. Utrum verbum « publicum » intelligendum sit iuxta can. 1037 vel can. 2197, n. 1.

7. Extensio facultatis parocho concessae circa dispensationem impedimentorum matrimonialium etiam ad vicarios cooperatores ut in can. 34, § 1 Codicis pro Ecclesia Orientali.

8. Explanatio verbi « opus servile » quod prohibetur die Dominica.

9. Permissio concedenda utendi lingua vernacula pro Missa catechumenorum.

10. Verbum « Missa privata » omnino abolendum cum omnis Missa sit ex se sacrificium publicum.

11. Acceleratio revisionis breviarii et expurgatio lectionum historicarum secundi nocturni.

12. Extensio privilegii « Missae vespertinae » in commodum sacerdotis.

13. Reinstitutio diaconorum laicorum.

14. Melior explanatio principiorum socialium et eorum applicatio relationibus internationalibus.

III. *Circa Liturgiam Sacram*

1. Novae Missae desiderantur:
   a) Pro vocationibus ad sacerdotium promovendis;
   b) Pro sanctitate familiarum;
   c) Pro felici exitu conatuum oecumenicorum.

2. Ut Missa « Pro aeterno sacerdotio » celebrari possit die ordinationis.

3. Melior selectio fiat ex libris sacris pro Epistolis et Evangeliis anni liturgici.

IV. *Circa « caeteras omnes res, quas Excellentiae Tuae exponere et enucleare visum fuerit »*.

Liceat mihi addere supra expositis haec tria puncta:

1. Intimior cooperatio cleri regularis cum Ordinario loci in bonum Ecclesiae. Idem dicendum de monialibus quae in nostris regionibus laborant.

2. Normae practicae stabiliendae sunt in India ne ex diversitate ri-

tuum rixae oriantur inter catholicos et eorum ministros. Sedi Apostolicae compertum est catholicos ritus siro-malabarensis et siro-malankarensis vivere non tantum in regione sibi propria (Kerala) sed etiam aliis in regionibus Indiae. Cuius problematis solutio nobis non videtur optima institutio « duplicis iurisdictionis » in quibusdam dioecesibus Indiae quae iam decreta fuit anno 1955.

3. Problema educationis pro pueris catholicis est valde acutum. Cum magna pars catholicorum nostrorum sunt pauperes, accessus eis fit difficilis in scholas propter difficultates oeconomicas.

Optandum est ut Sancta Sedes quasdam instructiones det omnibus Religiosis Familiis quae scholas in his regionibus conducunt. Nulli puero catholico admissio deneganda est in schola catholica sub praetextu paupertatis. Obligationi quae parentibus imponitur mittendi pueros ad scholas catholicas respondet, iudicio nostro, officium quod incumbit auctoritati ecclesiasticae praebendi opportunitates parentibus ut officium suum adimplere queant. Proh dolor, hoc non semper in praxim ducitur in nostris regionibus. Multis iuvenibus accessus in scholas et collegia universitaria impossibilis evadit propter difficultates oeconomicas. Unde fit ut maioritas alumnorum scholarum catholicarum quae *high schools* vocantur et collegiorum catholicorum sint acatholici.
Cui incommodo remedium aliquod ex toto corde desideramus. Aliqua norma uniformis est adhibenda in omnibus dioecesibus quae est observanda non tantum a scholis quae vocantur paroeciales vel dioecesanae sed etiam a religiosis qui scholas conducunt et gaudent statuto iuris pontificii.

Haec sunt, Eminentissime Domine, quae nobis visa sunt exponere Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico.

Omnia fausta a Domino Eminentiae Vestrae adprecans,

Eminentiae Vestrae
add.mus

✠ Thomas Pothacamury
Archiepiscopus Bangalorensis

4

Ex.mi P. D. MICHAELIS RODRIGUES
Episcopi Belgaumensis (Belgaum)

Belgaum, 11 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Recepi invitationem Eminentiae Vestrae communicandi Pontificiae commissioni Antepraeparatoriae animadversiones circa res quae in futuro Concilio tractari possunt. Pauca tantum liceat notare.

In re dogmatica, proderit continuare explicationem doctrinae de Ecclesia, non solum secundum aspectus iuridicos, quod partim saltem factum est Concilio Vaticano Primo, sed etiam quoad naturam Ecclesiae ut populi Dei et Corporis Christi Mystici. Item statuere iuvabit accuratius relationem inter Primatum et Episcopatum, seu inter Ecclesiam universalem et localem.

In iure canonico simplificatio appetatur maxime in iure poenali.

Quoad liturgiam, optandum esset ut leges actu vigentes, quae plurimis decretis dispersae sunt, ad modum codicis in unitatem cohaerentem redigantur.

In solemni liturgia sensus actionis liturgicae clarius appareat nec caeremoniis quae difficile intelliguntur obscuretur. Reverentia potius erga rem sacram quam erga ministros liturgicos exhibeatur, unde minuatur numerus osculorum manuum, genuflexionum ad personas, etc.

Eminentiae Vestrae humillimus et addictissimus

✠ Michaël Rodriguez
Episcopus Belgaumensis

5

Exc.mi P. D. IOANNIS F. HOGAN
Episcopi Bellaryensis (Bellary)

29 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratum mihi est Pontificiae Commissioni pro Concilio Oecumenico quasdam animadversiones communicare circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Fausta quaeque a Deo O. M. rogans adprecans pro Concilii felicissimo exitu, me profiteor

Eminentiae Vestrae
humillimus in Christo servus
✠ Ioannes F. Hogan
Episcopus Bellaryensis

De Ecclesia Christi

1. *Ut doctrina de Ecclesia Christi* proponatur non solum secundum structuram iuridicam, sed secundum Eius naturam: quatenus est populus Dei et Corpus Christi Mysticum.

2. *Ut munus Episcopi* relate ad munus Pontificis clarius definiatur, et ita relatio Ecclesiae localis ad universam Ecclesiam elucidetur.

De formatione clericorum

In formatione Sacerdotum magis attendatur ad differentiam formationis academicae et institutionis professionalis. Determinatus gradus academicus, et hinc scientia sufficiens theoretica, pro omnibus requiratur. Simul vero insistendum est magis in institutione practica, scl: pastorali, catechetica, liturgica, homiletica, sociali, etc.: Nemo ordinetur sacerdos quin per aliquod tempus in operibus pastoralibus exercitus sit.

De unitate fovenda in iurisdictione

Ad unitatem tam fidelium quam cleri magis fovendam, expedire videtur ut unitas Ecclesiae localis etiam per unitatem capitis iuridici, scl:

unici Episcopi in una regione manifestatur. Hinc duplex vel triplex iurisdictio qua fideles eiusdem regionis pro diversitate rituum diversis Episcopis subsunt iam non permittatur.

De liturgia et textibus sacris

1. Ad intimiorem participationem fidelium tam in Sacrificio Missae quam in susceptione Sacramentorum et Sacramentalium fovendam, oportet ut ipsi fideles ritum et verba melius intelligant; quapropter edantur normae quaedam ac decreta pro usu linguarum modernarum in hisce sacris actionibus.

2. Ut Clerici omnes assidue unitatem servent in Rubricis Liturgiae, expedit ut multiplicia decreta S. Congregationis Rituum ad modum codicis in unum redigantur.

✠ IOANNES FOREST HOGAN
Episcopus Bellaryensis

6

EM.MI P. D. VALERIANI CARD. GRACIAS
Archiepiscopi Bombayensis (Bombay)

17 augusti 1959

Eminentissime Domine,

1. In votis est ut Concilium Oecumenicum perficiat doctrinam de Ecclesia inceptam a Concilio Vaticano; in specie ut auctoritative exponat doctrinam de natura episcopatus quoad potestatem ordinis et quoad potestatem iurisdictionis; atque positive statuat quaenam sit in concreto Episcoporum relatio ad Summum Pontificem, et quaenam sit quoad potestatem ordinis differentia inter episcopatum et presbyteratum.

2. Ut, exposita doctrina de Ecclesia ut est Corpus Mysticum Christi, statuat quinam sint membra Corporis Mystici Christi et Ecclesiae; in specie quonam modo possint pertinere ad Ecclesiam Christiani non-Catholici et non-Christiani; itaque quonam sensu audiendum sit assertum « Extra Ecclesiam nulla salus ».

3. Ut doceat quaenam sit relatio inter S. Scripturam et Traditionem ut fontes revelationis.

4. Suggeritur ut in facie errorum modernorum circa notionem et naturam peccati mortalis et ad restaurandum inter fideles « sensum pec-

cati », Concilium iterum proponat, modo temporibus nostris accomodato, doctrinam traditionalem de peccato mortali.

5. Ut Concilium iterum doceat sanctitatem matrimonii cum respectu ad falsas hodiernas theorias et ad abusus vitae matrimonialis.

6. Ut Concilium statuat obligationes morales quae incumbunt Statibus et Nationibus coram problemate populationis terrestris.

7. Ut Diaconatus, subdiaconatus et ordines minores, qui in praesenti Ecclesiae usu ad meras fere formalitates reducuntur, neque veras in Ecclesiae functiones constituunt, restaurentur ut functiones permanentes, ad pleniorem restaurationem liturgicam.

8. Ut status laicorum et eorum munus in Ecclesia magis positive exponatur.

9. Suggeritur ut ex experientia Patrum Concilium proponat modum efficaciorem procedendi pro SS. Congregationibus Romanis. In specie ne multiplicentur decreta et instructiones, et in iis ne descendatur ad minima ordinanda quae melius statuenda relinquerentur auctoritati Ordinariorum secundum conditiones variarum regionum. Ordinarii illi forte collegialiter procedere possent. Neve tot relationes, folia statistica, et responsa ad innumeras quaestiones exquirantur. Nimium tempus his tribuitur quod melius et fructuosius in apostolatum impendi potest.

10. Proponitur ut Concilium consideret et statuat requisita ad meliorem selectionem condidatorum ad statum clericalem et ad solidiorem formationem eorum ante ordinationem sacerdotalem. In specie ut consideret reorganizationem studiorum clericorum ita ut magis adaptentur condicionibus et necessitatibus temporum et locorum ac muneris pastoralis, et ut clerici etiam humaniori cultu ornati sint in sua quisque patria.

11. Concilium fortiter inculcet omnes, fideles simul atque clericos, pro statu suo, obligari ut conscii sint et tamquam rem maioris momenti agnoscant statum religiosum acatholicorum in regione sua, christianorum simul ac achristianorum, et adlaborandi ut omnes ad veritatem Christi adducantur.

12. Encyclicae missionariae SS. Pontificium et directiones datae a S. Congregatione de Propaganda Fide perpulchre inculcant principia de adaptatione seu « acculturatione » missionaria. Multa autem quae pertinent ad vitam Ecclesiae et ad apostolatum in regionibus missionum pendent ab aliis SS. Congregationibus ut sunt S. S. C. S. Officii, S. C. SS. RR., etc. Hae Congregationes generatim leges ferunt et instructiones dant pro tota Ecclesia (saltem Ritus Latini) et principia adaptationis magna ex parte ignorare videntur. Inde in praxi illa « adaptatio » fit valde difficilis, in multis impossibilis, aut fit per modum « tolerantiae » vel secreto. Inde exoptatur ut Concilium consideret:

a) Quo modo haberi possit melior coordinatio et collaboratio inter varias Congregationes circa ea quae pertinent ad regiones missionum.

b) Possibilitatem habendi in SS. Congregationibus viros ex variis nationibus qui bene cognoscant modum cogitandi, sentiendi et agendi variorum populorum in missionibus, ita ut directiones et decreta SS. Congregationum nihil imponant quod sit contra laudabiles consuetudines horum populorum.

c) Et examinet utilitatem immo et necessitatem adaptandi in variis regionibus, praesertim Asiae et Africae, ritus, caeremonias et praxes religiosas ad cultum et consuetudines variorum populorum, ne propter rationem merae uniformitatis in illis accessoriis imponantur illis populis quae iis repugnant vel ab iis ut minus apta aut decentia ad usum religiosum habentur.

13. Suggeritur ut Concilium examinet possibilitatem habendi unicum codicem iuris canonici communem Ecclesiis Latinae et Orientalibus, et quidem ad simpliciorem formam redactum, in specie quoad iurisdictionem pro confessionibus, circa iudicia ecclesiastica et circa delicta et poenas.

14. Lex de prohibitione librorum valde inefficax est et non servatur. Ratio est praesertim difficultas obtinendi licentiam legendi libros prohibitos. Haec licentia ab Ordinario petenda est: qui eam admodum parce dare potest, qui generatim petentem non cognoscit et de necessitate allegata iudicare nequit. Et quis simplex fidelis ad Ordinarium scribet! Suggeritur ut Patres Concilii ex communi experientia proponant meliorem formulationem legis et ut facultas concedendi licentiam legendi libros iure prohibitos tribuatur confessariis.

Interim Eminentiae Tuae manus humillime deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum et dev.mum servum verum

✠ VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Epistolam die 17 augusti a me datam, qua Pontificiae Commissioni animadversiones quasdam proponebam complere cupiens alias has novas per benignitatem tuam illis adiungere velim.

I. Fides

A) *Formaliter definienda*:

1. Maria Socia Redemptionis.
2. Universalis Mediatio Caelestis Mariae.
3. Corpus Mysticum Christi.

B) *Explicanda*:

1. Quo modo Christus Dominus materiam et formam sacramentorum determinavit? Quousque se extendit potestas Ecclesiae eas mutandi?

2. Quaenam est natura potestatis vi cuius sacerdos administrat sacramentum Confirmationis?

3. Requiriturne susceptio ordinis inferioris ut valide recipiatur ordo superior: v. gr. sacerdotium ut quis episcopus fiat?

4. Estne confessio per telephonium valida?

II. Mores

A) *Transplantatio organorum*:

Licetne inserere alicui organa sumpta e corpore viventis, v. gr., oculum? Quaestio de transplantatione e corpore mortui a Pio XII decisa est (cf. *A. A. S.,* 1956, 459).

B) *Impotentia*:

Suntne zoospermata, seu semen a testiculis productum, Lege divina necessaria ad potentiam generandi? (Opinio affirmans fuit communior hisce postremis tribus saeculis et a Rota Romana tenetur; tamen a quibusdam modernis auctoribus negatur, non sine validis rationibus).

III. Disciplina

A) *Codex Iuris Latinus*:

Cum Concilium Oecumenicum annuntiavit Summus Pontifex haec duo facienda edixit: et promulgationem integri Codicis Orientalium et renovationem Codicis Latinorum. Huic Codici Latino incorporari poterunt non solum ea capita disciplinae quae ob nova Sanctae Sedis decreta mutata sunt — v. gr. administratio confirmationis a sacerdote; ieiunium eucharisticum et similia — sed etiam interpretationes canonum authenticae hucusque latae, et puncta principaliora ex instructionibus a Romanis Pontificibus post Codicem datis. En quaedam materiae de re canonica quae explicationem desiderant:

1. *Error communis.* De sensu « erroris communis » in can. 209. Sufficitne « error iuris » an requiritur etiam « error facti »?

2. *Omissio Consultationis.* De sensu can. 109, § 1, estne ille actus validus quem Superior ponit omissa consultatione a Iure praescripta, etiamsi potest ille contra sententiam consultorum agere? In Codice Orientalium talis actus est invalidus (cf. *De Personis,* can. 35 § 1, n. 2). In Iure Latino disputatur.

3. *Delictum Publicum.* In Codice Latino ea delicta quae sub Iudicio Criminali veniunt sunt Delicta Publica. Sed quid « publicum » hic significet disputatur: i. e., utrum intelligendum sit sensu can. 1037 an sensu can. 2197, n. 1.

4. *Consensus matrimonialis.* Estne invalidum iuxta can. 1087 illud matrimonium quod contrahitur metu vel vi incussis quidem iniuste sed non praecise ut obtineatur consensus? Acriter disputatur in Iure Latino. Codex Orientalium (*De Matrim.* can. 78 § 1) illud validum habet.

5. *Potestas Vicarii cooperatoris quoad impedimenta matrimonialia.* Potestas quam Parochus habet ex can. 1043 etiam vicario extendi deberet, prout fit in novo Codice Orientalium (*De Matrim.* can. 34, § 1).

B) *Reformanda in ministerio pastorali*:

Haec quidem certe inter urgentiores nostri temporis necessitates numeranda sunt. Hanc pastoralem sollicitudinem hodiernus Pontifex velut tesseram sui Pontificatus inculcat. Et recte quidem, nam « suprema lex in Ecclesia Christi est salus animarum ». Ideoque efficiendum est ut labor pastoralis facilior reddatur, tum leges quae illi nocent supprimendo, tum eas quae sint necessariae condendo. Inter alia poterunt a Concilio considerari quae sequuntur:

1. *Decentralizatio potestatis Curiae Romanae.* Verum est Romam, crescente Ecclesia Latina, debuisse in dies minuere potestatem singulorum episcoporum ut administratio efficacior evaderet et unitas disciplinae securior redderetur. Sed talis centralizatio magnum obstaculum activitati pastorali creavit, cum fecit necessarium ut ad Romam etiam pro minoribus rebus recurratur, v. gr., ut amoveatur Parochus, ad dispensationem de impedimentis matrimonialibus, etc. Aliunde cum nolit Roma, prudenter quidem, has res arbitrio singulorum episcoporum relinquere, sequens solutio proponitur:

Conferantur coetui episcoporum totius nationis vel regionis facultates quaedam quas nunc Curia Romana sibi reservat. Hoc quidem etiam favebit coordinationi illi inter clerum saecularem et regularem quae a Romano Pontifice exspectatur velut summum bonum quod Ecclesiae

Latinae Concilium tribuere potest (cf. *A.A.S.,* 1959, 380). Inter causas quae hodiernum defectum coordinationis produxerunt recensetur diversus animus quo Ordinarii Locorum afficiuntur erga religiosos in eorum dioecesibus laborantes. Ut huic noxae medeatur proponere velim ut ministeria pastoralia religiosorum etiam exemptorum, quamquam dependentia ab Ordinario Loci — ut nunc dependent —, subiciantur tamen auctoritati coetus nationalis episcoporum, ita ut relationes inter utrumque clerum sint in tota natione uniformes.

Haec decentralizatio efficiet ut Ecclesia Latina habeat disciplinam similiorem disciplinae Ecclesiae Orientalis quoad episcopos. Nam horum coetus — qui operaretur per comitatum cum Curia propria — corresponderet Patriarchae cum Synodo permanente, qui ampliam iurisdictionem habent super Metropolitas, Episcopos et fideles illius patriarchatus (cf. Codicem Orientalem, *De Personis,* can. 240-282).

2. *Clerus*:

a) *Divinum Officium.* Ab omnibus admittitur hodie sacerdotes non invenire tempus ut recitare possint Officium, ut debet, attente et devote (cf. *A.A.S.,* 1955, 218). Quid est cur Divinum Officium tot implicationibus scateat? Quid cur non sit semper eiusdem longitudinis, sed haec sit diversa diversis diebus hebdomadae? Longitudo posset uniformis esse, plus minus qualis habetur in magnis festis Ecclesiae ut sunt Resurrectio et Pentecostes.

b) *Missa vespertina.* Indultum Indiae datum posset extendi ita ut singulis sacerdotibus liceret sacrum privatim facere vespere, quotiescumque iusta et rationabili causa impeditis non potuerunt illud mane celebrare. Cur privetur — et Ecclesia — celebratione eucharistici sacrificii nulla ipsius sacerdotis culpa, sed solum quia vesper est? Missa vespertina et binatio multo facilius permitti deberent, dummodo per illas fideles, etiam pauci, iuvarentur: tempora mutantur et nunc multi sunt operarii qui regulariter noctibus in opificiis laborant.

c) *Praedicatio.* In catechesibus et sermonibus maior emphasis tribui deberet imitationi Christi et praxi caritatis et aliarum christianarum virtutum. Christianismus est potius ideale quod sequi et vivere debemus cum laetitia et alacritate, et non codex prohibitionum et perpetua mentis ad vitandum peccatum mortale contentio. Fundamenta Fidei rationabiliori modo fidelibus exponi deberet per Circulos Studii, Bibliothecas, scripta periodica, etc.

3. *Laici.* Maior participatio desideratur in vita Ecclesiae.

4. *Instituta Saecularia.* Eorum institutio promoveatur et clarius definiatur eorum status iuridicus eorumque relatio ad Ordinarium Loci.

5. *Participatio in Sacra Liturgia.* Quo optimo modo possunt laici intimius Missam et Sacramenta participare? Quo gradu linguae vernaculae permitti possunt in Liturgia Latina? Participatio in Missa facilior reddi deberet ope Radii et Televisionis iis qui infirmi sunt vel qui intra domus ambitum se continere debent.

6. *Lectio Sacrae Scripturae domi.* Promoveatur quotitiana lectio sacrarum Scripturarum, praesertim Novi Testamenti in domibus catholicorum. Hoc maxime cordi est Romano Pontifici.

7. *Sanctificatio diei Dominici.* Spiritus legis quae vetat laborem servilem diebus dominicis est ut fideles amplius tempus habeant ad orationem et ad cultum divinum. At lex prout nunc habetur talem finem minime obtinet. Quoad prohibitionem laboris servilis magis considerari deberet finis operantis quam finis operis: nam hodie moralistae permittunt machina scribere diebus dominicis etiamsi hoc fiat ob pecuniam, et tamen vestes suere vetant.

8. *Ieiunium et abstinentia.* Leges de ieiunio et abstinentia penitus reficiendae sunt. Hodie finem intentum non obtinent, sed tantum bonae sunt quatenus « virtus peccati ». Ieiunium quoddam relativum ubique imponi posset, simul serio fideles admonendo ut nihil amplius manducent quam quod absolute requiratur ut unusquisque die ieiunii labores ad quos tenetur exsequi possit. Non solum in India sed in aliis nationibus in Oriente positis, abstinere a carnibus non consideratur generatim magna paenitentia.

C) *Problemata ex diversitate rituum*:

Mens Sanctae Sedis quoad diversos ritus in Ecclesia est ut hi omnes omnino integri serventur et reiciatur idea illa iuxta quam « Ecclesia Latina » idem esset ac « Ecclesia Catholica », ita ut detur unicuique suum. Quoniam Sancta Sedes rigidam illam applicationem can. 9 Concilii Lateranensis IV, prohibentis duplicem iurisdictionem in eodem territorio iam intermisit, opportunum erit ut Concilium regulas condat quibus occasiones offensionis inter diversos Ritus minuantur. Novus Codex Orientalium inculcat caritatem et coordinationem inter episcopos diversorum Rituum. At praecipuum est ut clerici educentur in vero spiritu quo Ecclesia vult ut diversitas Rituum spectetur, et doceantur quomodo eiusmodi Ritus augeant puchritudinem Sanctae Matris Ecclesiae. Delegatus Apostolicus in singulis nationibus deberet facultatem specialem habere ad solvendas difficultates quae in suo territorio inter episcopos Rituum diversorum exoriri possent. Et in nationibus, ut est India, ubi

diversi Ritus habentur, instructiones dandae essent ut labor missionalis omnium Rituum coordinaretur.

Interim Eminentiae Tuae manus humillime deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum et dev.mum servum verum

✠ Valerianus Card. Gracias
Archiepiscopus Bombayensis

7

Exc.mi P. D. FERDINANDI PÉRIER
Archiepiscopi Calcuttensis (Calcutta)

17 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine Praeses,

Ut rite respondeam litteris formalibus a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, die 18 iunii c. a. datis, sequentia vota suggerere cupio:

1. Ut pro diebus Dominicis ac festis, Concilium lege clara, brevi ac universali declaret et imponat quaenam sint stricte observanda et quaenam omnino abstinenda.

2. Ut propter errores ubique sparsos circa notionem et naturam peccati mortalis, utque idem « sensus peccati » inter Fideles restauretur, Concilium iterum proponat doctrinam traditionalem de peccato mortali.

3. Ut Concilium considerare dignetur:

a) Quomodo haberi queat coordinatio ac cooperatio inter varias SS. Congregationes in iis quae ad varias missionum regiones pertinent.

b) Necessitatem seligendi in variis S. Congregationibus, Consultores aliosque qui optime versantur in ratione cogitandi, sentiendi et agendi, populorum in dissitis regionibus degentium, ne Decreta vel quidquam aliud imponant SS. Congregationes contra laudabiles consuetudines istarum nationum sed potius foveant ac iuvent adaptatio-

nem quamdam rituum, caerimoniarum et religiosae praxis, in quantum fieri potest, secundum traditiones et usus istorum populorum.

Eminentiae Tuae Reverendissimae, ex corde quaecumque bona ac fausta a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
servus humillimus ac addictus

✠ FERDINANDUS PÉRIER
Archiepiscopus Calcuttensis

8

EXC.MI P. D. ALDI PATRONI
Episcopi Calicutensis (Calicut)

Mediolani, 26 iulii 1959

Eminentissime Princeps,

Libenter accepi tuas litteras die 18 iunii 1959 datas (Prot. n. 1 C/59-289) quibus meam sententiam exquirebas de rebus in Concilio Oecumenico tractandis.

Re diligenter et pro meo captu considerata, *responsiones* quae sequuntur dare putavi.

1. *Adaptatio Sacrae Liturgiae et Disciplinae Ecclesiasticae ad mores variarum nationum.* Nationes, praesertim novae extra Europam et Americam, magis quam antea suam individualitatem amant et non bono animo acceptant quae suis moribus et indoli non sunt conformia. Ideo optimum esset si in sede conciliari declaretur quaenam in re liturgica et disciplinari ut omnino necessaria et immutabilia saltem in nunc existenti ordine censenda, quaenam vero ut minus necessaria et mutabilia retinenda sint.

Hoc modo viam parabit Concilium ad « adaptationem » (semper ab auctoritate competenti, certis et probatis rationibus permittendam) cum magno animarum fructu et verae fidei incremento. Idem potest fieri etiam in via administrativa et consultiva, sed facile erit ut consultores qui ut viri absolutae fiduciae apparere volunt vel ad dignitates aspirant, suam sententiam non plene manifestent.

Patres Concilii ex dissitis regionibus venientes magis apti videntur ad hanc quaestionem tractandam.

2. *Relationes inter Ecclesiam Latinam et Ecclesias Orientales.* Sedes

Apostolica iam multa in hac re decrevit, sed non semper in praxi deducuntur. Concilium deberet saltem suas facere illas Ordinationes, ita ut maximam auctoritatem apud Orientales (qui Synodos magni faciunt) acquirant. Praeterea si Episcopi aliique maiorem de his rebus notitiam acquirent, decreta Pontificia facilius et melius ad praxim deducentur.

3. *Reformatio Curiae Romanae.* Etsi in hac re parum cognoscam, mihi videtur necessarium ut Sacrae Congregationes, Commissiones, Officia et Tribunalia Sanctae Sedis ita organice reformari debeant ut minuantur conflictus et tollatur confusio circa competentiam. Oportet ut Praesides et Officiales sint viri in illa re bene versati, nec ad officia promoveantur ea sola ratione quia sunt seniores.

4. *Congregatio Sancti Officii.* Ut audivi a viris probis et scientiarum cultoribus, modus procedendi Sancti Officii est antiquatus, « hybridicus » et saepe ansam dat impugnandi Sanctam Ecclesiam Romanam. Incongruum videtur quod singuli Consultores huius S. Congregationis suam sententiam de omnibus quaestionibus dent. Hodierni homines aegre ferunt ut quis damnetur vel puniatur nisi postquam se defendendi vel saltem suam sententiam exponendi occasionem habeat.

5. *Novum dicasterium ad studia Sacra promovenda.* Necessarium hodie videtur ut novum Dicasterium constituatur quod efficaciter curet rem doctrinalem in tota Ecclesia. Eius partes erunt non solum damnare errores, sed etiam viam monstrare ad ea corrigenda, promovere studia sacra, promovere inquisitiones « ricerche scientifiche » etc.

6. *Novus Codex Iuris Canonici pro Missionibus.* Cum multa quae in Codice continentur non applicentur Missionibus, et in pluribus semper petenda est dispensatio, Concilium exquirere poterit num melius sit ut pro Missionibus proprius Codex paretur, sicut factum est pro Ecclesia Orientali.

7. *Vocationes ad statum clericalem.* Multae quaestiones tractare utiliter poterit Concilium:

a) quomodo promovendae sint vocationes,

b) quomodo formari debeant sacerdotes,

c) num conveniens sit ut ante susceptionem presbyteratus per aliquot annos clerici ministerium sacrum exerceant (praedicando, et reliqua faciendo quae non requirunt ordinem presbyteratus) in gradu diaconorum, ita ut qui impares sunt ad celibatum possint redire ad saeculum et etiam uxorem ducere,

d) utrum admittendi sint « diaconi uxorati » in iis regionibus praesertim ubi sacerdotes omnino pauci sunt.

8. *Revisio disciplinae religiosarum,* cum sat frequenter minores Superiores nimis arbitrarie agantur.

Nec aliud addere putavi.

Sacram purpuram devote osculans, me profiteor

Eminentiae Vestrae servum addictissimum

✠ ALDUS M. PATRONI
Episcopus Calicutensis

9

EXC.MI P. D. MATTHAEI KAVUKATT
Archiepiscopi Changanacherrensis (Changanacherry)

27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Respondens ad epistolam Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959 adiungere volo his litteris animadversiones meas humillimas nec non consilia et vota de rebus et argumentis in futuro Concilio Oecumenico pertractandis.

Cum clero et populo huius Archidioecesis preces Deo Omnipotenti effundo ut Concilium hoc Oecumenicum, quod Summus Pontifex feliciter regnans convocare dignatus est, fructum multum afferat ad gloriam Dei Altissimi et ad magnam utilitatem totius Ecclesiae.

Occasionem hanc sumo ad meum profundum sensum devotionis erga Sedem Apostolicam exprimendum et Eminentiae Vestrae reverentiam meam manifestandam.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus et devotissimus

✠ MATTHAEUS KAVUKATT
Archiepiscopus Changanacherrensis

Multum profuturum puto convocare Orientales dissidentes ad Concilium Oecumenicum. Hac e regione invitari possunt « Catholici » et Legatus Patriarchae Iacobitarum. Est etiam unus Episcopus Nestorianus sedem habens in Trichur. Secta Marthomitarum, influxu Protestantium haeretica facta, simul cum « Church of South India » invitari potest si haeretici aliarum nationum invitantur.

Res tractandae

A) *Ad Universalem Ecclesiam spectantes*

1. Concilium regionale Ordinariorum ut « All Kerala Bishop's Conference » quod tractat de coordinatione variarum actionum Catholicorum etiam diversorum rituum.

2. Adunatio sacerdotum et etiam institutum permanens erigantur ut delineent labores disciplinares et missionales. Periodicae publicationes clericorum de re morali, doctrinali, liturgica et missionali in regione vel provincia fovendae sunt.

3. Ampliores facultates dispensandi si concedantur Ordinariis magnopere iuvabit.

4. Aliqua confederatio congregationum quae habent easdem vel similes labores desideranda est.

5. Iurisdictio Ordinariorum et potestas quoad religiosarum congregationum opera magis directiva sit.

6. Cooperatio laicorum in re religiosa amplius eliciatur.

7. Si officiales in Curia Romana sunt e diversis nationibus consultationes de rebus eorum regiones pertinentibus faciles erunt.

8. Index omnium librorum prohibitorum confici potest et publicari.

9. Processus matrimonialis summarie permittatur.

10. Studia ecclesiastica in seminariis, modernis exigentiis magis aptentur.

B) *Ad Ritus Orientales spectantia*

1. Sacerdotibus et religiosis Orientalium Rituum permittatur ut laborent apud regiones paganorum. Extensio iurisdictionis magnopere desideranda est.

2. Congregationes Ritus Latini qui aspirantes Ritus Orientalis in sua religione recipiunt instituant domus Ritus Orientalis.

3. Supremus Moderator uniuscuiusque ritus Patribus Cardinalibus aequiparetur tam in dignitate quam in privilegiis.

4. Privilegia aequalia sint tam pro Latinis quam pro Orientalibus.

5. Cooperatio cum dissidentibus in omni actione sociali et educativa, exceptis stricte divinis, permittatur.

✠ Matthaeus Kavukatt
Archiepiscopus Changanacherrensis

10

EXC.MI P. D. FRANCISCI X. MUTHAPPA
Episcopi Coimbaturensis (Coimbatore)

Coimbatore, 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

In primis, pergratos animi sensus profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae pro epistola mihi inscripta, in qua opiniones seu sententiae, consilia et vota postulabantur pro Concilio Oecumenico mox habituro; quam epistolam accipere mihi maxime honorificum est.

Re quidem vera, Concilium quoddam Oecumenicum hisce temporibus non solum opportunum sed immo perutile fore iamdudum putavi et nuntium de futuro Concilio Oecumenico gaudium haud parum mihi attulit. Spero ut futurum Concilium Oecumenicum, Deo adiuvante, Ecclesiae animarumque bono maxime profuturum sit.

Quoad opiniones pro Concilii argumentis apparandis a me postulatas: praeter quaestionem de unione dissidentium, quae quaestio, arbitror, erit procul dubio quaestio principalis futuri Concilii Oecumenici, perutile fore censeo si tractentur sequentia etiam argumenta:

I. *Communismus materialisticus*

Hic error praesertim nostris hisce temporibus toto orbe terrarum longe lateque grassatur, et populi non pauci ab hoc errore decepti atque venenati Ecclesiam Christi deserere et quandoque eam aggredi non dubitant. Immo sunt hodie quaedam nationes quae, cum sint vastis regionibus, magnis divitiis et armis vilidissimis praeditae, omni vi et opera hunc nefandum errorem propagare conantur.

Unde perutile fore censeo si Concilium Oecumenicum etiam de hoc errore tractet, illum magis praecise exponendo et enucleando, ita ut condemnatio eiusdem nullum reliquat dubium in mentibus hominum.

Legislatio praesertim practica hac de re desideratur. Doctrina Catholica magis praecise definienda est, maxime in luce modernorum in re scientifica progressuum ita ut in praxi ad nefandum errorem materialisticum bellandum magis apta evadat.

Praetera, leges quoque practicas ad populi eruditionem intentas formulari oportet. Populi enim in omni natione et lingua magis magisque rei religiosae ignari fiunt et facile in promissionibus falsis communismi

dilabuntur. Ut bene notavit Pius Papa XII felicis memoriae, ignorantia est inimicus primus et maximus religionis. Ergo conandum est ut populus erudiatur non solum de falsa doctrina materialistica et mundana, sed praecipue de religione Christi et de Ecclesia. Hac in re, proh dolor, normae practicae desunt.

Quamobrem necessarium mihi videtur ut normae edantur pro praeparatione syllaborum pro scholis Catholicis et pro populi catechizatione; normae quae necessitatibus hodiernis aptae esse debent.

II. *Doctrina socialis ecclesiae*

Hodiernis diebus scientia socialis maximum habet momentum et populi diebus nostris sunt nimis propensi ad aequalitatem socialem. Hostes Ecclesiae sub pretextu iustitiae et aequalitatis socialis non paucos corrumpunt.

Ergo maxime opportunum erit, censeo doctrinam socialem Catholicam magis praecise exponere et enucleare, normas praesertim edere ad illam in praxim deducendam.

Hac in re, maximae utilitatis foret si normae et regulae practicae condantur ad hanc scientiam in seminariis docendam et ad illam apud fideles diffundendam.

III. *Apostolatus laicorum*

Haec est quaestio magis agitata hisce temporibus. Datis dierum nostrorum conditionibus, collabarationem laicorum in Hierarchiae apostolatu non solum utilem sed immo quodam modo necessariam esse nemo non videt.

Ut autem haec forma apostolatus ubique terrarum magis promoveatur et Ecclesiae animarumque bono utiliter applicetur, necesse est, arbitror, ut haec sequentia puncta magis praecise enucleentur:

1. Basis doctrinalis apostolatus laicorum;
2. Essentia apostolatus laicorum;
3. Apostolatus individualis laicorum;
4. Distinctio magis praecisa inter apostolatum laicorum et clericorum.

IV. *Liturgia*

Legislatio magis practica requiritur circa participationem fidelium in cultu divino, praesertim in SS. Missae Sacrificio et in administratione Sacramentorum, secundum mentem Encyclicae *Mediator Dei.* Nemo non

videt maius beneficium fidelibus affuturum esse si fideles magis active in his mysteriis participent.

Quaestio quoque de usu linguae vernaculae tractari potest ita ut solutio definitiva et practica inveniri possit.

V. *De clericis*

Bonum Ecclesiae quantopere a clericis pendeat nemo ignorat. Qualis clerus talis populus. Ergo maximi momenti est sine dubio educatio et formatio cleri tum religiosi tum praesertim saecularis. Hisce temporibus quam maxime materialismo deditis, haec quaestio de clericis maiorem gravitatem assumit.

Ergo seminaria nostra meliora sunt efficienda tum quoad scientiam (curriculum studiorum) tum quoad methodum, ut aiunt, docendi.

Cleri duces populi sunt et esse debent, et quapropter populi aestimationem et reverentiam acquirere debent; quod, procul dubio, non potest fieri sine sanctitate et scientia.

Sanctitas elucere debet in omnibus actibus sacerdotis ita ut sacerdos sit non solum praedicator Christi, sed etiam personificator Christi; quae sanctitas procul dubio non habebitur sine longa arduaque formatione sub magistris huius rei vere peritis.

Scientia in sacerdote est hisce diebus quam maxime necessaria — scientia quae est apta et sufficiens — non solum ad Religionem Christi et Ecclesiam diffundendam atque defendendam sed etiam ad graves nostri temporis errores effugandos atque dissipandos.

Ergo seminaria vere aedes sanctitatis et scientiae esse debere nemo non videt, et ut ista ita fiant, necesse esset ut normae et regulae formulentur circa illa omnia quae ad curriculum, methodum, directionem etc. respiciunt, et veteres regulae, si dantur, modificentur ut magis idoneae nostri temporis conditionibus fiant.

Haec sunt argumenta quae mihi videntur in futuro Concilio Oecumenico tractari posse.

Deum interim rogo ut Eminentiam Tuam diutissime sospitem incolumemque reddat et summa qua par est reverentia subsignor

addictissimus in Domino
✠ FRANCISCUS X. MUTHAPPA
Episcopus Coimbaturensis

11

Exc.mi P. D. PAULI TOBAR GONZÁLES
Episcopi Cuttackensis (Cuttack)

Cuttack, die 18 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Magno cum gaudio respondeo tuis litteris, suggestiones aliquas futuro Concilio Oecumenico proponendas, quaerentibus. Certe scio quod plurima negotia maioris momenti, quae in Concilio tractari poterunt, a multis Patribus et Theologis Pontificiae Commissioni communicanda erunt:

1. Virginis Mariae ultimum et perfectum studium, sub titulo omnium gratiarum Mediatricis agere, et eius dogmaticae declarationem, si tempus conveniens et opportunum videretur, pronuntiare. Haec Mariae sollemnis definitio, eius Immaculatae Conceptionis, Divinae Maternitatis et gloriosae Assumptionis magnificentissimum complementum erit.

2. Predicare et evangelizare universum mundum, maxime infidelium regiones, primaria et fundamentalis Ecclesiae missio est secundum verba Christi: « Praedicate Evangelium omni creaturae ». « Haec est vita aeterna ut cognoscant te et quem misisti Iesum Christum ». Videlicet: Iesum Christum cognoscere et Illum amare est conditio, sine qua non, ad vitam aeternam consequendam. Quapropter, ut voluntas Christi et missio Ecclesiae adimpleatur, Missionibus mittere, quantum fieri potest, Missionarios intelligentia, prudentia, oboedientia, activitate, animi moderatione et sacrificio plenos, et in servitio Missionum efficacissima media materialia, specialiter pecuniaria obtinere et expendere, Ecclesiae munus erit.

3. Ut omnes agnoscunt, nova aetas, omnino distincta a praevio saeculo, nos circumdat. Una simul cum hac nova generatione, nova cultura oritur. Haec cultura qualis erit? Christiana? atheista?

Nos sumus convicti quod atheista. Communismus cum magno suo conatu et diabolica intentione eius errores propagat; scilicet: omnem religionem supprimere, maxime Ecclesiam Catholicam, depositum fidei et fundamentum verae Religionis.

Alia nota characteristica huius temporis est bonos mores privatim et publice per immoralia et antichristiana media evertere.

Principia quae sunt adversus Ecclesiae salutem et adversus humani generis salvationem, determinare, Patrum Concilii magnus labor erit.

4. Defendere cum magno fervore dignitatem et sanctitatem sacerdotis, « Alter Christus », adversus huius temporis spiritualem innovationem. Diabolus dixit Sancto Curé d'Ars: « Tres Sacerdotes, similes tui, destructionem imperii mei in terra causabunt ».

Hoc est meum parvum auxilium, quod praestare valeo.

Tuus devotissimus in Christo
✠ PAULUS TOBAR GONZÁLES
Episcopus Cuttackensis

12

EXC.MI P. D. IOSEPHI A. FERNANDES
Archiepiscopi Delhiensis (Delhi)

New Delhi, die 22 martii 1960

Eminentissime princeps,

Semper latius et ferventius in Ecclesia fit desiderium ut omni modo convenienti debitus honor praestetur Sancto Ioseph, Sponso Beatae Mariae Virginis.

Ideo litteris praesentibus reverenter et humiliter postulamus ut in schedulis rerum agendarum in Concilio Oecumenico haec petitio includatur: *ut in Ordinario Missae* inseratur nomen Sancti Ioseph post nomen Beatae Mariae Virginis quattuor in locis, nempe:

a) in Confessione
b) in Oratione « Suscipe Sancta Trinitas »
c) in « Communicantes »
d) in « Libera nos » post Pater Noster.

Ad petitionem sustentandam rationes sequentes afferuntur:

1. Sanctus Ioseph ratione officii sui dignitate et sanctitate inter omnes viros sanctos maxime eminet.

2. Iustitia et sanctitas superior Sancti Ioseph inter alia apparent ex hoc quod Verbo Incarnato Puero et Iuveni virtutis exemplar fuit.

3. Theologi communiter consentiunt Sancto Ioseph cultus protoduliae dari posse et debere; id est, cultum duliae qui cultum debitum Sanctis Apostolis et Sancto Ioanni Baptistae aliisque Sanctis superet.

Eminentiae Vestrae
humillimus in Christo servus
✠ IOSEPHUS A. FERNANDES
Archiepiscopus Delhiensis

13

EXC.MI P. D. ORESTIS MARENGO
Episcopi Dibrugarhensis (Dibrugarh)

Dibrughar, die 4 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Sit mihi venia, quaeso, pro nimia mora in responsione mittenda ad litteras ab Eminentia Vestra Rev.ma die 18 iunii anteacti anni mihi datas.

In obsequio voluntati Eminentiae Vestrae Rev.mae hisce litteris expressae haec infra exposita proponere audeo.

1. Ut in Breviario Romano fiat accuratior revisio lectionum historicarum et aptior ad instruendum dispositio lectionum ex Sacra Scriptura desumptarum.

2. Ut concessiones de sermone et cantu in Sacro Missae Sacrificio utendis, occasione data, factas pro aliquo missionis loco, ad omnes eiusdem regionis missionibus extendantur ad cavendum uniformitati, cum, in praesenti, de hac re notabiles discrepantiae sint videndae inter Provincias Ecclesiasticas.

3. Quamquam scio iam pluries ad hoc, responsionem negativam factam esse, rogare tamen audeo, omni cum humilitate ut quibusdam peculiaribus spectatis circumstantiis e. g. ingens baptizandorum numerus et angustia temporis, liceat collective facere interrogationes de professione fidei, immediate ante aquae infusionem.

4. Ut retributio pro clericis ecclesiasticis officiis vel muneribus fungentibus, fiat non tantum per modum Beneficiorum, sed etiam per modum mercedis.

5. Ut in singulis regionibus unus idemque sit Catechismus quo ad instructionem religiosam impertiendam omnes scholae catholicae ita utantur ut omnes in his scholis studiis operam dantes, studiorum curriculo perdurante, integrum religionis cursum absolvant.

Eminentiae Vestrae Rev.mae indulgentiam adprecatus si quid minus recte exposui, rogo ut meos devotionis sensus Eminentia Vestra acceptos habeat, et me profiteri gaudeo

Eminentiae Vestrae Rev.mae
in Christo Add.mus

✠ ORESTES MARENGO, S. D. B.
Episcopus Dibrugarhensis

14

Exc.mi P. D. IOSEPHI PARECATTIL
Archiepiscopi Ernakulamensis (Ernakulam)

Ernakulam, 27 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Humanissimas litteras Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959 accepi easque perlegi. Muneri mihi commisso per illas litteras de transmittendis animadversionibus nec non consiliis ac votis circa res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico pertractandas pergrato animo satisfacere velim. Itaque, quae mihi compertum est fore utilia atque opportuna per has litteras meas humillimas transmittere festino.

Preces, interim, meas humillimas effundo Deo omnipotenti ut propositum illud Concilium Oecumenicum fructus salutares afferat in maximam Dei gloriam aedificationemque Ecclesiae Christi.

Ad osculum Sacrae Purpurae reverenter me inclinans sensus obsequii et reverentiae amplissimos significo meque profiteor.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimum in Christo famulum
✠ Ioseph Parecattil
Archiepiscopus Ernakulamensis

A) De convocatione dissidentium et de praesentia eventuali aliorum christianorum

1. *Dissidentium*

1. Multum proderit illos dissidentes convocare, modo personali, et non tantum generali. Litterae convocationis mitti possint sive ad caput supremum cuiusque nationis vel ritus, sive etiam ad principales archiepiscopos et metropolitas.

Inter quos dissidentes in India meridionali eminent *Jacobitae* ritus Syro-Antiocheni Malankarensis. In secundo loco veniunt *Marthomitae* qui saeculo praeterito sub influxu protestantium a Jacobitis secesserunt validitatemque Sacrorum Ordinum, putamus, amiserunt.

2. Alii dissidentes, ut maior pars Protestantium, sed tantum illorum qui aliquam « orthodoxiam » servant, possunt invitari modo amicabili ut

delegatio aliqua mittatur, ad « observandum » labores Concilii. Commendetur ut delegatio aliqua ex « World Council of Churches », ex « World Lutheran Association », etc. invitetur. In regione nostra mentione digna est *Church of South India.*

Episcopi diversae linguae, non exclusis dissidentibus, auxilientur ut deliberationes Concilii faciliter sequi possint. Instrumenta moderna electrica pro communicatione simultanea versionum in diversis linguis adhibere juvat.

B) Inter res tractandas in concilio suggerere velim

I. *Pro Ecclesia Universali*

1. Ut votis praesertim pastoralibus et disciplinaribus Summi Pontificis felicis memoriae Pii XII, legislatione canonica maior stabilitas et effectus detur.

2. Ut vita communis pro clero dioecesano magis promoveatur.

3. Multum proderit si unaquaeque vel provincia vel etiam dioecesis instituat media magis opportuna ut sunt Centrum pastorale, Associationes pro clero dioecesano etc. ad promovendum vitam spiritualem, studia et activitates apostolicas accommodatas hodiernis diebus.

4. Ut Synodi sive provinciales, sive regionales, sive dioecesanae magis foveantur, regulariter adunentur et decreta earum assidue observentur.

5. Ut ampliores concedantur Ordinariis locorum facultates in materiis dispensationis.

6. Ut Congregationes Religiosae quae fere similes sunt vel iisdem activitatibus incumbunt aliquam inter se confederationem et coordinationem efficiant quoad eorum activitates apostolicas; ut instituta saecularia magna cura foveantur; ut Ordinariis locorum concedatur maior auctoritas in dirigendis activitatibus religiosorum etiam exemptorum in proprio territorio.

7. Ut in multis regionibus, etiam missionum, melius distribuantur dioeceses.

8. Ut officiales laborantes in Curia Romana universalius e tota Ecclesia etiam Orientali seligantur, eo ut character « Universalis » Ecclesiae melius appareat atque consultatio de rebus ad regiones tam diversas spectantibus accuratius efficiatur.

9. Ut libertas amplior concedatur ad adaptandam Liturgiam Catholicam ad indolem culturalem et religiosam populorum qui vivunt extra Europam.

10. Ut in regionibus Missionum et aequiparatis magis simplificentur processus matrimoniales.

11. Ut restituatur praxis ieiunii et abstinentiae ad fovendam mortificationem populi christiani his temporibus nimis proni ad satisfactiones materiales.

12. Ut canonice statuatur, et amplius faveatur ordo monachorum professorum qui sacerdotio non gaudent.

13. Ut melius maiusque vigiletur ut devotiones non consonantes spiritui Ecclesiae, imprimis liturgico, arceantur.

14. Ut melius distribuantur sacerdotes tam religiosi quam dioecesani ut fideles melius curentur.

15. Ut domus religiosae in futurum condendae regulariter non erigantur prope ecclesias paroeciales sed in locis ubi, propter nimiam distantiam ab ecclesia paroeciali, cura animarum postulet aliquam ecclesiam cum sacerdotibus residentialibus, ut inde evitetur inutilis multiplicatio ecclesiarum et melius provideatur curae animarum et bonae administrationi paroeciae praesertim in locis missionum. Religiosis in huiusmodi domibus versantibus permittatur ut suscipiant curam animarum illius loci.

16. Ut magis faveatur motus oecumenicus în Ecclesia tam inter ipos Catholicos quam in relatione cum Christianis separatis.

17. Ut studia in Seminariis magis adaptentur necessitatibus hodiernis evitando discussiones scholasticas in praxi fere inutiles.

18. Ut institutio clericorum in seminariis committatur sacerdotibus indigenis et proprii ritus, quam primum personae idoneae inveniri possint.

19. Ut reunio multorum « pastorum » pertinentium coetibus protestantibus, sive Anglicanis sive Lutheranis, facilius evadat per medium hoc: illi pastores, qui iam Catholicam fidem corde amplectuntur, possint accipere ordinationem sacerdotalem vel saltem diaconalem, etiamsi in matrimonio vivere debeant, sed tantum per primam generationem illorum.

20. Ut sacerdotes et seminaristae ritus latini melius educentur ad intelligentiam Ecclesiae Orientalis.

II. *Pro Ecclesia Orientali*

1. Territoria assignentur Orientalibus ut instituant missiones ad paganos in illis regionibus Indiae ubi paucissimi sunt Catholici ritus latini. Sic magis provideatur penuriae missionariorum, et maior impetus detur zelo Ecclesiae Orientalis praesertim Malabaricae.

2. Ut Congregationes Religiosae ritus latini quae fideles ritus orientalis recipiunt, rogentur ut instituant domus etiam ritus orientalis.

3. Ut constituantur commissiones liturgicae et etiam disciplinares pro unoquoque ritu in regionibus ubi illi ritus inveniuntur et, si necesse est, etiam in Urbe.

4. Ut Patriarchae Orientales saltem Patribus Cardinalibus aequiparentur tam in eorum dignitate quam in eorum privilegiis et statu in Ecclesia.

5. Ut largius atque cum spiritu vere catholico faveatur unio Ecclesiarum dissidentium ad Ecclesiam Unam et Veram cuius Caput in terris Summus Pontifex, caput enim omnium patriarcharum, semper fuit, est et erit, aliqua media essentialia videntur proponi ut sequentia:

a) Per labores Concilii vitentur quaeque expressiones, disputationes, sententiae, quae superioritatem Ecclesiae Occidentalis nimis sapiant, vel quae aliquem contemptum illorum « fratrum separatorum » ostendant;

b) Fortiter removeatur pro futuro quaeque suspicio sic-dictae « latinizationis », tam in ritibus quam in iurisdictione;

c) Si unquam, quod Deus faveat, aliqua Ecclesia separata ad unionem Verae Ecclesiae redeat, ne illa introducere debeat immediate et quasi ex tempore totam legislationem canonicam ut viget hodie, atque ei facile reddatur accessus ad Summum Pontificem.

✠ Ioseph Parecattil
Archiepiscopus Ernakulamensis

15

Exc.mi P. D. IOSEPHI VIEIRA ALVERNAZ

Archiepiscopi Goani et Damanensis (Goa e Damao)
Patriarchae Indiarum Orientalium

Goa, die 4 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Primo quidem peto excusatum haberi ob dilationem mittendi responsum supra quaestiones tractandas in futuro Concilio Oecumenico. Instantiae diurnae sollicitudinis tempus terunt, dies multiplicantur et sensim illabuntur.

Capitulum Cathedralis petit:

1. Ut omnes leges et decreta quaestiones liturgicas tractantes codificentur et publici iuris fiant uno aut pluribus voluminibus, iuxta Enchiridion Indulgentiarum.

Oportet habere collectionem authenticam omnium propositionum damnatarum ab Ecclesia. Enchiridion Denzinger non est completum et non est officiale. Concilium poterat commissionem peritorum nominare qui Codicem Legum Liturgicarum, et Collectionem Propositionum damnatarum conficerent.

Vota mea sunt:

1. Instituatur concelebratio Ritu Latino, toties quoties plures sacerdotes simul in eadem ecclesia Missam lectam celebrant.

Quomodo participatio fidelium in Sancto Sacrificio potest promoveri cum simul plures sacerdotes celebrant unusquisque suam partem Missae recitans?

Recens legislatio noluit habere Missas privatas, omnes Missae sunt publicae actiones. Quomodo in eodem loco possunt haberi simul plures actiones publicae diversae?

2. Inveniatur modus fovendi et imponendi, quando necessarium sit, meliorem cooperationem religiosorum, religiosarum et sacerdotum dioecesanorum laborantium in eadem dioecesi, ita ut eorum communis actio possit ab eadem auctoritate dirigi.

3. Inveniatur modus melioris distributionis sacerdotum in Universa Ecclesia ita ut dioeceses quae plures sacerdotes habent, et ipsi sacerdotes compellantur operam praestare in dioecesibus ubi pauci sacerdotes sunt.

4. Quando plures iurisdictiones exercentur in eodem territorio medium inveniatur imponendi cooperationem inter omnes. Plures iurisdictiones, scil. Episcopi diversorum Rituum, Superiores Religiosi exempti, etc.

5. Mutua caritas inter Catholicos, Clericos et laicos foveatur ut testimonium praebeant Unitatis Christi et Ecclesiae.

Haec sunt praecipua puncta quae meae menti praesentantur in praesenti statu mundi.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
Servum in Christo

✠ IOSEPH VIEIRA ALVERNAZ
Patriarcha Indiarum Orientalium
Primas Orientis, Archiepiscopus Goanus et Damensis

16

Exc.mi P. D. IGNATII MUMMADI

Episcopi Gunturensis (Guntur)

Guntur, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Feliciter accepi Eminentiae Tuae litteras et multum gaudeo de Concilio Oecumenico a Summo Pontifice indicto; spero illud sine nimia intermissione peractum iri.

Res sequentes propono, ut a Concilio considerentur, si Commissioni praeparatoriae expediri videbitur:

1. Rogo ut ponderetur possibilitas definiendi ut dogma fidei doctrinam communiter acceptam de B.V.M. Mediatrice omnium gratiarum.

2. Nonne expedit uti lingua vulgari cuiuslibet regionis in Missa, exceptione facta evidenter de Canone?

3. Similiter nonne adaptari expedit externa liturgiae nostrae moribus populis diversis, v. g. vestimenta, instrumenta musica, gesta in liturgia usurpata?

Alia non habeo Eminentiae Tuae communicanda.

Impensos animi sensus profiteor Eminentiae tuae ac commendo me Sacrificiis et precibus tuis,

Eminentiae Tuae addictissimus
✠ Ignatius Mummadi
Episcopus Gunturensis

17

Exc.mi IOSEPHI M. GOPU

Archiepiscopi Hyderabadensis (Hyderabad)

Secundebarad A. P., 10 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Pater,

Litteras quas misisti accepi quibus benigne quaeris consilia et vota mea de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possunt. Me paenitet non iam respondisse post primam epistolam. Timebam enim me non habere argumenta vere digna. Credebam insuper multos esse alios praelatos et theologos peritiores et expertiores qui commu-

nicarent consilia et vota digna tam magno Concilio. Etiam nunc sentio aliquam difficultatem. Occupatus sum insuper ad iter parandum Romam faciendum, immediate post Pascham, ad visitanda limina Apostolorum. Tempus et adiumenta mihi desunt huic studio et operi tota mente incumbendi. Tamen mihi liceat sequentia puncta Eminentiae Tuae breviter indicare utpote satis opportuna ad considerandum:

1. Doctrina de Ecclesia Catholica sicut Corpus Christi Mysticum bene demonstranda.

2. Communitas dioecesana:

a) Locus episcopi in communitate dioecesana non solum sicut administratoris sed plus etiam sicut patris, pastoris et doctoris.

b) Aspectus communitarius cleri dioecesis cum episcopo arcte iuncti necnon natura vitae spiritualis sacerdotis inde promanantis.

c) Relatio religiosorum et religiosarum, tum theologica quum canonica, erga episcopum et clerum dioecesanum.

3. Theologia et spiritualitas sacrorum ordinum, specialiter, presbyteratus, melius elaboranda in seminariis. Item vita liturgica intensius fovenda in seminariis.

4. Ecclesia missionaria melius associari debet in vitam et administrationem generalem Ecclesiae Universalis his diebus quibus nationalismus aeque ac internationalismus magnum progressum facit.

5. Clerici semper in honorem habere debent virtutes humilitatis, oboedientiae, paupertatis et zeli cum spiritu sui ipsius abnegationis.

6. Modus nominationis, translationis et remotionis parochorum et aliorum sacerdotum debet esse facilior episcopo, i. e. fere ad nutum sicut in casu parochorum religiosorum. In missionibus apostolatus ad gentes necnon ministerium sacrum apud ruricolas assumere debet maiorem dignitatem, etiam sacerdotibus valde eruditis quam ministerium in urbibus et paroeciis bene fundatis; quia extensio Regni Dei primum locum habere debet.

7. Etiam religiosi — non autem monachi — considerare debent fundationem missionis aut dioecesis, maioris esse momenti quam fundationem instituti religiosi. Proinde promptos se praebere debent ad cooperationem cum episcopo in opere pastorali et missionario. Sapientibus et insipientibus debitores se praebere debent. Ne dedignantur operari in parvis urbibus et pagis, viventes in parvis domibus.

8. Moniales et religiosae se adaptare debent variis regionibus in cultura, vestitu, aedificiis et apostolatu. Operibus caritatis melius insistendum est. Ne refugium quaerant sub regula ad nimiam concentrationem in magnis urbibus, commode viventes in magnis domibus et collegiis, praesertim in missionibus.

9. Vita monastica, bene adaptata moribus regionis etiam in aspectu exteriori, promovenda est in Missionibus.

10. Apostolatus Laicalis sane promovendus est, sed insistendum est profundiori studio religionis, intensiori vitae christianae et oboedientiae episcopo et clero cum sensu Ecclesiae authentico.

11. Sustentatio cleri, seminarii et operum religionis cordi esse debet fidelibus laicis, etiam in missionibus.

12. Dignitati catechizandi insistendum est apud clericos et religiosos.

13. Parvae domus et scholae primariae sub directione religiosorum utriusque sexus in pagis multiplicandae sunt. Insuper fratres religiosi incumbere debent scholis technicis, et instructioni catechumenorum et neophytorum.

14. Medium inveniri debet intensius instruendi, formandi et sustentandi catechistas in missionibus.

15. Processus simplicior et facilior pro causis matrimonialibus instituendus est pro missionibus. Melius esset habere unicum tribunal pro unaquaque provincia aut regione linguistica.

16. In genere, administratio et documentatio officialis non sunt augendae in nimiam burocratiam, saltem in missionibus.

17. Renovatio liturgica promovenda est:

a) Participatio intimior in sacrificio Missae promovenda est. Etiam benedictio SS. Sacramenti immediate post S. Missam non expedire videtur. Devotiones mere secundariae non sunt exaggerandae.

b) Usus linguae regionalis in prima parte S. Missae augeri potest, praesertim quoad epistolam et evangelium sed non in Canone Missae. Rituale Romanum bilingue bene recognitum permanens declarari potest.

c) Ornamenta et vestes pro Missa pontificali simplificari possunt. Loco vestium lana confectarum, usus vestium sericarum melior erit in regionibus calidis. Vestes aliquae possunt esse « ad libitum ».

d) Operae pretium erit examinare proposita conferentiae liturgicae Nijmegen anno 1959 habitae.

e) Sacerdotibus cura animarum habentibus permitti potest ordinarie sacramentum confirmationis administrare fidelibus in periculo mortis sine necessitate adeundi episcopum.

d) Quamvis oratio liturgica, utpote oratio Corporis Mystici Christi, maioris dignitatis sit, non est tamen minuenda necessitas et utilitas orationis privatae et exercitiorum spiritualium.

18. De Beata Maria Virgine, Mediatrice Omnium Gratiarum: elucidatio doctrinae et festum universale.

19. Considerari potest opportunitas inserendi nomen Sancti Ioseph,

Patroni Ecclesiae Universalis, in formula confessionis « Confiteor » et in « Canone » S. Missae.

20. Media apta quaerenda sunt ad alliciendas ecclesias orientales schismaticas in unitatem Ecclesiae Catholicae.

In fine, intelligentes magnum huius Concilii Oecumenici momentum, ego et clerus et fideles huius archidioecesis Hyderabadensis promittimus indesinenter orare pro bono exitu huius Concilii tam opportuni.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor,

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mum,

✠ IOSEPH MARCUS GOPU
Archiepiscopus Hyderabadensis

18

EXC.MI P. D. FRANCISCI SIMONS
Episcopi Indorensis (Indore)

Indore, die 25 augusti 1959

Ecclesia Catholica iura quaedam (praerogativae) generalia sibi vindicat, vel saltem vindicare videtur, quae, ut mihi videtur, acatholici plane ridicula et minime fundata habent. Qua de causa verisimile est acatholicos, qui ratione ducuntur eorumque asseclas adduci, ut de his praerogativis indagationem non faciant, immo ut Ecclesiam ipsam parvi aestiment.

Hae vero praerogativae haud ita absolutae vel generales sunt sicut ipsi opinantur. Si istarum magnae limitationes praerogativarum aperte delineentur auctoritate Concilii Oecumenici, Ecclesia Catholica speciem maioris probabilitatis et rationabilitatis praebere incipiet eaque maioris momenti esse ducetur.

Quae praerogativae ita mihi clarius circumscribendae esse videntur et extensione et limitationibus:

I. Ecclesiae de fidei deposito scientia. Ecclesia non affirmat se de veritate revelata omnia quaeque explicite scire. Eam plenius intelligendo incrementum capit. Tempus, studia, disputationes Ecclesiae necessaria sunt ad melius certiusque cognoscenda ea quae in deposito fidei continentur, simili modo ad quaestiones perspiciendas solvendasque, quae fidei insunt aut adiectae sunt. Antequam ad claram in certa quadam materia notitiam perveniatur, praevalet incertitudo, opiniones erroneae et

in unam partem trahentes a multis tenentur, quae scientiae clarae comparatae abiiciendae excutiendaeque erunt. Quo fit, ut Ecclesia videatur mutasse mentem suam. Sed re vera factum est ut Ecclesia duce Spiritu Sancto certam quamdam doctrinam plenius cognitam perspectam habuerit.

II. Item infallibilitas Ecclesiae eiusque magisterii ordinarii et Summi Pontificis adhuc clarius definienda et explicanda est. Neque Summus Pontifex neque Episcopi speciali (eis reservato) scientiae sacrae fonte ex quo ad beneplacitum haurire valeant gloriari possunt. Neque gaudent iidem Ecclesiae praesules inspirationibus a Spiritu Sancto datis specialiter ad docendam infallibiliterque definiendam quamdam doctrinam quae usque ad id tempus Ecclesiae ignota remansisset. Iidem ne necessario quidem debent esse principalia instrumenta, quae Ecclesia ad comparandam clariorem notitiam earum veritatum quae in deposito fidei continentur adhibet. Qui enim progressus melius cognoscendi plurime adducitur studiis disputationibusque Sacrae Theologiae professorum. Itemque proficitur scientia generali extra Ecclesiam culta auctaque. Sed magisterii officialis utpote instituti a Christo et a Spiritu Sancto illuminati est accipere huiusmodi clariorem notionem eamque tamquam revelatam vel in deposito fidei contentam agnoscere et declarare et imponere credendam omnibus.

Neque Summo Pontifici scientia specialis aut inspiratio dantur quibus ipse aptus ad infallibiliter docendum fiat. Eius magisterium innititur deposito fidei prout apud Ecclesiam invenitur. Eius scientia et magisterium separari nequeunt a magisterio episcoporum et totius Ecclesiae. Sed ut caput Ecclesiae et legitimus S. Petri successor praeservatur ab errore in interpretando aut docendo ex cathedra ea quae continentur in deposito fidei speciali Spiritus Sancti assistentia. Modi, quibus ab errore in docendo ex cathedra a Deo praeservari potest, varii sunt; solet autem hoc efficere per Summi Pontificis fidelitatem qua adhaeret doctrinis ut revelatis ab Ecclesia recensitis.

III. Ecclesiae aliud impedimentum inhaeret, i. e. inter acatholicos et multos catholicos opinio praevalet Ecclesiam docere omnia quae in Sacra Scriptura scripta inveniuntur ut vera admitti debere eo sensu quo verba sonant et quem directo in contextu exprimunt. Principia primaria interpretationis S. Scripturae et summa factorum per studia biblica excultorum exponenda sunt, in quantum fieri potest eo modo, quo a litteratis communibus intelligi possint. Quae principia et exculta in omni editione S. Scripturae inveniantur; etiam in locis dubiis notae addantur.

IV. Expedire videtur concedere et in veritate et cum humilitate confiteri, quot christiani et quanta pars Ecclesiae in vita moribusque offendere possint contra religionem christianam et quomodo fovere possint errores

et dubias doctrinas; maxime haec mala confitenda esse de temporibus Reformationis.

Multi Ecclesiae ministri sacri, episcopi, immo Summi Pontifices seligebantur non propter eruditionem et vitam exemplarem, sed respectu habito conditionum familiarum nobilium, rerum publicarum et monetalium. Quae cum ita essent, auctore Deo, Ecclesia totaliter non periit et omnes eius doctrina una cum ritibus sacris integra conservata est.

Iure optimo postulationes reformationis efficiendae fiebant. Nonnulli reformatores prae zelo, impatientia iraque in talem errorem lapsi sunt, ut se extra Ecclesiam ponerent et magisterio a Christo instituto, quo tantum ab erroribus tuti esse potuissent, non oboedirent.

Qui si vituperandi sunt, non minus illi culpandi sunt, qui bona huius vitae sectantes, vita scandalosa, bono Ecclesiae minime providentes magna parte effecerunt, ut reformatores ad desperationem redacti essent. Destructa unio omnium christianorum iudicium et radix multorum malorum exsistit. Rationalismus late diffusus, apostasia tot educatorum, inefficientia praedicationis christianae in mundo non christiano, absentia caritatis factorum in commercio christianorum inter se, qui verbis caritatem tamquam primum et maximum mandatum praedicant, bella domestica, nationalismus excessivus et communismus, praesens totius mundi insecuritas: haec omnia magna ex parte nata sunt ex religione christiana scissa. Permagnis in partibus christianorum persuasio destructa vel obscurata est, quae exsumpta e Scriptura Sacra valebat per 1500 annos, quae tenet Spiritum Sanctum moderari Ecclesiam eamque ab erroribus defendere et Iesum Christum ipsum cum magisterio Ecclesiae mansurum esse usque ad consummationem saeculi, et eam aptam, quae omnem veritatem revelatam omnibus gentibus sine ullo errore doceat, reddat.

V. Est et alia opinio valde diffusa, quae homines ab Ecclesia prohibet et invidiam (aversionem) et iram contra Ecclesiam fovet, docens Ecclesiam conscientiae acatholicorum libertatem verituram non esse simul atque rerum potita esset, Ecclesiam eos iterum persecuturam esse eamque eos iuribus, quae inalienabilia et homini necessaria putant, privaturam esse. Promissa a personis singulis ad istos timores removendos data non creduntur. Si Ecclesia decreto Concilii Oecumenici, principiis demonstratis, talibus non-catholicis affirmet se in futurum ea iura sacrosancta habituram esse, magnum impedimentum removeatur.

Oportebit concedere temporibus praeteritis hanc quaestionem plene intellectam non esse neque solutam, ita ut contrariae opiniones et usus inter catholicos pariter et non-catholicos late diffusi sint. Huc pertinet condemnatio Inquisitionis eiusque principiorum et rationis agendi. Valde

desideratur iura hominis et minoritatum clarius definiri. Card. Lercaro verbis nuper de tolerantia dictis indicare videtur quomodo ad hanc rem accedendum sit.

Quidquid sit de principiis et iuribus in se visis, expeditne Ecclesiae, vel in societate ab ea recta, opprimere haereses vi? Ad hoc efficiendum adhibendi essent delatores et violentia sicut communistae faciunt. Ita agendo Ecclesia invidiam multorum excitaret oleum et operam perdendo. An commoda incommodis umquam aequiparari possunt? Num voluntas Dei est veritatem vi et iniuria imponi et conservari? Mediis istis non adhibitis Ecclesiae bene evenit in mundo convertendo, sed eis adhibitis in fide servanda operam perdidit.

Huc referri posse videtur index librorum prohibitorum. Ecclesia ut provida mater iure docet at monere debet liberos suos, ne fidem vel virtutem in periculum perducant sine causa sufficiente atque hoc modo agendo eos graviter peccare monere debet. Idem dicendum est de « films, radio, televisione », etc. Illi qui sibi at fidei obedientiaeque timent, huic monitioni oboedient quae interdum explicite datur de certis libris, etc. Alios index librorum prohibitorum neque excommunicatio deterrebunt. Severa condemnatio saepe notorium reddit librum, scriptorem, etc. quod saepe plus detrimenti quam incrementi producit.

VI. Expedire videtur clarius definire doctrinam, quae dicit: Extra Ecclesiam nulla salus. Quae res saepe non recte intellecta contra Ecclesiam invidiam et odium excitat.

Alia quae desiderari videntur ut impedimenta amoveantur.

VII. Duae sunt agitationes validae in rebus publicis: nationalismus et internationalismus. Ambabus displicet quod Ecclesia sit parum internationalis in administratione sua centrali. Saeculis praeteritis difficile erat quod Romae adesset administratio internationalis. Hodiernis diebus mediis communicationis facilibus, Nationum Unione (O.N.U.) exemplum praebente, possibile et optabilissimum esset Sacras Congregationes et servitium diplomaticum reddere internationales. Quod naturae Ecclesiae supranationali convenit atque erga Ecclesiam benevolentiam et nationalistarum et internationalistarum comparabit. In Ecclesia omnes nationes pares esse se sentient. Sed repraesentatio omnino proportionalis et aequalis non esse debet vel potest. Qui sunt ministri boni et idonei ii soli seligantur.

Contenta esse debet Roma, immo Italia, quod sit sedes gubernii internationalis Ecclesiae. Apud multos populos Ecclesia in favorem non venit, quia aspectum italicum prae se fert.

Qui Romae versantur, linguam italicam addiscere et adhibere pro suo ibi commercio internationali quasi sua sponte cupient. Lingua itaque

italica Romae, Ecclesiae « lingua franca » erit. Sed pro commercio Ecclesiae cum terris quae sunt extra Italiam lingua patria vel ab eis desiderata utenda erit.

VIII. Tempus advenisse videtur auferendi linguae latinae regnum, quo adhuc pollebat, eamque faciendi unam inter pares linguas quae usui sint.

1. In occidente etiam et in mundo lingua latina cessavit adhiberi apud doctos in docendo et discendo. Longe maxima librorum etiam theologicorum pars linguis vernaculis conscribitur. Plurimi sacerdotes et episcopi lingua latina facundi non sunt, quia raro ea utendi eis occasio est.

Concilio quoque Oecumenico expedire videtur, sicut fit in deliberationibus Unionis Nationum, pro lingua latina uti linguis maioribus una cum translatoribus. Alioquin maior pars episcoporum partem deliberationum capere non poterunt. Usus solius linguae latinae Orientalibus parum probabitur.

2. Lingua latina magis discordiae quam concordiae causa est. Dividit Ecclesiam Latinam ab Ecclesiis Orientalibus et frictiones suspicionesque inter has existentes difficillimas solutu reddit ... Lingua latina dividit Ecclesiam Latinam a protestantibus et reliquis non-christianis. Dat Ecclesiae speciem « externam (alienam) », « occidentalem », « latinam ».

3. Lingua latina magnam studiorum partem consumit commodis proportionatis non resultantibus pro sacerdotibus, iam nimis onerata ratione studiorum. Pro fere tota India septentrionali diu plures vocationes sacerdotales a regionibus Indiae meridionalis accipiendae erunt. Hi in India meridionali nati tres novas (alienas) linguas addiscere debent, quarum duabus ad satis bene scribendum et loquendum, i. e. lingua anglica et hindica (aut alia vernacula) pollere eos oportet. Permulto tempore in discendis linguis latina et anglica consumpto parum temporis restat arripiendae linguae vernaculae. Quo fit ut vix ullus ea satis facundus inveniatur et aptus, qui cum eruditis Indiae septentrionalis pari facultate colloqui possit. Quae res causa esse videtur, cur sacerdotes non satis idonei sint, qui collaborent inter acatholicos litteratos. Una cum castis haec ratio singularis est, quae opus missionarium impedire videtur. Si lingua latina tollitur, multo plus temporis vernaculae optime ediscendae erit.

4. Lingua latina impedimentum devotionis plurimorum sacerdotum facta est. Eam unquam non satis bene ediscunt, aut obliviscuntur, ut breviarium suum recitare magna cum intellegentia et devotione valeant. Haec sunt facta, quae dissimulare inutile est et quae mutari nequeunt adhortationibus vel Summi Pontificis. Tempus fuit, et iam non est,

linguae latinae, sicut fuit graecae et sanscritae. Nihil vitam eius restituere potest.

De lingua vernacula et latina consilio S. Pauli uti licebit: « In ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua » (*1 Cor.* 14, 19).

5. Docendis disciplinis seminariorum per linguam vernaculam eodem tempore instructio multo perfectior impertiri potest, eoque paucis annis laici litterati parari possunt ad diaconatum vere pastoralem (de hac re infra).

IX. Introducendis vernaculis aliisque quibusdam rebus adaptatis fieri posse videtur ut magna illa paries divisionis nunc inter Ecclesiam Latinam et alias existentis dirui possit.

1. Duo castra « hostilia » aboleri possunt. Erit magnus numerus ecclesiarum co-ordinatarum, ubi « timor minoritatis » (minority complex) non amplius inveniri potest.

Nunc temporis plena aequalitas non existit inter Ecclesiam Latinam et Orientales, quod hae non ignorant et aegre ferunt. Opus missionarium extra territoria Orientalia traditionalia fieri nequit nisi ritu latino, ita ut facultas sui expandendi non-christianis conversis ritibus orientalibus non detur. In India inter christianos rituum orientalium multae habentur vocationes sacerdotales, attamen eis non licet opus missionarium perficere nisi ritu latino. Sunt tamen territoria magna in India adhuc pagana et nondum re sed nomine tantum a rito latino occupata.

2. Episcopis terrarum variarum, praesertim in terris Asiae et Africae, maior libertas potestasque dentur ad excolendos ritus proprios adaptatos moribus et exigentiis localibus et regionalibus. His ritibus adaptandis magnae illae orationes, in quantum fieri potest, lectionesque utendae sunt, quae ritibus latino, byzantino, aliisque iam exaratae exstant.

3. Insuper ubi hoc modo omnes difficultates rituum solvi non possunt, facultas detur sacerdotibus duobus vel tribus ritibus utendi. Ita et sacerdotibus et populo maior varietas cultus praebetur. Praeter Missam in ritu suo proprio permittatur, ut sua discretione et alios ritus approbatos adhibeat.

4. Exinde neque necessitas neque opportunitas iurisdictionis et personalis et multiplicis oriri poterunt. Quibus ex rebus tot odia, aemulatio tam scandalosa, tot peccata contra caritatem, frustratio efficientiae missionariae ortum habuerunt et habent.

X. Expertis adiutoribus multo magis utendum est in conditionibus necessitatibusque actu existentibus perscrutandis et in consilio de operi-

bus conducendis rapiendo. Conatus noster magis coniunctus perpensusque esse debet.

Impulsus (vis) in societatem humanam catholicus nusquam est pro numero nostro. Paucis tantum in terris acta diurna primi ordinis et auctoritatis magnae habentur; nusquam inveniuntur film, radio, televisionis stationes primi ordinis. Pro ideis disseminandis et communicandis pondus nostrum parvum est, idem respectu scientiarum naturalium et in aliis scientiarum campis.

Multo plus pecuniae impendere videmur pro aedificandis aedificiis sumptuosis sed parum omnino pro expertis educandis et in operas mittendis et pro mediis adhibendis ad mentes hominum permovendas et ad vincendum in pugna idearum ... Quanti sunt sumptus actu erogati et pro his et pro aedificiis?

De pulpitis sacris solum ferventes catholicos appellare possumus, qui in plurimis terris sunt numero minores vel minimi. Oves errantes et perditas visitandi tempus saepe non adest pastoribus et saepe nulla alia via eos adeundi patet. Sic in omni terra christiana multo plures perdimus quam lucramur. Quomodo effective acatholicos adire possumus, nescimus. Acta nostra periodica multis in terris nihil aliud esse videntur nisi folia pia parum solummodo catholicos permoventia. Acta diurna generali auctoritate pollentia desunt.

XI. Subsidiorum dispositio non aequa pecuniariorum etiam animadvertenda est in opere Ecclesiae ad paganos evangelizandos. Duae e tribus partibus humani generis adhuc paganae sunt, sed quid re et actu Ecclesia hac in re agit.

Director nationalis Soc. de Prop. Fide in Statibus Foederatis Americae, ubi reditus pro missionibus maiores contribuuntur, concedit Ecclesiam in missiones parvam tantum portionem unius solius partis centesimae redituum suorum impendere. Communitates vero protestanticae magnam redituum partem in missiones erogant. E. gr. ecclesiae lutheranae New York 30% redituum suorum solvere debent pro missionibus. Mulier quaedam, conversa e confessione Baptistarum, mihi dixit collectionem pro missionibus in ecclesia sua protestantica unaquaque die dominica factam esse... Reditus multarum mediae magnitudinis paroeciarum catholicarum in Statibus Foederatis decies eos multorum in missionibus territoriorum magnorum superant.

Verum est, egemus missionariis, sed multis in casibus haec principalis difficultas non est. Missionarii sine mediis pecuniariis debitis relinquuntur, ut ait Verrier Elwin (pristinus missionarius anglicus in India, anthropologus illustris): « Missionarii catholici peditibus male armatis aequiparandi sunt ». Pro deficiente numero missionariorum, bene instructi

cooperatores clerici et laici indigenae, satis sufficienter supplere posse videntur. Sed ad hos instruendos iisque munus mandandum remedia pecuniaria non adsunt.

Parva portione centesimae partis redituum Ecclesiae pro missionibus ad paganos soluta conatus effectivus et maioris amplitudinis missionarius impossibilis est. Si gubernium civitatis eiusque colonialis, pro scholis missionariis solvit, multum effici potest. Sed quid de aliis missionibus latis et gravibus ubi auxilium tale deest?

XII. Huc pertinet quaestio, num aliquid fieri potest, ne reditus Ecclesiae dissipentur in plura seminaria. Anno 1956 mihi dictum est in ora orientali Statuum Foederatorum prope 250 (150?) exstitisse seminaria cum plus minus 40 seminaristis in unoquoque eorum. Horum maior pars erunt instituta religiosorum. Quod si ita res se habet, ibi et similiter in aliis terris, rogandum est, num vitanda sit talis competitio profusioque? Sacerdotes docentes his in seminariis non plene occupati bene contenti non esse possunt. Haec seminaria apta maiori iuvenum numero sumptibus profusis et aedificantur et administrantur. Omnes religiosae familiae tendunt fieri internationales et fundare domus in terris, ubi candidato et media pecuniaria comparare possint. Fortasse eas restringere ullo modo, quo eis non noceatur, possibile non est, sed quaestio investigari possit. Multae congregationes hodiernae, quarum fines secundarii similes sunt, fortasse consociari possint aut vetari se extendere in terras aut territorio ubi aliae satis laborant pro iisdem finibus.

XIII. Diaconi, vel matrimonio iuncti, pollentes gravibus iuribus et muneribus pastoralibus.

1. Ecclesiae est providere necessitatibus liberorum suorum spiritualibus et evangelium quam celerrime praedicare eis, qui id adhuc ignorant. Pro numero sacerdotum nunc neque hoc neque illud opus proprie conficere potest. Multis in Ecclesiae territoriis (America Latina, Insulae Philippinenses, aliaeque et christianae et paganae terrae) sacerdotes non sufficiunt ad curam animarum in presenti viventium. Mihi impossibile esse videtur has condiciones brevi tempore mutatum iri. Ubi frigescente fide aut aliis de causis sacerdos catholicus haud gratus populo evasit, ibi non sat magno numero adolescentes ad vitam caelibem et ad multos studiorum theologiae annos parati invenientur. Donec in futuro indefinito sufficientes sacerdotes ad superius descripta territoria spiritualiter administranda reperiantur, suntne ista territoria interim negligenda? Quid detrimenti multae animae, immo integrae terrae capere possunt?

Diaconi matrimonio iuncti gaudentes maioribus iuribus pastoralibus, necessitatibus huius gregis destituti providere poterunt idemque fidem revivificare et vocationes sacerdotales suscitare queunt.

Hi diaconi exercitiis pietatis fidelium, sermone habito, praeesse, infantes et adultos edocere S. Scripturam et doctrinam christianam, baptizare, sepelire, matrimonio assistere, parare aegrotos et morientes ad mortem bonam, actum contritionis elicere cum christifidelibus, sacram communionem distribuere et fortasse extremam unctionem administrare poterunt: breviter suscipere functiones quae a sacerdote populo praestari possunt omnes praeter oblationem Missae, absolutionem sacramentalem, et fortasse administrationem extremae unctionis. Diaconis institutis, communitates catholicae ordinariis necessariis salutis mediis, ad quae administranda Ecclesia fundata est, privandae non erunt.

2. Hisce diaconis in locum nonnullorum sacerdotum in terris christianis suffectis forsan sacerdotes qui adlaborare in America Latina possint, inveniri poterunt.

3. Apostolicis et post-apostolicis temporibus Ecclesia viros qui uxores duxerant idoneos et fervidos, morum bonorum bonaeque famae, seligere solita brevi tempore late diffundi et ubique ministros, qui necessitatibus fidelium caverent, habere potuit. Simili modo in missionibus Ecclesia adaptata parataque sese extendere poterit facilius huiusmodi diaconatu revocato. Ubi pecunia non adest, ibi diaconi victum laborando sibi comparare persequi poterunt.

4. Immo in terris occidentalibus fide infirmatis sacerdotes non sufficiunt ad oves periclitantes perditasque visitandas et ad acatholicos revocandos.

5. Diaconatus, forsan iuris divini, nunc in Ecclesia inutilis esse videtur: est gradus, quamvis ultimus, tamen gradus ut tonsura et ordines minores. Si omnia officia quae in Pontificali Romano assignantur ordinibus minoribus, subdiaconatui et diaconatui, diaconibus restituantur, ii Ecclesiae, si non omnia tamen multa auxilia praebeant quibus ei in terris sine sufficiente numero sacerdotum opus sit.

6. Est et alia ratio pro hoc novo diaconatu atque haec est: Ministris acatholicis conversis facultatem operarum suarum in Ecclesia Catholica continuandarum post conversionem dabit. Multis viam redeundi patefaciet.

7. Diaconi matrimonio iuncti in industrialibus regionibus, ubi operarii ab Ecclesia alienati sunt, per totum tempus una cum operariis laborare haud expositi tot periculis quot sacerdotes caelibes possint.

8. Hisce diaconis et laici et sacerdotes inter se propinquiores esse possint, cum nonnullis in terris laici a sacerdotibus nimis alienati magno cum Ecclesiae detrimento sunt.

(Corollarium): Antiquis temporibus, sacerdotibus vestes diversas a laicis induere non licebat. Expedire videtur minuere istam vestium di-

stinctionem magnis in urbibus et in nonnullis regionibus. Multis in locis vestis clericalis, quae feminea putari videtur, impedit quominus sacerdos contactum cum multis laicis propinquiorem consequi possit. Nonne sufficiet ad discernendos clericos a laicis uti signo aliquo minore et visibili sicut parva cruce in scapulis (sicut sacerdotes militares ferunt) aut aliis in aliis terris notis.

9. Huiusce diaconatus candidati non pueri aut adolescentes conscribendi esse videtur ut pro sacerdotio. Qui ab initio generositate perfecta carent, huic operi vix idonei sunt. Hi diaconi seligendi erunt e laicis fervidis et probis (matrimonio iunctis vel non) sicut tempore Ecclesiae antiquo fiebat in genere de ministris sacris.

Aliquae quaestiones sociales.

XIV. Quaestio de « mercede iusta ». Ea multis e condicionibus pendet, imprimis e necessitatibus operarii eiusque familiae, ex eius in opere perficiendo efficientia, ex aviditate publica, quacum merx ab eo producta postuletur.

Res et alio respectu consideranda est. Magna quidem compendia sunt necessaria ad « industriam » reficiendam, hodiernis condicionibus (progressui) aptandam et latius expandendam quo nomine etiam venit necessitas munerum operumque pro crescente numero operariorum numero creandorum, et hoc in terris in « industria » progressis vel non progressis.

In hodierno systemate industriali permagna compendia acquiruntur a pecuniarum capitalium possessoribus: sive sint privati sive res publica. Operariis dantur stipendia nummorum, et interdum adduntur nummi gratuito dati vel pars fructuum, sed co-possessores magnarum divitiarum capitalium non fiunt.

Hoc iniustum esse videtur, haec permagna compendia ex parvis stipendiis operariorum atque e magno mercis pretio nascuntur. Nonne hac re probatur operariorum ius esse ad aequam maioremque partem illorum compendiorum ut debitam sub « mercede iusta »? Qua parte compendiorum, aequa parte accepta, operarii gradatim erunt co-possessores in illa « industria », in qua laborant cuiusque progressus studiosi erunt. Quo facto contentio inter operarios et pristinos proprietarios minuetur, cum studium amborum paulatim in idem tendant. Operarii cessabunt prohibere suis modis fructus uberiores et « modernizationem », ita ut damnum pristinorum proprietariorum, i. e. minor eorum lucri pars proportionalis, resarciatur maiore productivitate, securitate et pace sociali. Hoc modo operariis via magis idonea et grata solutionis praebebitur quam nationalizatio industriarum, quae quidem eos co-possessores facere simulat, re vera eos in maiorem servitutem redigit.

XV. Systema « bancarum » pecuniarum novarum (pecuniae creditae)

magnam summam creat. Huiusmodi pecunia valorem obtinet eo, quod gubernium et populus ea uti parati sunt atque eam protectione, confidentia, industria sua corroborant. Eius tamen usura — populo et industria solventibus — penes harum mensarum possessores vel « operatores » est. Hoc iniustum et supervacaneum esse videtur. Quamvis mensarum possessores et operatores pro opera praestita compensationem aequam accipere debeant, tamen usura vel fructus huius de novo creatae pecuniae, pecuniae a mensis mutuo datae, civitati danda est. Neque argentariorum sit constituere quanta pecunia edenda sit (in circulatione ponatur), sed hoc gubernii esse debet.

XVI. Nonne expedire videtur declarare, naturae humanae atque hominum sub Deo fraternitati magis consentaneum esse et generatim magis contribui ad habendum gubernium bonum et iustum, eius modi gubernationem esse, qua sponsio iurium civium eorumque facultas defensionis dentur — non necessario suffragio generali — quam vivere sub potestate dictatoria unius hominis vel sub oligarchia quadam.

XVII. Praeventio conceptionis mediis neo-malthusianis his temporibus omnium ut una maxime mortifera pestis et inimica vitae christianae grassatur. Christianos ab intus corrumpit. Ob hanc rem Ecclesia milia milium animarum perdit eaque magis magisque propagationem fidei impedit.

Progressus scientiae medicinalis hodiernus ad multiplicandos homines super terram valde adiuvat, ita ut in hac re ad saecula priora appellare non possimus. Genus humanum quinquaginta annis, et fortasse minus, duplicatur cum primum usus scientiae medicinalis ubique fere diffusus est. Ne hoc contingat, duae res solae prohibere poterunt: aut valde diffusa praeventio conceptionum aut casus terribiles ut bella atomica. Illud probandum, saltem modo nunc usitato non est, hoc cupiendum minime est.

Post quinquaginta annos numero hominum duplicato tempus non longe aberit, cum terra, etsi media gignendi quam maxime crescent, omnibus hominibus non diutius satis providere poterit. Annis quingentis numerus hominum millies crescet, annis mille milia millies. Quamquam certo probare valemus aliquos centum annos, dum omnia natura augentur, satis spatii futurum esse, argumenta valida afferre non poterimus satis spatii futurum esse pro numero hominum nunc viventium millies aucto, vel milia millies.

Advenitne tempus cum Ecclesia affirmare potest omnibus parentibus in regionibus densioris populationis viventibus licere, modis tamen honestis, tribus vel quattuor infantibus natis finem ulterioris prolis ponere? Cum continentia in statu matrimonii sit difficillima pluribus et pauci tan-

tum eam servare valeant, continentia periodica, certis diebus circumscripta, num generaliter eis licita erit? Eritne iustum Ecclesiam a doctoribus rogare, ut firmum et simplicem modum circumscribendi tempus concipiendi mulieribus demonstrent?

Eodem tempore expedire videtur, quamquam in hac re Ecclesia probabiliter haud proficiet, iterum principalia iura ad solum atque ad occupanda spatia vacua adhuc remanentia in variis terrae regionibus enuntiare. Item convenire videtur Ecclesiam adhortari eas nationes, quae terras vacuas longe lateque patentes possident, ut eas nationibus valde confertis civibus atque ulla alia facultate suorum civium nutriendorum carentibus aperiant. Quae res in mundo inter se coniuncto non solum discordiae bellorumque causa non erit, sed etiam concordiae parandae atque amicitiae confirmandae et unius omnium nationum familiae efformandae.

XVIII. Interesse videtur in libris et instructionibus de doctrina christiana clarius distingui inter castitatem et pudicitiam. Huius distinctionis ignorantia multos scrupulos erroneaque iudicia practica generat, praecipue in conscientia personarum Deo dicatarum.

Auctores consentiunt in castitate non esse materiam levem. Pudicitiae vero materia in se neque graviter neque leviter peccaminosa est. Peccata contra pudicitiam sunt gravia vel levia pro gravi vel levi periculo cadendi vel ducendi alios in peccatum contra castitatem. Ubi adest causa sufficiens, peccata non sunt actus, qui sine hac causa violarent pudicitiam.

Quod peccatum contra pudicitiam esset in alia regione aut in aliis condicionibus socialibus aut in alio rerum adiuncto, hoc in alia regione aut in aliis condicionibus aut in alio statu honestum vel sine peccato esse potest.

Illae quae morem habitus novum inducunt, vel graviter contra pudicitiam peccare possunt, cum aliae habitu vel ornatu in mores recepto usae vel non peccent vel solum leviter peccent.

In iudicando de consensu ad pollutionem audiatur psychologia experimentalis et experientia doctorum et sacerdotum iuvenes (sororum puellas) dirigentium. Si pollutiones vel frequenter accidunt ex causis non voluntariis, voluntate non consentiente vel frustra resistente quoad huiusmodi motiones sub potestate voluntatis non sunt, quid dicendum est in casu seminaristae hoc afflicti? Sitne retinendus vel dimittendus? si dimittendus, quo tempore? qua medicina applicata? qua probatione habita?

XIX. Nonnulli fideles muneris causa diebus dominicis Missae sacrificio assistere non possunt ita ut raro tantum Missae assistant.

Expeditne ut ii teneantur Missae assistere saltem altera quaque hebdomade aut semel in mense die vel feriali?

✠ Franciscus Simons
Episcopus Indorensis (Indiae centralis)

19

EXC.MI P. D. CONRADI DUBBELMAN
Episcopi Jabalpurensis (Jabalpur)

Jabalpur, May 19, 1960

Eminentissime Princeps,

In the course of last year Your Eminence asked me for suggestions for the agenda of the coming Concilium Oecomenicum. I then was not able to reply as I was absent from my Diocese and wished to have an opportunity to consult some of my Priests in the matter.

Since then I have returned to Jabalpur and did contact a few Priests in the matter of the Oecumenic Council, but owing to a great scarcity of Priests in this Diocese the matter of replying to you as been delayed considerably. I tender for this my profound and humble apologies.

I should like to suggest for the agenda of the coming Oecumenic Council the following points:

1. Would it be possible and advisable to have the materia essentialis for the Sacraments of Confirmation and Extreme Unction altered as has been done in the administration of the Priesthood and the Episcopacy.

The reason of this suggestion is that outside Italy and other olive growing countries it is sometimes extremely difficult to obtain (and be sure of) unadulterated oleum olivarum: and there is therefore not a little danger of the materia essentialis of the two above mentioned Sacraments being invalid.

2. The great events in human life as there are the several ordinations towards the Priesthood, the former rubrics for the pronouncement of religious vows as still existing in some of the older religious Orders (e. g. Premonstratenses), take place during H. Mass, before the Consecration and H. Communion.

Could not this old ritus be restored and made compulsory that a religious profitendus at the time of the Offertory reads his or her profession formula, signs it either at the altar or at the Communion rails and have it placed alongside the oblata on the altar.

Could not possibly the solemnisation of marriage be given the same exalted position: i. e. could the Sacrament of H. Matrimony not be contracted and signed during H. Mass, in the Missa Catechumenorum,

and if possible even, the marriage contract be placed on the altar along side the oblata as per above.

The same would enhance the solemnity and of the Sacrament of Confirmation.

3. That the ritus of the Consecration of Churches and altar be shortened: the present ceremony last such a long time and is so exhaustingly long that it takes away quite something of the solemnity and of the devotion of those who attend.

4. That the liturgical dress in tropic countries be suitably adapted to circumstances of climate and environment.

With the expression of my profound veneration and imploring God's Blessing and Guidance upon the so important work entrusted to Your Eminence, believe me

Eminentiae Vestrae
addictissimum in Domino
✠ CONRADUS DUBBELMAN
Episcopus Jabalpurensis

20

EXC.MI P. D. AMBROSII GALBIATI

Episcopi Jalpaiguriensis (Jalpaiguri)

Quaeritur:

1. *Circa Baptismum:*

a) ut concessio adhibendi rituale infantium in adultorum baptismo quae data fuit in Missionum locis, in casibus tantum peculiaribus, extendatur pro omnibus casibus;

b) ut interrogationes et responsiones, pro quibus in rituali notatur « singulariter singulis » fieri possint etiam in plurali pro pluribus.

Harum propositionum ratio est; ut nimia vitetur mora operariis in operibus statuto tempore inchoandis, praesertim in industrialibus regionibus. Alio tempore, v. g. praevio vespere, baptismata administrari nequeunt, quia missionarius, illo tempore tantum fideles congregare potest ad confessiones audiendas, quae eum saepe tenent usque ad tardam horam.

2. *Circa Matrimonium:*

Ut interrogationes circa consensum sponsorum et Benedictionis Nuptialis preces, lingua fieri possint vulgari ad intelligentiam fidelium; atque insuper ut primus « Oremus » benedictionis nuptialis qui nimis prolixus videtur, contrahi possit.

3. *Circa Missam:*

a) ut in Missa Cantata et Solemni, Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, a fidelibus lingua cani possint vulgari, dum sacerdos celebrans omnia recitat latine;

b) ut in Missa lecta, clericus vel fideles, Missae responsiones dicere possint lingua vulgari, dum sacerdos omnia dicit latine, et ut reliquae preces, quae a fidelibus recitari possunt, uti in Missa dialogata, vulgari lingua dici possint.

4. *Circa Breviarium:*

a) ut plures lectiones Sanctorum iuxta historiam criticam emendentur;

b) ut quaedam lectiones ex V. T. mutuatae, sexuales describentes relationes substituantur;

c) ut quaedam homiliae, quae nimis prolixae sunt, contrahantur;

d) ut plures Psalmi, pleni execrationum, substituantur;

e) ut Canticus Moysis contrahatur aut substituatur.

5. *Circa Rituale Romanum:*

Ut pro benedictionibus formulae lingua vulgari recitentur ad fidelium intelligentiam.

6. *Circa Codicem Liturgicum:*

Ut quam primum conficiatur ad laborem consultationum expediendum, pro opportunitate.

✠ AMBROSIUS GALBIATI
Episcopus Jalpaiguriensis

21

EXC.MI P. D. FRANCISCI X. FENECH
Episcopi Jhansiensis (Jhansi)

Die, 4 septembris 1959

Exc.me ac Rev.me Domine,

Ad me pervenit epistola Eminentiae Tuae, Prot. N. 1 C/59-648, die 18 iunii 1959, quaerens animadversiones, consilia et vota quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt. *Nihil tanti momenti communicandum esse cognosco.* Peto, tamen, humillime ut commendas apud Augustum Pontificem ut Sanctam Mariam de Perpetuo Succursu declarare dignetur Patronam dicti Concilii Oecumenici.

Interim impensos animi ex corde profiteor Eminentiae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Dev.mus in Cordibus Iesu et Mariae
Eminentiae Tuae
✠ FRANCISCUS X. FENECH
Episcopus Ihansiensis

22

EXC.MI P. D. MATTHAEI POTANAMUZHI
Episcopi Kothamangalamensis (Kothamangalam)

26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Tanquam ad litteras Eminentiae Vestrae responsio, velim, animadversiones quasdam personales capitaque quaedam in futuro Concilio Oecumenico pertractanda humiliter submittere.

Faxit Deus ut, Oecumenicum illud Concilium ad cuius felicem exitum ac operositatem quae quoque universalem futuram esse speramus Deum omnipotentem enixe precamur una cum clero ac fidelibus huius diocesis, omnibus catholicis, Christianis nec non hominibus omnibus bonae voluntatis salutis aeternae pacisque divinae nuntium sit felix.

Occasionem capio Tibi, humanissime Pater, sensum meum profundae devotionis ac reverentiae palam profitendi.

Addictissimus Tuus in Domino
✠ MATHAEUS POLANAMUZHI
Episcopus Kothamangalamensis

1. Magnae utilitatis erit spiritumque fovebit fraternum Hierarcharum convocatio Ecclesiarum dissidentium nec non Protestantium pro sessionibus Concilii ut adsistere possint tamquam spectatores.

Regimen et Disciplina

2. Concedatur Hierarchia omnibus illis regionibus ubi catholici compacte vivunt ubique Ecclesia bene radicata est etiamsi dependere debeant auxilio externo pro rebus pecuniaribus.

3. Rogentur Ordines Religiosi ut auxilium praestent parochis ubi opus est. Si ita occurrit, modificentur Constitutiones Ordinum (ut utiles esse possint parochis).

4. Amalgamentur Ordines et Congregationes religiosae quae, paucis exceptis, eamdem habent vitam eumdemque apostolatum.

5. Ubi congregationes interdiocesanae habentur, formentur provinciae ad facilitandum regimen.

6. Congregationes latinae quae fideles orientales recipere volunt rogentur ut instituant domus ritus orientalis cum numerus sufficiens habetur.

7. Foveatur studium ecclesiarum orientalium in seminariis ritus latini deturque notio generalis ecclesiae orientalis alumnis sacrorum ritus latini.

8. Magis libertas concedatur individuis fidelibus non solum ad quemvis ritum amplectendum sed etiam mutandum. Ratio ritum mutandi debet esse gravis.

9. Reformatio ac repristinatio rituum, cum necesse est, fiat secundum votum et desiderium cuiusvis ritus fidelium quorum repraesentantes sunt episcopi et cleri tum saeculares tum regulares.

10. Apud Indos, regiones septentrionales ubi dantur territoria vasta sine ullis catholicis committantur zelo apostolico catholicorum ritus chaldaici malabarensium.

11. Instituantur consilia laicalia, consultativa tamen, pro unaquaque paroecia; deliberationibus autem illius consilii magnum detur momentum.

12. Synodi provinciales sint frequentiores.

13. Ad fovendum spiritum unitatis, imponantur provinciis ecclesiasticis eiusdem ritus communes libri: pro studiis catecheticis, pro Missa assistenda etc.

14. Promoveantur Instituta Saecularia.

15. Formentur iuvenes ad exemplar « Catholic Evidence Guild » Angliae.

Liturgia. Omnibus ritibus concedatur usus linguae vernaculae in liturgia.

16. Concedatur omnibus ritibus venia concelebrationis saltem semel vel bis in anno puta, occasione Exercitiorum Spiritualium.

17. *Moralis.*

In studiis Theologiae Moralis magis insistentia fiat de caritate quam de castitate.

18. Media adhibeantur ut iustitia socialis a catholicis magis practicetur.

Dogma.

19. Definiatur tanquam Dogma Fidei: « Maria Mediatrix omnium Gratiarum ».

20. Definiatur status infantium sine baptismo morientium.

21. Missa, estne numerice una ac Sacrificium Calvariae?

22. Quomodo Dominus determinavit materiam et formam Sacramentorum?

✠ MATTHAEUS POLANAMUZHI
Episcopus Kothamangalamensis

23

ECX.MI P. D. THOMAE THARAYIL
Episcopi Kottayamensis (Kottayam)

22nd agust 1959

Your Eminence,

I am so happy I am sending the enclosed to my own Professor. With assurance of prayers and request for prayers for me & Kerala,

With deep esteem and profound veneration, Yours most devotedly in the S. H.,

✠ T. THARAYIL
Bishop of Kottaym

Eminentissime Princeps,

Pergratum mihi est responsum mittere hisce litteris corde humili epistolae vestrae:

a) Invitationes personales mittantur principibus variarum sectarum dissidentium ad Concilium Oecumenicum.

b) Materia tractanda in Concilio haec videtur:

1. Vita Pastoralis Ecclesiae intensificatur a Clero ut Christifideles vitam catholicam interiorem magis perfectam ducant, frequentando Sacramenta ut sint membra viventia Mystici Corporis Christi.

2. Apostolatus Laicalis promoveatur ut zelo imbuti Christifideles operam dent pro extensione Ecclesiae tum inter dissidentes tum inter infideles.

3. Doctrina Ecclesiae circa quaestionem socialem magis divulgetur praesertim apud operarios ita ut operarii sentiant Ecclesiam revera velle custodire eorum vitam commodam etiam materialem et iura eorum in vita sociali.

4. Pugna contra communismum efficacior fieri debet.

5. Relationes magis cordiales statuendae sunt inter personas variorum Rituum liturgicorum tum in Ecclesia tum extra Ecclesiam ut reditus in Ecclesiam facilius fiat apud dissidentes.

6. Disciplina in Seminariis ita fiat ut praecludatur spiritus materialismi a Clero.

7. Theologia, Philosophia et aliae scientiae in Seminario doceantur cum eorum applicatione practica ad solvendas quaestiones modernas et locales.

Maxima qua par est reverentia
Eminentiae Vestrae devotissimus

✠ THOMAS THARAYIL
Episcopus Kottayamensis

24

EXC.MI P. D. ALOYSII LA RAVOIRE MORROW
Episcopi Krishnagarensis (Krishnagar)

16 luglio 1959

Beatissimo Padre,

Con l'unico intento di fare cosa gradita a Vostra Santità, con vero amore filiale e cuore aperto, scrivo questa lettera.

Mi è pervenuta la venerata circolare Prot. N. 1 C/59-698, in data 18 giugno 1959, firmata da Sua Eminenza Rev.ma Domenico Card. Tardini, Presidente della Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, manifestando l'augusto desiderio di V. S. di conoscere le opinioni e proposte nostre.

Al termine della circolare si legge: ... « Responsiones omnes *lingua latina* exarentur ».

Santità, umilmente prego che sia concesso ai vescovi di fare queste « responsiones » ed altre che venissero richieste in futuro, ed anche la celebrazione del Concilio stesso, in una delle principali lingue, per es. Latino, Francese, Inglese, Italiano, Spagnuolo o Tedesco. Le comunicazioni, le circolari, le relazioni e i verbali del Concilio siano pure in Latino chiaro e facile come quello della circolare del Cardinal Tardini sopra menzionata, ma le discussioni, le osservazioni e i discorsi dei vescovi possano essere fatti in una delle lingue principali parlate.

Nel gennaio del 1950, nella città di Bangalore, ebbe luogo il Primo Concilio Plenario dell'India, presieduto da Sua Eminenza Reverendissima il Cardinal Gilroy. Eravamo oltre cinquanta vescovi e prelati. Se fossimo stati richiesti di esporre le nostre opinioni in latino e di partecipare alle discussioni in tale lingua, avremmo avuto un concilio morto. Invece eravamo liberi di parlare oltre che in latino, anche in inglese, francese o italiano. Sua Eccellenza Mons. Iosé da Costa Nuñez, allora Arcivescovo di Goa e Patriarca delle Indie Orientali e presentemente Vice-Camerlengo di Santa Romana Chiesa, parlò in Portoghese.

Noi vescovi che partecipammo al Concilio Plenario di Bangalore eravamo di diverse nazionalità, del clero secolare e religioso, così come sarà al Concilio Ecumenico.

Già si incomincia a sentire che il Concilio Ecumenico sarà tutto preparato dai segretari delle varie Congregazioni Romane, e che i Vescovi dovranno soltanto apparire come figure decorative con un « utique » che avrebbe ben poco significato.

Come giovani studenti potevamo esprimerci in latino, ma dopo tanti anni ciò non ci è più facile o possibile. Saremmo così impediti di partecipare alle discussioni. Alla maggioranza di noi Vescovi manca per molti anni la pratica in tale lingua.

Durante diciassette anni come segretario della Delegazione Apostolica a Manila, Filippine, e poi vent'anni come Vescovo, ebbi occasione di attendere a diversi congressi internazionali, riunioni, assemblee, ecc., e trovai che la sessione in latino era sempre la meno attesa; si era ridotti ad ascoltare la *lettura* da qualche dottore di Roma, su argomenti astratti e di tempi passati. Se per caso qualcuno si spingeva a fare qualche osservazione in latino, era per proporre qualche idea strana; le discussioni si facevano in lingua parlata. È vero che dispiace parlare in questo modo della lingua nostra ufficiale, ma per il Concilio dovremmo stare ai fatti ed alla praticità.

Moltissimi Vescovi saranno grati a Vostra Santità se concederà loro

di parlare una lingua che conoscono bene, e sentiranno che il prossimo Concilio sarà fatto da loro e non soltanto da segretari esperti nella lingua latina, ma con poca o nessuna esperienza nel campo pratico dell'apostolato.

Prego Vostra Santità di benedire questo suo figlio consacrato Vescovo dal suo santo predecessore Pio XII, e voglia anche benedire i missionari sacerdoti, le suore, i fedeli, nonchè i tre milioni di non-cristiani di questa diocesi e difficile missione di Krishnagar nel Bengala della grande India.

Umil.mo figlio che le bacia il S. P.

✠ Luigi La Ravoire Morrow
Vescovo di Krishnagar

* * *

25 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Umilmente prego l'Eminenza Vostra di accettare le accluse « animadversiones » preparate in obbedienza alla Sua veneratissima circolare Prot. N. 1 C/59-698 del 19 giugno 1959.

Come Vostra Eminenza vedrà, se avesse tempo di dare un rapido sguardo, furono fatte « omni cum libertate et sinceritate ».

Con sentimenti di profonda stima e venerazione, mi professo

Dell'Eminenza Vostra Rev.ma
Umil.mo servitore in Corde Iesu

✠ Luigi La Ravoire Morrow
Vescovo di Krishnagar

1. *Curia Romana.* Che vi siano Sacre Congregazioni con funzionamento simile a quello della Chiesa Orientale e De Propaganda Fide, assegnando a ciascuna regioni o gruppi di nazioni con simili condizioni di vita cattolica. Il loro numero può essere ridotto ad otto o dieci.

Queste Congregazioni Regionali potrebbero meglio conoscere le peculiari condizioni della loro regione, e dare così istruzioni e direttive più opportune e precise. Il Cardinale Prefetto ed il personale addetto, darebbero tutta la cura ed attenzione alla loro regione. A fine di conservare unità di azione, il personale dirigente delle diverse sezioni delle varie congregazioni regionali può costituire delle Commissioni di consultori in affari che interessano tutto il mondo.

Le rappresentanze della Santa Sede, con o senza carattere diplomatico, dipenderebbero dalla Segreteria di Stato e dalla rispettiva S. Congregazione Regionale.

Presentemente avviene che molte direttive ed istruzioni diramate dalle S. Congregazioni non riguardano tutte le regioni del mondo, oppure sono soltanto negative, od arrivano assai in ritardo.

Proposta divisione delle Sacre Congregazioni Regionali

1. *S. C. R. Europa Latina*:
   Italia, Francia, Belgio, Lussemburgo, Monaco, Spagna, Portogallo.
2. *S. C. R. Sassone*:
   Germania, Austria, Svizzera, Danimarca, Polonia, Olanda, Lituania, Finlandia, Norvegia, Svezia.
3. *S. C. R.* Slovacca:
   Cecoslovacchia, Romania, Ungheria, Russia, Jugoslavia.
4. *S. C. R.* Chiesa Orientale:
   Come al presente.
5. *S. C. R. Anglica*:
   Inghilterra, Irlanda, U.S.A., Canada, Australia, Nuova Zelandia, Isole Filippine.
6. *S. C. R. America Latina*:
   America Latina.
7. *S. C. R. Asia I*:
   India, Ceylon, Pakistan, Birmania, Malacca.
8. *S. C. R. Asia II*:
   Cina, Giappone, Korea, Formosa, Vietnam, Laos, Cambogia, Thailandia, Indonesia.

2. *Lingua Ufficiale.* La lingua latina non è più un mezzo per l'unità della Chiesa. Sovente è causa di disunione ed è un impedimento per l'espansione. Come nei primi secoli della Chiesa il latino sostituì il greco, così le lingue nazionali sostituiranno il latino, perchè la Chiesa si estende a tutto il mondo. Il ritardare questo cambio, significa ritardare l'espansione organizzata della Chiesa e la propagazione della Fede.

Non è possibile combattere una guerra moderna con armamenti antiquati.

Il motivo principale del progresso fatto dai missionari protestanti sta nell'uso di mezzi moderni e pratici.

Molti laici cattolici che non hanno studiato il latino, e perfino suore di alcune Congregazioni recenti, nonostante lo svantaggio dovuto al loro sesso, sono meglio preparati dei seminaristi, sono più pratici, comprendono meglio le diverse situazioni, perchè non hanno perduto tanto tempo, come la maggior parte dei seminaristi, studiando una lingua che pochissimi riescono a conoscere a fondo, e che presto dimenticano, ed il conoscerla è di poco o nessun vantaggio od utilità al loro apostolato.

I ministri protestanti sono già in proporzione del dieci per uno sui cattolici. Di questo passo, se non ci svegliamo, nel duemila, saranno il il 50 per uno.

Cessando il latino di essere la lingua unica, ufficiale della Chiesa e rimanendo solo di uso facoltativo, la riunione delle Chiese Ortodosse Orientali diventerebbe molto più semplificata e facile; col tempo anche queste chiese adotterebbero le lingue parlate.

Che bella festa non farebbero i seminaristi se lo studio del latino fosse dichiarato facoltativo! Non per effetto di pigrizia, ma solo per la convinzione che il latino non è più necessario; è una perdita di tempo, mentre vi sono altri soggetti di studio più utili all'apostolato. Gli studenti di filosofia e di teologia devono servirsi di testi latini che non capiscono bene e perciò le spiegazioni del professore si devono fare in lingua volgare. Molti secolari, pieni di virtù e di scienza, celibi e vedovi, potrebbero abbacciare lo stato ecclesiastico se non esistesse l'impedimento del latino.

Perchè ci fu inculcata l'idea che il latino è indispensabile all'unità della Chiesa, rimane il timore di pronunziarsi in favore di una sostituzione con le lingue parlate, quasi si tratti di eresia, o per lo meno sia un indizio di ignoranza. Non era forse lo stesso fino a pochi anni fa per chi domandava la facoltà di bere acqua prima della S. Comunione? Se il permesso veniva concesso, era sempre «onerata conscientia Episcopi »... Non potrebbe la Chiesa Cattolica adottare, rispetto alla lingua, un sistema simile a quello delle Nazioni Unite?

3. *Anno Liturgico.* Presentemente la Messa e l'Ufficio Divino mancano di unità e collegamento per le frequenti interruzioni delle feste dei Santi. Vi sarebbe più unità se si seguissero per tutto l'anno le norme ora in uso nel tempo quaresimale, cioè tutti i giorni siano di feria col proprio ufficio e Messa, e sia facoltativo recitare l'ufficio o celebrare la Messa della feria oppure del santo.

4. *Lingua Liturgica.* Sia facoltativo l'uso del latino o delle lingue locali, con l'approvazione dell'Ordinario.

5. *Il Breviario dei Sacerdoti.* Il Breviario è il libro di preghiera e di vita spirituale del sacerdote. Si propone che con le preghiere comuni a tutti i sacerdoti, vi siano letture scelte di ascetica e di pastorale e visite al Ss.mo Sacramento. Che ci siano duo o tre edizioni o tipi di breviario a scelta, rimanendo sempre l'obbligo della recita di uno di essi. Un po' di varietà nelle preghiere stimola il raccoglimento. Che sia facoltativo recitare il Breviario in latino od in altra lingua approvata. Non pare strano obbligare i sacerdoti alla recita del breviario in una lingua che non amano e che non possono gustare, essendo alquanto oscura per loro, e senza i frutti desiderati?

6. *Battesimo.* Che le cerimonie del Battesimo vengano abbreviate. Si ometta, o sia solo facoltativo l'uso della saliva, del sale, delle insufflazioni ed unzioni sul petto e sulle scapole.

7. *Santa Messa.* Che si favorisca sempre più la partecipazione dei fedeli col sacerdote offerente, non solo dando la facoltà di dire tutte le preghiere in lingua volgare, ma partecipando all'offertorio.

A conclusione della celebrazione della Messa, che il Sacerdote, dopo il « post-communio », ritorni al centro dell'altare, ed inginocchiandosi sulla predella, reciti coi fedeli varie preghiere di ringraziamento (come quelle dell'Enchiridion nn. 131, 201, 232, una forma semplificata della Preghiera Universale di Papa Clemente XI, o simili). Dopo queste preghiere il Celebrante dica il « Placeat », dia la Benedizione more solito, dica l'Ite Missa est, e poi ritorni direttamente in sacrestia.

8. *Matrimonio.* Semplificare la preghiera della « Benedictio Nuptiarum ».

9. *Consacrazione di Chiese.* Abbreviare e semplificare il rito della consacrazione delle chiese. Com'è al presente è molto difficile poter consacrare una chiesa.

10. *Luce elettrica.* Che sia facoltativo usare luce elettrica oppure olio o candele come lampada per il SS.mo Sacramento, nelle funzioni ordinarie inclusa la Santa Messa, per la Benedizione col Ss.mo Sacramento, ecc.

✠ LUIGI LA RAVOIRE MORROW
Vescovo di Krishnagar

25

EXC.MI P. D. DANIELIS P. ARULSWAMI

Episcopi Kumbakonamensis (Kumbakonam)

Die 16 februarii 1960

Eminentissime Domine,

Imprimis veniam quaeso Eminentiae Tuae pro tarda responsione litteris Tuis iam in mense iunio anni elapsi acceptis. Cum non haberem opiniones seu sententias particulares quas Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico suggerere potuissem, non cogitabam me debuisse immediate respondere.

Deum Omnipotentem continue adprecamur pro felici exitu Concilii Oecumenici. Deo volente me etiam participaturum esse in Concilio Oecumenico Eminentiam Tuam iam certiorem facio.

Interim omnia bona et prospera auspicans pro Commissione in suo praeparatorio labore arduo, impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae et qua par est reverentia maneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Devotissimus in Christo
✠ DANIEL P. ARULSWAMI
Episcopus Kumbakonamensis

26

EXC.MI P. D. ALBERTI C. DE VITO

Episcopi Lucknovensis (Lucknow)

25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum nobis fuit Eminentiae Vestrae Epistulam N. 1 C/59 die 18-6-59 datam recipere.

Debita reverentia aliquas animadversiones quae pro Concilio utiles esse possunt, una cum ista epistula nostra remittimus.

Dum S. Purpuram reverenter osculor, Eminentiam Vestram meam Dioecesim benedicere et pro me ad Dominum exorare adprecor.

Eminentiae Vestrae add.mus
✠ ALBERTUS C. DE VITO
Episcopus Lucknovensis

De Fide

1. Videtur opportunum esse proclamare Matrem Domini Nostri Iesu Christi, « corredemptricem » generis humani.

Rationes:

a) Fideles in tota Ecclesia hoc credunt et Illam Corredemptricem, Auxilium Christianorum invocant.

b) Theologi omnes, sine ulla dissensione, hoc docent.

c) Omnes Episcopi in hoc credendum et docendum concurrunt.

d) S. Sedis Documenta iam hoc approbant, Festum Mariae Auxiliatricis permittunt, et implicite hoc proclamant.

e) Hoc titulum videtur contineri in S. Scriptura dum Beatissima Virgo proclamatur Mater Dei, Mater Christi, Mater Salvatoris. Immo de facto Redemptorem adiuvat uti Mater in Redemptione.

2. Videtur opportunum declarare Deiparam Virginem, nomine « Maria » tantum vocari non decere.

Nullus filius matrem suam nomine vocat; generatim Genitrix aut Mater vocatur, aut aliquo titulo reverentiali.

In casu Deiparae Virginis Mariae, nos quoque tali modo procedere possumus et Illam invocare: Mater Dei, Mater Christi, Deipara, Domina mea, Mater mea, Regina coeli, Regina coelorum etc.

Opportunum ideo videtur declarare novas invocationes eisque semper uti debere. Veterae autem invocationes, dum prelis dantur, corrigi debeant.

3. *S. Ioseph titulo speciali* dignus est, ideoque cultus specialis Ei debetur:

1) Nunc quidem Christi Pater *Putativus* vel Nutritius nuncupatur. Quod vero nomen cuivis convenit qui filium in adoptionem sumit. Maritus, natura sua, uxoris suae prolis est pater legalis, etiam si conceptionis eius auctor non sit. Liceat, salva reverentia, axiomate uti: *Partus semper sequitur ventrem.* Unde, qui verus est maritus, et verus *pater* legalis *uxoris suae prolis* esse et *vocari* debet.

2) Cultus *specialis* Sancto Ioseph certe debetur cum *Pater legalis Iesu Christi* et Sponsus Deiparae sit. Talis cultus « Hyperdulia Concomitans » dici posset. Si talis titulus adoptari tamen nequeat, alia inveniantur et adhibeantur verba *maiorem* Ipsi prae ceteris Sanctis debitam venerationem exprimentia.

3) Sancta Maria Goretti totius orbis puerorum et puellarum *Patrona* declarari posset.

De theologia morali de matrimonio

1. Quoad leges quae de Matrimonio agunt quaedam revisendae et emendandae veniunt.

2. Quaeritur: Si actus matrimonialis artibus mechanicis vel chimicis vel quocumque modo conceptionem impedientibus semper peractus fuerit, Matrimonium consummatum tenendum est an non?

3. In locis Missionum, in parvis Dioecesibus, tribunalia matrimonialia sunt impossibilia.

4. Processus iudicialis seu ratio procedendi in causis (actionibus) matrimonialibus nimis difficilis et intricatus exstat.

5. Quaeritur: num talis processus in compendium redigi posset ita ut adhiberi possit in his locis ubi sacerdotes, iam pauci numero, carent et tempore et experientia practica.

6. Matrimonia non pauca tempore belli vel statim subsequenti contracta certe sunt invalida: vel quia omnia documenta, archivis deletis, haberi non poterant; vel quia pars saltem una ex contrahentibus (speciatim in matrimoniis mixtis) falsum iusiurandum emisit; vel quia leges civiles et militares contrahentes protegebant, et sacerdotes aliam non habebant status liberi evidentiam; vel quia contrahentes theoriis modernis de *Matrimonio ad tempus* etc. imbuti, nuptiarum secundum Ecclesiae ritum celebrationem petierunt ad maiorem tantum externam procurandam pompam. Nunc autem perdifficile est testimonia et documenta invenire ad illorum matrimoniorum nullitatem comprobandam quamvis, ut supra diximus, certe sint invalida.

Olim in regionibus Catholicis matrimonium *unum et indissolubile* ab omnibus omnino tenebatur; nunc autem, proh dolor! iuventus ad nuptias convolat videns et sciens plurimos, qui artis televisivae, radiophonicae, et cinematographicae « divi » (vulgo: stars) putantur, *ad tempus tantum nubere,* et divortium ad libitum contrahentium petere.

Si in re tam sancta tantique momenti hoc accidit inter Catholicos quid dicendum de regionibus acatholicis, immo infidelibus, ubi christiana de matrimonio idea optima atque exemplaris neque cognita neque exculta est?

Ex hoc manifestum est multos nuptias contrahere falsa vel dubia conscientia, et maxime dubium est multos intentionem habuisse Sacramentum reapse suscipiendi.

Dum pro posse Matrimonium restituere oportet ad pristinum splendorem, consulendum certe venit etiam, tot Christianis a religionis observantia matrimonio invalido, cuius tamen invaliditas probari nequit, detentis.

De Missa Vespertina

1. Quum sacerdotum numerus insufficiens sit, diebus dominicis et festivis convenit ut Missa Vespertina *ordinarie,* et non ex indulto speciali, habenda sit.

2. Vita, occupationes condicionesque nostri temporis *habitualem* exigunt Missam Vespertinam.

3. Bonum esset proinde ad primordia rei Christianae redire quum Missa quacumque convenienti hora celebrabatur, dummodo leges liturgicae debita cum reverentia ac decore observentur.

De Sacra Communione

1. Cum Dominus Noster Iesus Christus nullam imposuerit restrictionem quoad numerum Communionum quotidianarum, permitti posset fidelibus Communio, singulis in Missis ab ipsis una cum celebrante oblatis

2. Patres nostri in principio religionis Christianae ad Sacram Synaxim toties accedebant quoties necessitas vel opportunitas aderat illis.

3. Quum diebus nostris Communionum numerum augere oporteat, bonum esset fideles quampluries ad Sacrae Eucharistiae susceptionem potius attrahere quam ab ea arcere.

4. In terris Missionum difficile est sorores et fratres cuiusvis Congregationis Religiosae statuere in locis, ubi nullus sacerdos potest residere, et ubi vero inhabitat, facile tamen peragrare nequit: secus enim fratres et sorores sine Sacra Communione erunt. Convenit ergo (ut in temporibus primis rei Christianae) aliquem ex fratribus vel soribus Sacram Communionem distribuere, ita ut sacerdos sacro suo ministerio diutius incumbere possit, Missa autem semel in hebdomada habeatur, sine piarum animarum detrimento.

De habitu clericali

1. Diebus praeteritis habitus clericalis honorabatur ab omnibus; hodie vero, non ita; immo a non paucis contemptui habetur.

2. Clericos et Religiosos iter aliquando facere, et in locis ubi vestis clericalis est invisa, versari oportet.

3. Sunt etiam nonnullae regiones in quibus clericalis vestis est non parum molesta, et aestus vel frigoris vel intemperiae causa valetudini non idonea.

4. Hisce diebus textilia tanti veneunt ut quis censeat an deceat clericos et religiosos tam luxuriose vestire quando multi pauperes necessariis indigent rebus.

Itinera, opera manualia, quae hodie communiter adhibentur vehicula, difficile reddunt habitus clericalis usum.

6. Decet igitur habitum religiosum vel clericalem pro illis locis in quibus sacrae habentur functiones quae ad religionem vel communem pertinent vitam praescribere.

7. Obiciat quis: Religiosi et Clerici non amplius habebunt tutelam illam quam habitus illis praestat.

Sed rationes, quas supra adduximus, tantae et tales sunt ut prudens esse videatur disciplinam praesentem mutare et temporibus hodiernis eam adaptare.

In illis regionibus ubi habitus clericalis iamdudum non induebatur clerici hoc privilegio non videntur abuti.

De vita spirituali

1. Quum externum apostolicum opus in dies crescat rectae alumnorum seminariorum vel domuum religiosarum institutioni instare necesse est.

2. Seminaristarum animum imbuere oportet principiis firmis atque certis ita ut in suis necessitatibus spiritualibus sibi semper consulant.

3. Cavendum est a rebus externis non necessariis quae sensim sine sensu apostolatus locum usurpant.

4. Cavendum quidem venit a duplicatione non necessaria in exercitiis spiritualibus. e. g.

1) Hora Prima Officii diei et preces matutinae privatae. Prima praescripta est ut dies orando incipiatur; sed et orationes matutinae eumdem habent finem.

2) Hora Tertia dici debet ante Missam Conventualem; ideoque alia praeparatio ad Missam supervacanea dicenda venit.

3) Item Completorium pro precibus serotinis praescribitur.

5. Curandum est Ordinariis locorum ut Clerici et Sacerdotes (iuxta codicem Iuris Canonici can. 125) quotidie orationi mentali per aliquot tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant. Quae cum ita sint, quid novi habent ceterae horae diurnae, speciatim Vesperae?

6. Lectiones Nocturnorum, et lectio alia spiritualis, est alia instantia supradictae duplicationis non necessariae.

7. Ideoque nonne statuere oporteret: clericum omnia canonice praescripta pia exercitia adimplentem non amplius ad privatam Divini Officii

recitationem teneri, quum Officium Divinum clericis praescriptum fuerat ad eorumdem exercitiorum locum tenendum?

8. In recitationem Divini Officii et in peractionem istorum exercitiorum fere idem impenditur tempus; sed pia exercitia videntur esse fructuosiora quam Divini Officii recitatio: ista enim saepe mechanica evadit quia *onus diei* exstat.

9. Haec pia exercitia introducta fuerant ut Christifideles suo nativo orent sermone. Ideoque Officium Divinum et haec pia exercitia sunt merae duplicationes eiusdem orandi praecepti.

10. Facilius est iungere vitam apostolicam istis exercitiis spiritualibus quam recitationi Officii Divini. Siquidem et in futurum Officii Divini maneat recitatio, oportebit rectius atque exactius determinare quando ista cessat obligatio.

11. Ut nunc res se habent, multi sacerdotes, qui « portaverunt onus diei et aestus », sub undecima noctis hora, furtim raptimque Officium diei recitatum propriam petunt cellam. Quod quidem non raro, sed frequentius evenit.

✠ ALBERTUS C. DE VITO
Episcopus Lucknovensis

27

EXC.MI P. D. IOANNIS P. LEONARD
Episcopi Maduraiensis (Madhurai)

Die 13 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Pauca tantum puncta mihi occurrunt proponenda.

A) IN GENERE

Accepto nuntio Concilii oecumenici mox celebrandi, clerus et fideles huius dioecesis una cum fidelibus totius orbis terrarum gravisi sunt et preces effundere curant ad hoc ut Divina Bonitas propositum ad felicem exitum conducere dignetur.

Bona habetur spes fore ut tantus labor multum conferat et ad doctrinam christianam contra errores nostri temporis vindicandam et ad renovationem spiritualem inter fideles promovendam, et, Deo favente, ad ecclesias dissidentes in domum paternam fauste reducendas. In hunc finem operae pretium esse videtur sequentia inter alia quae in futuro Concilio tractari poterunt adnumerare.

I. *De re dogmatica*

a) Cum praecipuus scopus Concilii sit « instaurare omnia in Christo », magnopere interesse videtur ut doctrina Mystici Corporis Christi, tam praeclare et tanta eruditione a Pio XII f. m. tradita, magis divulgetur, et, practice apprehensa, in vita quotidiana Christianorum et mutua consuetudine resplendeat.

b) Pariter, siquidem nostra aetas apposite « aetas Mariana » designatur, haud parum proderit, si doctrina Beatae Mariae Mediatricis omnium gratiarum, clare enucleata, firmis fulcita argumentis, et ad captum christifidelium illustrata, suum in Catechismo locum obtineat; et, si opportunum videatur, tanquam dogma definiatur.

II. *De re morali*

a) Ratione errorum hodiernorum et laxae moralitatis, valde interest notionem peccati accurate definire, eius malitiam vehementer inculcare, conscientias rite informare.

Sub hoc capite nonnullae quaestiones mentes perturbare solent, v. gr. de re sexuali, de cooperatione illicita, de communicatione in sacris...

b) Imprimis consideranda veniunt problemata quae spectant iustitiam relate ad dissensiones inter homines et societates de iuribus exortas et ubique terrarum pullulantes.

III. *De re liturgica et catechetica*

a) Reformationes recentiores liturgiae sacrae praesertim quoad Ordinem Novum Hebdomadae Sacrae et quoad Breviarium perutiles evasere.

Succrevit sacerdotum amor erga servitium altaris; apud fideles habetur melior intelligentia et studium divini cultus, in quo reperitur « primarius et omnino necessarius fons veri spiritus christiani ».

Hac in re desideratur plenior recognitio librorum liturgicorum — Missalis, Breviarii, Ritualis, Pontificalis — ad hoc ut amplior colligatur fructus pastoralis tam pro sacerdotibus quam pro fidelibus.

Valde interest determinare et augere usum sermonis vulgaris in functionibus sacris in quibus fideles actuosam partem sumere debent.

b) Quod ad Catechesim et Praedicationem attinet, proderit sollerter introducere magisque adhibere Verbum ipsum Dei nobis in Libris Sacris communicatum, ita ut Revelationis thesauri latius diffundantur inserviantque ad vires spirituales christifidelium aptissimo cibo firmandas.

IV. *De Apostolatu*

a) Maxime interest recte de clericis instituendis curare. Servatis utique quae fundamentalem et perennem valorem prae se ferunt, necessitudinibus tamen nostrae aetatis oportet educationem clericalem accomodare.

b) Clare definiatur et circumscribatur laicorum in Christi sacerdotio participatio, vi cuius fiunt participes Ecclesiae apostolatus. Non mediocris utilitatis ad Regnum Christi promovendum adstant associationes « Catholicae Actionis » quae dicuntur et pro parte virili sacerdotibus in ministeriis gerendis auxiliantur.

c) Explorentur media apta ad redimendos fratres separatos. Quanam ratione et in quibus circumstantiis permittitur cooperatio cum non-christianis? Quantopere approbanda veniat cooperatio in rebus civilibus?

V. *De Iure Ecclesiastico*

Placet recognitio Codicis Iuris Canonici.

Gratum et optatum foret si pro causis matrimonialibus caeterisque brevior et simplicior prae manibus habeatur procedendi modus.

B) In specie

I. *Disciplina cleri*

Constat quod nostris temporibus sacerdotes in sacro ministerio incumbentes tot et tam variis occupationibus tenentur ut, nisi caute vigilent, facile spiritus interior periclitetur et verus zelus apostolicus tepescat.

Quare maximi est momenti ut vita spiritualis in seminariis imprimis omni cum cura foveatur. Ad hoc requiritur ut pro numero clericorum copia praefectuum spiritus suppeditetur ad hoc ut non tantum collective sed et singuli individua directione in pietate et virtute rite instituantur.

Desideratur etiam ut qui ad seminarium maius admittuntur, primum ineant aliquam probationem seu quasi-novitiatum, scilicet ut per duos vel tres menses versentur in studio principiorum vitae asceticae et in exercitiis spiritualibus rite peragendis. Sic initiati uberiorem fructum colligerent ex cohortationibus et directionibus deinceps tradendis, statutis temporibus, et ad vitam quotidianam sancte ordinandam consuescerent.

Maxime foveatur vita liturgica ita ut artibus et exercitationibus so-

lide instructi et fervore inflammati, futuri sacerdotes spiritum et praxim sacrae liturgiae in sacro ministerio conservare et inter fideles apte stimulare desiderent et queant.

Opportunum quoque videtur ut neo-sacerdotes, expletis studiis theologicis, antequam ad munia paroecialia transferantur, per unum saltem annum retineantur in aliquo Instituto ecclesiastico, quo tempore magis directe et active initiari possint ad varia munia secundum diversa genera fidelium et peculiares necessitudines spirituales, vel etiam ad speciale quoddam officium ipsis concredendum informari et requisitis dotibus exornari queant.

II. *Disciplina Fidelium*

a) Libet testificari assiduitatem quam fideles praebuerunt in frequentandis caeremoniis Hebdomadae Sacrae. Attamen optandum est ut fideles possint melius capere sensum spiritumque variarum actionum. Ad hoc prodesset si lectiones in Actione Liturgica Feriae VI et in Vigilia Paschali — immo omnes lectiones in Missa saltem diebus Dominicis et diebus de praecepto — quae nunc latino sermone recitantur, lingua vernacula ab ipsis ministris legerentur.

b) Ut paucitati sacerdotum in missionibus aliquantum consulatur adiumento laicorum zelo apostolico imbutorum, associationes Actionis Catholicae oportet principiis spiritualis vitae intensius informari.

c) Ad vitam christianam inter christifideles in missionibus rite instituendam excolendamque desiderantur:

profundior notitia doctrinae christianae;
strictior legum matrimonialium observantia;
conformatio familiae christianae ad instar domus Nazarethanae;
recta liberorum cura et educatio;
unio cordium et opera caritatis in paroeciis excitanda et fovenda.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam obsequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum servum in Christo

✠ IOANNES P. LEONARD
Episcopus Maduraiensis

28

Exc.mi P. D. LUDOVICI MATHIAS

Archiepiscopi Madraspolitani et Meliaporensis
(Madras and Mylapore)

Augustae Taurinorum, die 4 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Epistula Prot. N. 1 C/59-791, quae non prius quam die 18 mensis augusti in urbem Madras pervenit, unde iterum ad me ab Excellentissimo Episcopo Auxiliari meo in Europam, ubi tunc eram, remissa fuit, nonnisi die 28 eiusdem mensis Augusti ad manus meas pervenit: ex quo intelligas, quaeso, quo pacto responsum, prouti requirebatur, non ultra diem 1 mensis septembris dare possibile mihi, ut optassem, minime fuerit.

Quamobrem, rogo, habeas me excusatum.

I. *De Oecumenici Concilii convocandi opportunitate*

Ubi primum per ephemerides, sub fine mensis ianuarii, nuntium de proxima novi Oecumenici Concilii proclamatione pervenit, magno cum gaudio ab omnibus acceptum fuit et plausu, sive ex parte Cleri, sive ex parte Laicorum Archidioecesis Madraspolitana-Meliaporensi: quinimmo tota praefata Archidioecesis officium suum duxit preces statim ad Deum Altissimum fundere pro felici eiusdem, Deo provide inspirante, praenuntiati Concilii exitu, ex quo copiosi magnique sperantur fructus, atque caelestium benedictionum abundantia, in primis pro tota Universali Ecclesia, itemque pro omnibus et singulis Christifidelibus, necnon pro aliis multis animabus, etiam fratrum nostrorum a vera Christi Ecclesia separatorum de quibus, ut puto, cura et ratio etiam in futuro Concilio habebitur.

Periucundum itaque mihi est filiali ex animo S. S. Ioannis XXIII Summo Pontifici fel. reg. grates rependere ac devota sensa mea, eamdem Sanctitatem Suam certiorem faciens de fervidis precibus totius Cleri omniumque Christifidelium Archidioecesis Madraspolitanae-Meliaporensis pro intentione Sua, quam Spiritu Sancto afflante palam fecit, novum convocandi Concilium, necnon pro eiusdem Concilii pleno ac felicissimo exitu, humiliter aestimans illud peropportunum fore atque ad maiorem Dei gloriam convenientissimum.

II. *De ecclesiarum separatarum ad unitatem cum vera Ecclesia reditu.*

Quod argumentum cum plurimis in ephemeridibus et periodicis expositum atque disputatum inveniatur, mecum ipse cogitabam et considerabam, utrum illud opportune necne inter quaestiones in futuro Oecumenico Concilio tractandas sit computandum: utrum scilicet agendum sit de fratrum separatorum ad unam veram Matrem Ecclesiam Catholicam reditu, et qua ratione hoc ipsum negotium sit tractandum. Mihi quidem nullum dubium est, quominus, maxima quidem cum caritate simul atque iustitia, rationes ac modi omni studio perpendantur, quibus utrimque accessus foveatur atque reditus ad unitatem cum vera Ecclesia obtineatur. At vero mihi haud datur perspicere quomodo ipsum Concilium futurum concipiatur tamquam congregatio quaedam, ad quam etiam ipsi fratres separati invitentur cum quibus in ipso eodemque Concilio disputetur praecise de modo aut de rationibus hunc reditum, concordiam et unitatem obtinendi. Cum nimias videlicet putem in casu fore difficultates, non valeo satis adaequatam de tanta quaestione exprimere sententiam. Partes nihilominus inter se appropinquare, procul dubio, necesse est.

III. *Animadversiones quas libero ac sincero omnino animo communico*

1. *De Auctoritatibus Ecclesiasticis.*

Opportune et importune instandum est ut omnes cum debita affectione, observantia, veneratione et fidelitate subditi sint et respective addicti:

a) Summo Pontifici, in primis, instando ut sacra eiusdem Persona fortiter semper, contra omnes et in omnibus adiunctis, defendatur;

b) Episcopatui universo, et Episcopis singulis;

c) Clero catholico in genere.

2. *De Habitu Ecclesiastico et Tonsura.*

Cuiuscumque formae sit habitus a Clericis tempore normali deferendus, aliquid semper gerendum praescribatur quo Clerici a caeteris distinguantur, eodemque clare (exceptione facta pro casibus et adiunctis extraordinariis) ad Clerum pertinere ostendatur.

Non videtur mihi necessarium, praescriptionem Tonsurae gerendae amplius retinere.

Habitus quoque praelatitii ad simpliciorem formam videntur reducendi, quo et expensae minuantur et pompa nimia vitetur.

3. *De Cleri atque Ecclesiarum indigentia sustendanda.*

Caritas et iustitia expostulant ut dolendae huic conditioni multorum, et debita consideratio applicetur et remedia provideantur. In eadem, saepius, dioecesi, ecclesiae opibus refertae ecclesiis mediis ac subsidiis nimium destitutis iuxtaponuntur atque indecorose opponuntur.

Excogitentur alia media ac subsidia quibus Ecclesiae et Clerus legitime substentetur, ita ut excludantur, ex parte saltem, collectae quae in officiis sacris fiunt: hoc enim, cum ipsas sacras functiones perturbat, tum ad aedificationem multorum — praesertim infidelium — minime iuvat.

4. *De Laicis.*

a) Momentum apostolatus laicorum confirmetur (« Actio Catholica »), atque fundamentalis conscientiae catholicae in laicis efformandae necessitas.

b) Diaconatus. Cum sacer Diaconatus ordo laicis nequeat conferri, videatur utrum aliquibus selectis optimae notae laicis (uti verbi gratia in terris Missionum catechistis) quaedam partes in exercitio sacri ministerii tribui possint; ita ut vere Sacerdotis sint auxiliares. Vocari poterunt Auxiliares, vel etiam Substituti-Diaconi.

5. *De Baptismate.*

a) Baptismus adultorum magis simplex reddatur quoad ritum, et ab ipso puerorum Baptismo caerimoniae quaedam omittantur quae hygienicis legibus parum suadentur.

b) Catechista uti auxiliarius Sacerdotis vel Substitutus Diaconus in oppidis Missionum quae e sede centrali Missionis longius distent, iure sit auctus baptizandi infantes familiarum christianarum quae e sede centrali satis distent.

6. *De Sacrificio Missae.*

a) Magis directa participatio fidelium foveatur, et, si visum fuerit, celebratio Missae cum Benedictione sacerdotis concludatur, sicut Feria V, in Parasceve et Sabato Sancto iuxta novissimas rubricas.

b) In Missa Pontificali ad maiorem simplicitatem reducantur sacra indumenta, et una tantum mitra adhibeatur.

c) In regionibus ubi, nimii caloris causa, alba iam vestis talaris adhibetur, dispensetur a praescripta alba consueta superinduenda, idque ad nimiam perspirationem praecavendam.

d) In regionibus ubi parochus aut sacerdos desideratur, sed Oratorium aliquod extat, aut parva ecclesia (Capella), ubi fideles congre-

gentur, permittatur ut in praedicto Oratorio vel Capella SS. Eucharistia asservetur, et ut Auxiliarius Sacerdotis vel Substitutus Diaconus (praesertim in terris Missionum) iure gaudeat sese communicandi et sacram Communionem distribuendi fidelibus.

7. *De Matrimonio.*

a) Maiori efficacia atque sollemnitate ornetur atque exprimatur ipse *contractus matrimonialis* in Sacramento Matrimonii administrando: caerimonia enim traditionalis nimis brevis est, neque talis est quae animos satis afficiat de rei gravitate ac momento.

b) In oppidis quae a centro paroeciae longe distant, itemque in oppidis quae in terris Missionum a centro Missionis procul inveniuntur, Auxiliarius Sacerdotis vel Substitutus Diaconus respective iure gaudeat benedicendi et adsistendi matrimonio tamquam testis Ecclesiae authorizabilis.

c) Maxima qua fieri possit sollertia reddantur solutiones pro casibus matrimonialibus de declaratione nullitatis, ne diu sinantur animae, aliquando etiam per annos, versari in angustiis et periculis.

d) Solutio pro casibus evidentioribus, quantum fieri possit, relinquatur Auctoritati Ecclesiasticae loci.

8. *De Sepultura Ecclesiastica.*

In oppidis quae a centro Paroeciae aut Missionis, ius sit Auxiliario Sacerdotis vel Substituto Diacono respective, caeremonias funebres agere.

9. *De Sacerdotum suspensione et expulsione.*

Maior facultas fiat Auctoritati Ecclesiasticae loci expellendi e Diocesi sacerdotem scandalosum aut rebellem, quin expectari debeat eiusdem in alia Dioecesi incardinatio.

10. *Spectacula Cinematographica et Televisionis.*

Instituatur quaedam Societas, vulgo dicta « Agenzia » seu Administratio Catholica Internationalis, sub Auctoritate Apostolicae Sedis, quae et immane malum obscoenae atque perversae productionis valeat continere et arcere, atque volentibus tuta et honesta programmata plena cum securitate offerre.

11. *Ordinarius loci et Superior religiosus in terris Missionum.*

Pro terris Missionum, quae Ordinibus vel Congregationibus religiosis committuntur, relationes inter Ordinarium loci et Superiorem religiosum, itemque eorumdem ad invicem iura atque officia clarius definiantur.

Haec sunt argumenta quae, quantum cogitando invenire potui, examinanda utiliter proponuntur sive in Oecumenico Concilio futuro, sive pro nova reformatione Codicis Iuris Canonici.

Summae aestimationis sensa mea profero,

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus

✠ Ludovicus Mathias
Archiepiscopus Madraspolitanus et Meliaporensis

29

Exc.mi P. D. RAIMUNDI D'MELLO
Episcopi Mangalorensis (Mangalore)

Die 2 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Respondens Vestris litteris datis die vigesima prima martii 1960, me rogans communicare meas animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, velim proponere sequentia vota:

1. Ut doctrina Mystici Corporis magis evolvatur ratione habita problematum hodiernorum.

2. Ut tractetur de laicis in Ecclesia: de eorum positione tum in theologia tum in iure canonico; necnon de institutis saecularibus; demum de actione catholica.

3. De clero: Ut eorum participatio et responsabilitas in actione politica et sociali magis clare proponatur.

4. Praedicatio Evangelii adaptetur exigentiis temporum et decursui civilizationis hodiernae.

5. Simplificatio liturgiae in terris missionum et adaptatio missionalis magis promoveatur.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Vestram prosequor meque profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mum

✠ Raimundus D'Mello
Episcopus Mangalorensis

30

Exc.mi P. D. IOSEPHI B. EVANGELISTI

Archiepiscopi Ep. Meerutensis (Meerut)

Eminentissime Domine,

Cum omni humilitate et gaudio haec quae sequuntur in proximo futuro Oecumenico Concilio tractanda propono:

1. Quodam Conciliari documento sollemni iterum proclametur existentia Dei personalis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, Creatoris, Redemptoris et Sanctificatoris, cuius oblatum per Ecclesiam infinitum amorem, omnibus nationibus profuturum, nemini repellere aut ignorare liceat.

2. Item solemniter et clare definiatur Catholicae Ecclesiae singularis origo, ministri, membra, media, finis; omnesque homines bonae voluntatis ad Religionis Catholicae historicum factum, omnino singulare, sincere considerandum invitentur.

3. Contra nostrae aetatis materialistas et communistas, fortiter et fidenter, spiritualitas atque immortalitas animae iterum affirmetur et mundo universo credenda proponatur. Insimul clare edicatur invisibilem mundum mundo visibili tanto esse nobiliorem quanto spiritus nobilior est materia.

4. Si Protestantes et Schismatici ad unionem cum Ecclesia Catholica redire sint parati, sed praepediantur familiae difficultatibus, *quae aliter superari nequeant,* lex caelibatus in singulis casibus relaxari posset, ut legitimo sacerdotio, post sufficientem praeparationem, initiari queant.

5. Mihi videtur non expedire ut uxorati diaconi iterum in Ecclesia latina introducantur. Forsitan ad obviandam paucitatem sacerdotum inopportunum non erit aliquos religiosos fratres, per tria consueta vota Deo dicatos, probe seligere et Diaconatus ordine condecorare. Hoc saltem in territoriis Missionum.

6. Ad intensiorem et profundiorem participationem Christifidelium in Novi Testamenti unico Sacrificio forsitan opportunum erit permittere — quod quidem in aliquibus locis Missionum iam concessum est — ut post intonationem vel introductionem sacerdotis, lingua latina peractam, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei vernacula lingua concinantur, si hoc locorum Ordinariis opportunum et possibile videatur in singulis casibus.

7. Generale videtur esse desiderium — nescio utrum semper superne inspiratum — ut Officium Divinum ad breviorem quamdam formam reducatur saltem pro iis, qui pro salute animarum ex professo ad-

laborant, ita ut non « onus diei » sed « gaudium et inspiratio diei » efficiatur.

8. Valde opportunam puto completam revisionem Caeremonialis Episcoporum.

9. Ad Regnum Christi maiori efficacia propagandum haec quae sequuntur propono:

a) Stabiliatur fundus a S. Paulo Apostolo pro Catechistarum sustentatione in terris Missionum, sicut habetur fundus a S. Petro pro Clero Indigeno.

b) Praeter collectionem quae fit pro Missionibus mense octobri, altera collectio pro Missionibus imperetur Feria Sexta in Parasceve habenda, tanquam factiva co-operatio membrorum Christi in fratrum Redemptione. Collectio pro Terra Sancta, quae tantam pecuniam non requirit, transferri poterit ad alium diem.

c) Religiosae repraesentationes, arte cinematographica competenter praeparatae, Missionariis generose suppeditentur.

10. Nostris temporis necessarium est ut Catholica Ecclesia Centrum Internationale constituat ad producendas, arte cinematographica, religiosas et alias cuiuscumque generis decentes repraesentationes ad efformandas Christianis principiis mentes hominum et ad validum aggerem opponendum contra hodiernam periculosissimam pestem, bonorum morum atque innocentiae destructricem, immoralium nempe repraesentationum cinematographicarum.

11. Obtabile omnino est ut Radio Vaticana quam maxime activitatem exerceat in universo mundo, et hoc quidem alacritate et vita sicut decet centrum Catholicitatis.

12. Exemplo inimicorum Christi qui ingentes summas expendunt ad errorem usquequaque disseminandum, necessarium puto ut Ecclesia Catholica non solum Missionarios mittat praedicare verbum Dei, sed etiam optimos quosque libros, libellos etc. de Religione Christi tractantes percopiose distribuere curet per quoddam Centrale Officium ad hoc constituendum in Urbe.

13. Commune optatum valdeque utilis res est Summarium de *L'Osservatore Romano* semel in hebdomada, principalibus linguis editum, ad omnes Episcopos mittere et saltem ad praecipuas nationes: veritatem enim sitiunt gentes.

14. Ad Catholicos avertendos ab invisendis spectaculis immoralibus, forsitan quaedam internationalis inter Catholicos « Consociatio Decentiae » excogitari et efformari posset, sicut habetur in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

15. Cum Sacramentum Confirmationis sit Sacramentum initiationis

hominis in militia christiana et in Actione Catholica, aliquis solemnior modus in istius Sacramenti administratione desiderandus videtur.

His, meliori quo potui modo, propositis, Eminentiae tuae tuisque collaboratoribus in praeparando Concilio Oecumenico fausta quaeque adprecans, lucem atque vigorem a Patre luminum implorans, ex toto corde me profiteor Eminentiae tuae Reverendissimae

Addictissimus in Domino
✠ IOSEPHUS B. EVANGELISTI, O. F. M. CAP.
Archiepiscopus-Episcopus Meerutensis

31

EXC.MI P. D. RENATI FEUGA
Episcopi Mysuriensis (Mysore)

Una cum eo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. ALBERTUS V. D'SOUZA
Episcopus tit. Semneaensis, Auxiliaris Mysuriensis

E Civitate Mysore, die 19 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Grato animo accepi litteras sub N. I C/59-890 ab Eminentia Tua exaratas, de communicandis consiliis et votis circa res in futuro Concilio Oecumenico tractandas.

Audito igitur consilio prudentium virorum, sequentes animadversiones proponere humiliter censeo:

I. *De Missae sacrificio et de Officio.*

a) Diebus Dominicis et Festis de praecepto partes Missae doctrinales, scilicet lectiones S. Scripturae et S. Evangelium a competenti ministro, si adsit, lingua vernacula ad instructionem fidelium recitentur.

b) Post verba « Ite, Missa est », cum responsione « Deo gratias », et post benedictionem a Celebrante datam, sacrificium Missae concludatur nec aliud quidquam addatur.

Attamen quotquot erunt qui sanctissima Communione se refecerint, hi ab ecclesia non recedant antequam pro acceptis beneficiis gratias retulerint.

c) In Missis Pontificalibus Pontifex se induat vestibus sacris in sacristia, ita ut Missarum solemnia immediate incipiantur cum Introitu.

d) Numerus Praefationum olim magnus erat. Opportunum videtur multiplicare numerum Praefationum pro anni variis temporis. In primis Praefatio de Adventu, quae in Parisiensi dioecesi et quibusdam aliis dioecesibus dicitur, necnon Praefatio pro Septuagesimae Tempore valde optabiles sunt.

e) Officia et Missae de Feria maioris momenti censeantur. Praeter maiora Festa, Proprium Officium et Propria Missa de Feria quotidie habeantur.

II. *De Apostolicis Scholis.*

In locis Missionum, quae paucitate vocationum sacerdotalium laborant, praeter Seminarium Minus, una saltem « Apostolica Schola » pro unaquaque Provincia instituatur.

In huiusmodi scholis instruantur pueri qui vel tenuem spem de vera vocatione exhibent. Expleto cursu studiorum secundariorum in Apostolica Schola, quotquot inter alumnos idonei censi erint, in Seminarium Minus admittantur.

III. *Provisio de Ordinationibus.*

In Missionibus Orientalibus forsan optandum est ut alumni Maioris Seminarii antequam ad maiores ordines admittantur per duos annos tanquam adiutores in ministerio animarum adlaborent. Expleto periculo, quotquot inter eos ad Sacerdotium ascendere inhabiles censi erint, ii forsan ad Diaconatum destinari poterint.

IV. *De Catechistis.*

In regionibus Missionum maximi emolumenti erit Catechistas quosdam laicos in subsidium sacerdotum advocare.

In unaquaque Provincia ecclesiastica una saltem instauretur Schola in qua Catechistae sub directione alicuius Missionarii ad futurum ministerium diligenter instituantur.

Maior spes utilitatis afferetur si Catechistae sint in matrimonio collocati, ita ut seu ipsi seu eorum familiares vitae christianae optima exempla inter ethnicos exhibere possint. Haud raro evenit ut in quibusdam locis nulli inveniantur christiani nisi Catechista eiusque coniux et filii.

Quo securius Catechistarum eorumque familiarium sustentationi consuletur, huiusmodi Institutio ad dignitatem Operis Pontificii evehatur.

In regionibus ubi forsan officium Diaconatus denuo instauratum fuerit, non deerunt Catechistae qui hoc officio fungi exoptabunt. Quisquis

ex eis per plures annos laudabiliter suo officio functus erit, is ad sacrum Diaconatum accedere permittatur.

Fausta quaequae adprecor et remaneo
Eminentiae Tuae
Humillimus servus in Domino
✠ RENATUS FEUGA
Episcopus Mysuriensis

Quibus animadversionibus immo ex corde adhaereo.

✠ ALBERTUS V. D'SOUZA
Episcopus tit. Semneaensis
Auxiliaris Mysuriensis

32

EXC.MI P. D. EUGENII D'SOUZA
Archiepiscopi Nagpurensis (Nagpur)

Nagpur, die 5 augusti 1959

Eminentia Tua,

Gratias tibi ago pro litteirs tuis N. Prot. I C/59-892 diei 18 mensis iulii circa Concilium Oecumenicum proximum.

Hisce cum litteris mea humilia iudicia opinionesque nonnullas tibi mitto.

Concilii Oecumenici proximi successum adprecor,

Addictissimus tuus in Christo
✠ EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Nagpurensis

DE CULTO DIVINO

A) *De Sacramentis*

I. *De Baptismo.*

a) *Catechumenatus*: Ritus Baptismi adultorum de integro ordinetur et — ad modum antiqui catechumenatus — in diversos gradus distribuatur.

b) *Baptismus parvulorum*: Ritus baptismi infantium, praesertim quoad prius dimidium, notabiliter abbrevietur.

II. *De Sanctissima Eucharistia.*

a) *Missa*:

1) Partes Missae doctrinales reapse fiant denuo ministerium verbi, immediate nempe promulgando S. Scripturae lectiones in lingua vernacula et quidem a competenti ministro versa facie ad populum a loco ad hoc destinato (e cancellis seu ambone).

2) Pericopae augeantur ita, ut fiat cyclus complurium annorum, trium vel quattuor; restituantur etiam lectiones e Veteri Testamento depromptae.

3) Adaptatio colorum paramentorum fiat congruens cum consuetudinibus christifidelium loci.

4) Pro Missis Pontificalibus Pontifex se induat vestibus sacris in sacristia, ita ut Missarum sollemnia immediate incipiant cum Introitu (Ordinationes S. R. C. pro Hebd. Sancta instaurata cum Pontifex celebret; coll. Caer. Ep. Lib. 1, cap. XV. 7).

5) Reductio ac simplificatio vestimentorum pontificalium congruens cum conditionibus in regionibus tropicalibus.

6) Instituatur fidelium processio ad offertorium, qua oblationes suas, quae eorum arctam cum Christi Sacrificio unionem expriment, ad cancellas deferent.

b) *S. Communionis distributio*:

1) Veneratio manus episcopi S. Communionem distribuentis supprimatur.

2) Sacerdos, S. Communionem infirmi domum portans, vel alium vel *etiam seipsum* communicare, casu quo infirmus ipse S. Speciem amplius recipere non valeat et distantia ab ecclesia longa sit.

III. *De Poenitentia.*

Ritus absolutionis fiat forma dialogata, poenitente « Amen » respondente ad sacerdotis absolventis orationes, quae dicantur lingua vernacula, si ipse poenitens linguae latinae sit ignarus (coll. Collectio Rit. Indon.).

IV. *De Extrema Unctione.*

Cum Sacramentum hoc semper conferatur in ambiente familiali et personali, administretur lingua vernacula, si infirmus linguam latinam non intelligat. Huius Sacramenti administratio compleatur Benedictione papali, quae sine ulla iteratione quarumcumque orationum Extremae Unctionis administrationi finem imponat.

V. *De Matrimonio.*

Matrimonii celebratio quam arctius cum Eucharistiae Sacrificio connectatur et Missae ritui integretur, e. g. post lectam epistolam. Benedictio Nuptiarum revideatur et transferatur in finem Canonis.

B) *De Sacramentalibus*

Sacramentalia omnia prouti sunt benedictiones ad utilitatem fidelium vel catechumenorum destinatae, lingua vernacula fiant.

Ordinariis locorum detur opportunitas, respectu habito ad necessitates et consuetudines suorum fidelium, redigendi benedictionum formulas, quae S. Sedi comprobandi gratia submittantur.

C) *De locis sacris*

Ritus consecrationis simplificetur (vide propositum Exc. ac Rev.mi D. Alb. Stohr in Lit. Jahrbuch, 1955).

In locis praesertim Missionum, ubi sunt sat christifideles, adsit locus sacer, ubi diebus dominicis et festivis conveniant.

D) *De temporibus sacris*

In processionibus litaniarum maiorum et minorum litanias dicere liceat lingua vernacula, quin sacerdotes et alii ad recitandum divinum Officium obligati easdem iterare debeant lingua latina, dummodo vero hi sacrae processioni adsint.

Lingua vernacula

Ratio pastoralis suadet, ut eae partes Liturgiae, quae instructioni fidelium ratione sua deserviant, lingua immediate intelligibili a christifidelibus et catechumenis percipiantur:

Lectiones S. Scripturae. — Quamvis orationum a celebrante clara voce prolatarum per se doctrinam fideles non intendant, decet tamen populum fidelem intelligere quae a celebrante nomine fidelium ad Deum per Christum dirigantur. Quod potiore iure de cantibus ipsorum fidelium valere dicendum est.

Lingua vernacula intelligitur lingua franca et officialis.

HIERARCHIA SACRA

Ut Apostolatui Ecclesiae melius et efficacius provideatur optandum ut Sacra Hierarchia, quae nunc de facto constat tantum ex Episcopis et presbyteris, instauretur denuo diaconis et ministris aliis inferioribus iuxta Ecclesiae necessitatem. Sacrae enim functiones, quae perficiuntur pueris vel iuvenibus ministrantibus, maiorem fidelibus fructum afferent si e fidelibus ad officia sacra communitatis ministri eligantur et ordinantur.

Tum in regionibus iamdudum christianis quum praesertim in Missionibus officium Diaconatus denuo ut quaedam professio sacra instauretur, quo melius institutioni catecheticae aliisque ministeriis sacris provideatur, praesertim in illis locis innumerabilibus ubi sacerdos rarissime accedere valeat et absque Hierarchia sacra quae communitatem christianam regere valeat, christifideles manere debeant.

✠ EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Nagpurensis

33

EXC.MI P. D. GULIELMI BOUTER
Episcopi Nellorensis (Nellore)

Nellore, 11 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Die 21 martii 1960 (Prot. N. 1 C/59-906 bis) data est mihi a vestris Excellentissimis admonitio de responsione ad litteras Em.mi D. Card. Dominici Tardini, datas die 18 iunii 1959.

Mihi valde molestum est circumstantias mihi impedisse ne hactenus mitterem responsionem,

Heic adnector animadversiones, consilia et vota, quae mihi opportuna videntur.

Cuncta fausta a Deo adprecatus super maximi momenti opus Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, omni, quo par est, obsequio permaneo

Addictissimus servus vester in Domino
✠ GULIELMUS BOUTER
Episcopus Nellorensis

Nunquam antea tam realiter totus orbis terrarum inspexit atque auscultavit Concilium Oecumenicum quam hodie, quando est quasi actualiter praesens per media communicationis moderna, ut radio, telegraphia, ephemerides, televisio, etc.

Ideo Patres Synodum incipiant proclamando clare succincteque veritatem atque praesertim pulchritudinem Revelationis Christi, qui est Spes mundi: ut omnes homines bonae voluntatis glorificent Patrem omnium nostrum qui est in coelis; ut omnes homines qui quaerunt Deum videant lucem; ut qui lugent aut persecutionem patiuntur, consolentur atque confirmentur in fide.

Exprimant Patres gratam voluntatem erga Deum, qui dignos nos fecit vivere in hoc saeculo in quo Eius rerum naturae atque revelationis supernaturalis seu depositi fidei praestantia quotidie magis manifestatur.

Animadversiones, consilia et vota

A) *Doctrinalia*

1. Cum Beatissima Virgo Maria indissolubiliter cum Christo Mediatore, tum in Incarnatione tum in opere redemptivo, coniuncta maneat, opportunum videtur, inter eiusdem Matris munera erga nos, proponere et definire tamquam dogma fidei « mediationem universalem Mariae ».

2. Cum adhuc inter Theologos disputetur an Episcopi suam potestatem a Deo *immediate* accipiant an *mediante Summo Pontifice*, peropportunum videtur ut quaestio haec definitive resolvatur a S. Concilio.

B) *Disciplina Cleri et populi Christiani*

1. Ut in rebus disciplinaribus clarius determinentur relationes inter Sacras Congregationes Romanas et Episcopos respectu officii regiminis et magisterii a Christo Domino episcopis uti successoribus Apostolorum commendati.

2. Ut consideratis, circa Codicem, Apostolicae Sedis decretis, SS. Congregationum instructionibus atque Pontificiae Commissionis canonum interpretationibus, *Codex Iuris Canonici* corrigatur.

3. *a*) Optandae sunt leges pro Ecclesia universali quae *latae* sint. Facultas detur hierarchiae consiliis regionalibus ut applicentur istae leges ad adiuncta localia specialia.

b) Recommendetur constitutio codicis iuris liturgici et caeremonialis universalis, spectatis adiunctis moribusque diversis in regionibus (culturis) non occidentalibus.

4. Reviviscatur ministerium pastorale diaconorum uti existebat in Ecclesia antiqua atque iam existit in ecclesia orientali. Propositum practicum: Circa finem anni tertii cursus theologici seminaristae post suam ordinationem ad diaconatum mittantur ad assistendum parochos in ministerio pastorali. Resumant in seminario cursum theologicum, praesertim pastorale, post unum annum.

5. Coordinetur seu integretur cursus philosophiae et theologiae in seminariis. Propositum practicum: Per annum primum tantum habeatur studium propaedeuticum philosophiae, scientiae biblicae atque litterarum; postea cursus theologiae integraliter cum disciplinis philosophicis.

6. Coordinentur seu integrentur disciplinae theologicae non tantum cum cultura latina seu occidentali sed etiam cum cultura orientali, tam antiqua classica quam hodierna, atque cum scientia missionum, v. gr. theologia dogmatica, historia ecclesiastica.

C) *Negotia maioris momenti hodiernis temporibus*

1. Desideratur ut legati tamquam repraesentantes hierarchiarum consilia regionalia frequenter in Urbem conveniant ut consilientur de necessitatibus et quaestionibus ecclesiasticis catholici orbis.

2. Cohortentur ut perutiles seminaristarum permutationes tam intra eamdem nationem quam inter varias nationes ad spiritum catholicum et zelus pro missionibus fovendum. Ideo permutationes maxime habeantur inter nationes cum cultura diversa.

3. Ad fovendam participationem actuosam fidelium in cultu divino, optandus est maior usus linguarum vernacularum, tam in celebratione Sacrificii Eucharistiae quam in administratione sacramentorum.

4. « Agentia Fides » aut aliae ephemerides notitiarum Romanae incrementum capiant.

5. Radio Vaticana magis efficienter operetur pro universo orbe, v. gr. aequiores emissiones ad regiones missionum, melior adaptatio ad auditores tam christianos quam paganos.

6. Creetur in Urbe officium ad informationem distribuendam (Public relation Office), quod etiam contingat ephemerides notitiarum mondiales atque provideat picturas etc. de rebus catholicis.

Addictissimus servus vester in Domino

✠ Gulielmus Bouter
Episcopus Nellorensis

34

Exc.mi P. D. ANTONII PADIYARA
Episcopi Ootacamundensis (Ootacamund)

Ootacamund, 16 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Eminentiam tuam suppliciter rogo ut mihi ignoscas moram quae elapsa est.

Mihi liceat tibi mittere quasdam animadversiones, consilia et vota.

Omnes sacerdotes, religiosi, religiosae et fideles missionis Ootacamundensis preces effundunt ad intentionem Concilii futuri.

Benedictionem Eminentiae Tuae suppliciter rogo et tuis precibus missionem novam Ootacamundensem commendo.

Qua par est reverentia
famulus in Christo
✠ Antonius Padiyara
Episcopus Ootacamundensis

I. *De Sacramentis*:

1. De Baptismo. Usus aquae benedictae loco salivae.

Omitti debet unctio pectoris et dorsi adultorum; hoc speciatim de feminis adultis valet.

2. De Confirmatione. Solemnis confirmatio post introitum missae conferatur, et in periculo mortis cuilibet sacerdoti haec facultas concedatur.

2. De Eucharistia. Missa vespertina in paroeciis omnibus diebus dominicis commendatur, et si opus sit et considerationes pastorales illud suadeant, etiam quotidie.

4. De Poenitentia. Quando difficile sit poenitenti suadere ut sacerdotem denuntiet, dispensetur poenitens, vel confessori facultas detur ut Episcopo vel Ordinario scribat cum permissione poenitentis, quin tamen revelet nomen eius.

5. De Matrimonio. Instructio specialis dari debet post sponsalia.

Celebratio matrimonii sollemnis peragi potest ante « Gloriam » Missae, et pro Missa huius occasionis permittantur Gloria et Credo.

6. De Ordine. Ordines minores, subdiaconatus et diaconatus con-

ferri possint etiam laicis etsi sint matrimonio coniuncti. Ordines minores conferri possunt hominibus religiosis cum votis perpetuis, sed cum intervallo unius vel plurium annorum sicut Ordinarius opportunum iudicat. Multa enim solvantur problemata si viri cum zelo talia officia assumantur.

Post septem annos omnes sacerdotes unum annum ab ullo ministerio pastorali liberum habeant, quo tempore possint vitam sive spiritualem sive intellectualem colere.

II. *Dogma*: Definitio doctrinae de universali Deiparae mediatione.

III. *Liturgia*: Valde suadendum est omnes partes Missae excepto tamen Canone, lingua vulgari recitari, eo fine ut fideles active participent.

Invocatio S. Spiritus in Laudibus divinis addatur.

Lingua vulgaris, in quantum possit, adhibeatur in administratione sacramentorum et sacramentalium, in officio divino sororum etc.

IV. *S. Scriptura*: Profundior debet esse nostra cognitio. Valde quidem desideratur declaratio authentica de inerrantia.

V. *Doctrina Christiana*: Catechismus « Liberalis » vel « Progressivus » ut dicitur qui usum visus immoderati adhibet, vitari debet.

VI. *Administratio*: Erectio alicuius commissionis supremae in centro cum ramis in unaquaque dioecesi, quae methodos et vias practicas et temporibus aptas formulet et executioni mandet ita ut principia catholica catholicorum penetrent corda vitamque eorum tam privatam quam publicam dirigant.

Septimo quoque anno celebretur synodus diocesana. Desideratur etiam comitatus omnium delegatorum paroeciarum.

Unoquoque anno delegatus apostolicus vel internuntius potest visitationem peragere dioeceseos sive per delegatos sive per seipsum, et sic visitare omnes ordinarios, sacerdotes, diaconos etc.

VII. *Actio Catholica*: Declaratio de obligationibus omnibus christianis relate ad evangelisationem incumbentibus, exhortatio ad cooperationem effectivam cum societatibus pontificiis in auxilium missionum.

Propositum P. Duffy erigendi aliquam societatem quae catechistis provideat utiliter considerari potest, quod propositum idem est ac « married deacons ».

Actio catholica debet in unaquaque parochia promoveri.

Actio catholica et actio socialis simul proficere debent, ergo laici ac sacerdotes studio actionis socialis sub lumine Encyclicarum operam dare debent.

In regionibus missionum, catechistae sint optimi apostoli laici. Ergo « Opus S. Pauli » pro eorum instructione et sustentatione ad instar « Opus S. Petri » pro clericis indigenis, institui debet.

Litteratura catholica est optimum medium ad evangelizandum; proinde quaevis paroecia bibliothecam habere debet, liberique disseminantur inter catholicos.

VIII. *Vita socialis*: Cooperatio cum acatholicis in Deum credentibus permittatur, ita ut credentes omnes fiant acies contra atheismum. Bullae « Omnium sollicitudinum » applicatio iuxta circumstantias Indiae mutatas desideratur.

Declaratio summaria omnium a communismo negatarum veritatum.

Declaratio de corpore Christi mystico, variisque ad illud relationibus dissidentium, simul cum appellatione ad unitatem.

IX. *Scholae*: In missionibus adesse debent scholae vere catholicae eo fine ut adulescentes veram spiritualitatem colentes educantur boni catholici.

Pastores et Ordinarii provideant ut omnes educationem saltem elementariam capiant. Quaevis paroecia debet habere scholam et pauperes gratis educari debent. Saltem ultimum annum educationis peragant in hospitio ubi bene instrui possint.

Pueri ingenio eminentes occasionem pro evolutione propria habere debent.

Valde desideratur ut adsit universitas catholica in quavis natione, cui omnes scholae catholicae coniungantur.

Quae si deest, scholae catholicae alicui alterius nationis universitati catholicae coniungantur.

Examinationes instituantur in seminariis et universitatibus, quas dirigat et praevideat S. Congregatio.

✠ ANTONIUS PADIYARA
Episcopus Ootacamundensis

35

EXC.MI P. D. SEBASTIANI VAYALIL
Episcopi Palaiensis (Palai)

Palai, 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Infrascriptus Sebastianus Vayalil Episcopus Palaiensis vult, ad epistolam Eminentiae Vestrae d. 18 iunii 1959 respondens, adiungere his litteris animadversiones humillimas necnon consilia et vota de rebus et argumentis in futuro Oecumenico Concilio pertractandis.

Uniti cum tota Ecclesia clerus et populus huius dioecesis preces Deo Omnipotenti effundunt ut Concilium hoc Oecumenicum, quod Sum-

mus Pontifex feliciter regnans convocare dignatus est, fructum multum afferat ad gloriam Dei Altissimi et ad magnam utilitatem totius Ecclesiae.

Occasionem hanc sumo ad exprimendum profundum meum sensum devotionis erga Sedem Apostolicam reverentiamque meam erga sacram purpuram manifestandum.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus et devotissimus

✠ SEBASTIANUS VAYALIL
Episcopus Palaiensis

A) DE CONVOCATIONE

1. Multum proderit illos dissidentes convocare qui habent episcopatum validum, modo personali, et non tantum generali, etiam per Litteras ipsius Summi Pontificis. Hae litterae mitti possint sive ad caput supremum cuiusque nationis vel ritus, sive etiam ad principales archiepiscopos et metropolitas.

Inter quos dissidentes in India meridionali eminent *Iacobitae* ritus Syro Antiocheni Malankarentium. In secundo loco veniunt *Mathomitae* qui saeculo praeterito sub influxu protestantium a Iacobitis secesserunt validitatemque Sacrorum Ordium, putamus, amiserunt.

2. *De praesentia eventuali aliorum christianorum.*

Alii dissidentes, ut maior pars Protestantium, sed tantum illorum qui aliquam « orthodoxiam » servant, possint invitari modo amicabili ut delegatio aliqua mittatur, ad « observandum » laborem Concilii. Commendetur ut delegatio aliqua ex « world Council of Churches », ex « world Lutheran Association », etc. invitetur. In regione nostra mentione digni sunt *Church of South India.*

Episcopi diversae linguae, non exclusis dissidentibus, auxilientur ut deliberationes concilii faciliter sequi possint. Instrumenta moderna electrica pro communicatione simultanea versionum in diversis linguis adhibere iuvat.

B) INTER RES TRACTANDAS IN CONCILIO

Pro Ecclesia Universali

1. Ut votis praesertim pastoralibus et disciplinaribus Pii Pp. XII, felicis memoriae legislatione canonica maior stabilitas et effectus tribuentur.

2. Ut vita communis pro clero dioecesano magis promoveatur.

3. Multum proderit si unaquaque regio vel provincia vel etiam dioecesis instituat media maiori modo peropportuna ut sunt Centrum pastorale, Associationes pro clero dioecesano etc. ad promovendum vitam spiritualem studia et activitates apostolicas hodiernis diebus accommodatas.

4. Ut Synodi sive provinciales, sive regionales, sive dioecesani magis foveantur, regulariter adunentur et decreta assidue observentur.

5. Ut amplius concedantur facultates Ordinariis loci in materiis dispensationis.

6. Ut congregationes Religiosae qui fere similes sunt vel easdem activitates sequuntur aliquam confederationem et coordinationem quoad eorum activitates apostolicas inter se efficiant.

7. Ut instituta saecularia magna cura foveantur.

8. Ut tum archiepiscopis tum episcopis in territorio proprio maior auctoritas in dirigendas activitates religiosorum, etiam exemptorum, concedatur.

9. Ut laici bene formati, spirituque apostolico imbuti, participare possint intimius vitae Ecclesiae, v. g. instituendo consilia talium laicorum pro paroeciis, dioecesibus, regionibus, etc.

10. Ut in multis regionibus, etiam missionum, melius distribuantur dioeceses.

11. Ut officiales laborantes in Curia Romana seligantur e tota Ecclesia eo ut character universalis Ecclesiae melius appareat atque consultatio de rebus ad regiones tam diversas accuratius fiat.

12. Ut index librorum prohibitorum corrigatur, et permissio legendi illos libros facilius ad confessores concedatur.

13. Ut amplior libertas concedatur ad adaptandam Liturgiam Catholicam ad indolem culturalem et religiosam populorum quae extra Europam vivunt.

14. Ut in regionibus Missionum et aequiparatis magis simplificetur processus matrimonialis.

15. Ut repristinetur praxis ieiunii et abstinentiae ad fovendam mortificationem populi christiani his temporibus nimis pronis ad satisfactiones materiales.

16. Ut restauretur, canonice statuatur, et amplius faveatur ordo monachorum professorum qui sacerdotio non gaudent.

17. Melius maiusque vigiletur ut devotiones non consonantes spiritui Ecclesiae, imprimis liturgico, arceantur.

18. Ut sacerdotes tam religiosi quam dioecesani melius distribuantur ut fideles melius curentur.

19. Ut magis faveatur motus oecumenicus in Ecclesia, tam inter ipsos Catholicos quam in relatione cum Christianis separatis.

20. Ut studia in seminariis magis adaptentur necessitatibus hodiernis.

21. Ut institutio clericorum in seminariis assignetur sacerdotibus indigenis et proprii ritus quam primum idoneae personae inveniri possint.

22. Ut reunio « pastorum » coetibus protestantibus pertinentium, sive Anglicanis sive Lutheranis facilius evadat per medium hoc: illi pastores, qui iam Catholicam fidem corde amplectuntur, possint accipere ordinationem sacerdotalem, vel saltem diaconalem, etiam si in matrimonio vivere debeant, sed tantum per primam generationem illorum.

23. Ut sacerdotes et seminaristae ritus latini melius edoceantur ad intelligentiam ecclesiae orientalis atque eius consequentem amorem.

De Ecclesia Orientali

24. Ut opus propagationis fidei inter non christianos concedatur etiam sacerdotibus et religiosis rituum orientalium praesertim in illis particularibus regionibus Indiae ubi paucissimi sunt catholici ritus latini. Sic magis provideatur penuriae missionariorum et maior impetus detur zelo ecclesiae orientalis speciatim Malabaricae.

25. Ut Congregationes religiosae ritus latini qui fideles ritus orientalis recipere volunt ut membra rogentur ut instituant domus ritus orientalis.

26. Ut constituantur Commissiones liturgicae et etiam disciplinares pro unoquoque ritu in regionibus ubi illi ritus inveniuntur, et si necesse est, etiam in Urbe.

27. Ut patriarchae orientales saltem patribus cardinalibus aequiparentur, tam in eorum dignitate quam in eorum privilegiis et statu in Ecclesia.

28. Ut largius atque cum spiritu vere catholico faveatur unio Ecclesiarum dissidentium ad Ecclesiam Unam et Veram, cuius Caput in terris Romanus Pontifex, caput enim omnium patriarcharum, semper fuit, est et erit, aliqua media essentialia videntur proponi ut sequentia:

a)per labores Concilii vitentur quaeque expressiones, disputationes, sententiae, quae ut superioritatem Ecclesiae Occidentalis nimis sapiant, vel quae aliquem contemptum illorum « fratrum separatorum » ostendant;

b) Fortiter removeatur pro futuro quaeque suspicio sic dictae « latinisationis », tam in ritibus quam in iurisdictione;

c) si unquam, quod Deus faveat, aliqua Ecclesia separata ad unionem Verae Ecclesiae redeat, ne illa introducere debeat immediate et quasi ex tempore totam legislationem canonicam ut viget hodie;

d) reviviscatur aliqua limitata « communicatio in sacris » inter presbyteros catholicos illorum rituum et fideles, etiam sacerdotes, dissidentes; saltem multum foveatur apostolatus pacificus inter illos fratres separatos, modo vere catholico et oecumenico.

✠ SEBASTIANUS VAYALIL
Episcopus Palaiensis

36

EXC.MI P. D. AUGUSTINI F. WILDERMUTH
Episcopi Patnensis (Patna)

Eminentiae Vestrae Salutem in Domino!

Indulgentiam implorantes pro responso tarde dato epistolae Eminentiae Vestrae diei iunii, 1959, nos quae sequuntur ad excellentissimae Commissionis Antepraeparatoriae considerationi proponere velimus.

1. Cum falsa doctrina socialis, praesertim Communistica, plures populos a Christo Domino hos quadraginta annos abduxit, fortasse considerare iuvabit utrum plura media excogitanda et adhibenda sint ad doctrinam Sanctae Ecclesiae hominibus praesertim non-Christianis communicandam, atque utrum quosdam sacerdotes, caute selectos ac eruditos, ad talem apostolatum socialem destinatos deputare debeamus, praesertim apud pauperes, maxime apud pauperes acatholicos et non-Christianos.

2. Nobis optandum videtur ut can. 1125 *Iuris Canonici* revisioni subiciatur eo fine ut explicite enuntientur facultates a constitutionibus ibi notatis concessae.

3. Ad vitam spiritualem fidelium magis fovendam, ideoque ad gignendam intimiorem cognitionem et amorem Domini Nostri eiusque Sanctae Ecclesiae, nos censemus fidelibus in usu linguae vernacularis in eorum participatione in sancto sacrificio Missae aliisque actionibus liturgicis ampliorem libertatem concedendam esse.

Talia sunt quae nobis proponenda videntur, et in his et omnibus aliis nos et omnes fideles nobis commissi auctoritati et directioni Sanctae Sedis nosmetipsos subicimus.

Eminentiae Vestrae Servus in Christo
✠ AUGUSTINUS F. WILDERMUTH
Episcopus Patnensis

37

EXC.MI P. D. AMBROSII RAYAPPAN
Archiepiscopi Pondicheriensis et Cuddalorensis
(Pondicherry and Cuddalore)

25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Augusto Summi Pontificis desiderio colligendi sententias et vota Episcoporum circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, summa cum reverentia obtemperans, haec quae sequuntur optata ad Eminentiam Vestram humiliter refero:

1. Definire doctrinam de Mediatione Universali B. Mariae Virginis. Vel dirimere quaestionem: Quo sensu B. V. Maria dici possit Corredemptrix generis humani? Utrum, scilicet, B. M. V. ita proxime cooperata sit ad opus Redemptionis obiectivum ut tuto dici posset Ipsam una cum Christo thesaurum Redemptionis vere commeruisse et consatisfecisse?

2. Definire: Ecclesiam esse infallibilem non solum in definienda veritate per se revelata, sed etiam in ferendo iudicium peremptorium de omnibus iis veritatibus non-revelatis, quibus negatis vel addubitatis depositum Fidei integre custodiri non posset.

3. Dirimere quaestionem: Utrum in Ecclesia unum tantum sit immediatum subiectum infallibilitatis activae, nempe, Romanus Pontifex; an vero Collegium etiam Episcoporum?

4. Damnare: *a*) Communismum, vilem pestem hodiernam.

b) Limitationem partuum (anglice « Birth Control ») per sterilizationem et alia media artificialia immoralia.

5. Indicere normas practicas ad alumnorum in Seminariis spiritum vere sacerdotalem fovendum necessarias ac praesenti tempori adaptatas.

6. Corrigere spiritum hodiernum Saecularismi et Naturalismi qui magis ac magis in vitam fidelium irrepit: circa notionem et gravitatem peccati mortalis, immodestiam in vestitu, spectacula lascivia cinematopraphica, sanctitatem familiae...

7. Enucleare notionem atque munus Apostolatus Laicorum.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo,

Eminentiae Vestrae humillimus servus
✠ AMBROSIUS RAYAPPAN
Archiepiscopus Pondicheriensis et Cuddalorensis

38

Exc.mi P. D. ANDREAE A. D'SOUZA
Episcopi Poonensis (Poona)

Poona, 19 augusti 1959

De Ecclesia Christi

1. Ut *doctrina de Ecclesia Christi* proponatur non solum secundum structuram iuridicam, sed secundum Eius naturam: quatenus est populus Dei et Corpus Christi Mysticum.

2. Ut *munus Episcopi* relate ad munus Summi Pontificis clarius definiatur, et ita relatio Ecclesiae localis ad universam Ecclesiam elucidetur.

De statibus in Ecclesia

3. Ut *Sacri Ordines* restituantur ad sensum originalem, ut scilicet *Ordines Inferiores* sint non solum praeparatio ad Presbyteratum, sed suam specificam et permanentem functionem in Ecclesia recipiant. Ad Sacros Ordines ii promoveantur qui habitualiter servitio Ecclesiae se devoverunt: Aeditui sint *Ostiarii;* adulti inservientes Missae sint *Acolythi;* Catechistae sint *Lectores;* qui invigilant puritati vitae publicae fidelium, maxime inter neophytos primitivos, sint *Exorcistae.*

Diaconi ordinentur ii qui post protractam probationem et repetitam institutionem apti inveniuntur ut fidelibus in rebus spiritualibus inserviant, scl. in institutione religiosa et etiam, ubi sacerdos impeditur, in administratione SS. Eucharistiae; debet ergo diaconus aptus esse ad functiones liturgicas peragendas cum communitate.

Subdiaconi ordinentur ii qui in praeparatione ad Diaconatum iam progressi sunt; possint, in absentia sacerdotis vel diaconi, praeesse Liturgiae, non vero Eucharistiam distribuant. Praeterea Subdiaconi potius ordinentur pro functionibus temporalibus Ecclesiae: pro operibus caritatis, pro organisationibus, pro actione catholica. Tum Subdiaconis tum Diaconis qui ad Sacerdotium non aspirant matrimonium permittatur et pro eis breviarium accommodatum praeparetur.

Pro iis vero *qui ad Sacerdotium tendunt* sacri Ordines Inferiores remanent gressus praeparatorii pro munere sacerdotali, cum obligatione caelibatus et breviarii ordinarii inde a Subdiaconatu.

4. *Status laicorum* in Ecclesia clarius definiatur quoad eorum re-

sponsabilitatem pro vita Ecclesiae et quoad apostolatum eiusque media moderna, ut prelum. Relatio status clericorum ad statum laicorum et status laicorum ad vitam religiosam clarificetur.

De formatione clericorum

5. Formatio *Diaconorum et Subdiaconorum,* necnon *graduum inferiorum* cleri qui non tendunt ad Sacerdotium, sit solida sed non nimis theoretica. Debeant iteratos cursus frequentare et examina subire; simul vero debeant in munere suo practice exerceri ut idonei fiant ad statum suum in Ecclesia.

6. Etiam in formatione *Sacerdotum* magis attendatur ad differentiam formationis academicae et institutionis professionalis. Determinatus gradus accademicus, et hinc scientia sufficiens theoretica, pro omnibus requiratur. Simul vero insistendum est magis in institutione practica, scl. pastorali, catechetica, liturgica (non solum rubricistica), homiletica, sociali etc. Nemo ordinetur sacerdos qui non per aliquod tempus in operibus practicis pastoralibus exercitus sit, sub vigilantia et cum auxilio sacerdotum expertorum. In scrutinio de aptitudine ad ordinationem iudicium de exercitio practico magni habendum est.

De missionibus

7. Ut statuantur fundamenta biblica et theologica apostolatus missionarii ut operis totius Ecclesiae; et ut pressius determinetur habitudo inter unicam Religionem revelatam eiusque depositum fidei ex una parte, et alias Religiones earumque valores morales et religiosos ex altera.

8. Ut ostendatur Ecclesiam non tantum de anima vitaque supernaturali curam habere, verum etiam necessitatibus corporis consulere, ita ut quam maxime promoveat opera caritatis et iustitiae socialis tam nationalis quam internationalis; iis praesertim in regionibus quae nuper vitam independentem adeptae sunt.

De unione dissidentium

9. Ut, in tuto posita doctrina de unicitate Ecclesiae catholicae, magis foveatur collaboratio cum fratribus protestantibus et orientalibus, non tantum quoad praxim attinet, sed etiam in colloquiis doctrinalibus.

Item ut problema de tolerantia erga non catholicos clarius determinetur.

10. Ut selecti iuvenes sacerdotes seligantur, apte efformentur et addicantur huic operi reunionis omnium membrorum Ecclesiae Christi.

11. Cum Christiani extra communionem Ecclesiae catholicae doctrinam Ecclesiae de Sacramentalibus necnon de indulgentiis saepe male interpretentur, optandum est ut Concilium decreta clara edat de Sacramentalibus (de institutione, efficacia, utilitate eorumdem) et de indulgentiis (de earum natura ac beneficio).

De mariologia

12. Ut, ad unionem dissidentium fovendam, explicetur indoles apprime christologica omnium dogmatum mariologicorum hucusque definitorum, potius quam novum dogma marianum definiatur. Et in universum, ut munus B. M. Virginis in toto opere salutis ut essentialiter dependens a munere Christi, melius exprimatur.

De unitate fovenda in iurisdictione

13. Ad unitatem tam fidelium quam cleri magis fovendam, expedire videtur ut unitas Ecclesiae localis etiam per unitatem capitis iuridici, scl. unici Episcopi in una regione manifestetur. (Hinc duplex vel triplex iurisdictio qua fideles eiusdem regionis pro diversitate rituum diversis Episcopi subsunt, iam non permittatur. Potius unicus Episcopus in sua dioecesi omnem clerum et fideles diversorum rituum in unitate caritatis dirigat, curando sane ut omnes ritus in sua integritate et puritate serventur).

De unitate in legislatione ecclesiae

14. Ut leges Ecclesiae ad modum unius ab omnibus prae manibus habeantur, expedit ut tam recentia decreta Sanctae Sedis (v. g. de ieiunio eucharistico, de Confirmatione, de investigationibus nuptialibus etc.) quam authenticae declarationes Ecclesiae circa suas leges (v. g. de sensu can. 1099/2; de extensione can. 883 ad iter aereum; de interpretatione can. 1077 etc.) incorporentur in ipso textu Codicis, minime mutatis numeris canonum. Immo optatur ut authentice dirimantur praecipuae disputationes quorumdam peritorum (v. g. de vi canonis 1045, num nempe possit fieri dispensatio a forma canonica matrimonii, num duplex vasectomia irremediabilis constituat impedimentum dirimens matrimonium etc.) et hae declarationes in eodem Codice publici iuris fiant.

15. Ad eamdem unitatem inter fideles diversorum rituum fovendam, expedit ut illa discrimina quae nunc extant inter Codicem latinum et Ius Orientalium, quantum fieri potest, tollantur (v. g. de impedimentis matrimonialibus, de requisitis pro forma canonica matrimonii, de censuris latae sententiae etc.).

16. Ad unitatem seu melius, ad conformitatem et aptationem legum Ecclesiae cum necessitatibus hodiernis fovendam, optatur ut leges quaedam, (v. g. de censuris quibusdam obsoletis, ut excommunicatio ob venditionem reliquiarum etc.) a Codice amoveantur et aliae leges de rebus socialibus (exponentia principia enunciata in Encyclicis Romanorum Pontificum), de Actione Catholica etc., promulgentur; in genere, Leges Codicis in libro V magis simplificentur. Item, ad eumdem finem, adhibitis sufficientibus cautelis, administratio bonorum temporalium Ecclesiae magis demandetur gradibus infra sacerdotium, ita ut sacerdos, etiam parochi munere fungens, magis officio suo spirituali vacari possit, nec nimis in negotiis materialibus et pecuniariis nostris temporibus obnoxiis, implicetur.

De Liturgia et textibus Sacris

17. Ad intimiorem participationem fidelium tam in Sacrificio Missae quam in susceptione Sacramentorum et Sacramentalium fovendam, oportet ut ipsi fideles ritum et verba melius intelligant; quapropter edantur normae quaedam ac decreta pro usu linguarum modernarum in hisce sacris actionibus.

18. Ut eadem participatio in solemni Sacra Liturgia fiat quoque magis reverentialis erga ipsam rem sacram quae agitur quam erga Ministros sacros, optatur ut Rubricae de Ceremoniis Pontificalibus simplificentur. (Hinc omitti permittatur pleraque oscula manuum et obiectorum; minuantur salutationes et genuflexiones ad personas; fiat vestitio Episcopi in sacristia; in regionibus calidis usus dalmaticae, tunicellae, chirotecarum pro Episcopo ad libitum ponatur etc.).

19. Ut Clerici omnes assidue unitatem servent in Rubricis Liturgiae, expedit ut multiplicia decreta S. Congregationis Rituum ad modum codicis in unum redigantur. In hac Rubricarum redactione, passim maior simplificatio et adaptabilitas optatur, v. g. pro caeremonia Baptismi adultorum.

20. Ut amor veritatis ubique superet alias considerationes, praesertim in libris liturgicis, semper textus Scripturae maxime authentici adhibeantur et falsae versiones eliminentur. Item hagiographiae (v. g. in lectionibus secundi Nocturni in breviario et in Martyrologio Romano)

realitati historicae conformes reddantur. Eumdem ob amorem veritatis, textus authenticus et criticus Sacrae Scripturae praesertim Veteris Testamenti, lingua latina praeparetur; quod erit summi momenti pro studiis theologicis vere scientificis.

✠ ANDREAS A. D'SOUZA
Episcopus Poonensis

39

EXC.MI P. D. HIERONYMI FERNANDEZ
Episcopi Quilonensis (Quilon)

Die 2 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Praeter animadversiones et vota quae Ordinarii locorum Provinciae Verapolitanae, cuius est suffraganea haec dioecesis Quilonensis, litteris die 24 augusti 1959, Tibi Praesidi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico una simul proposuerunt,[1] sequentia seorsim humiliter submittere mihi liceat:

1. In locis Missionum ob penuriam sacerdotum re canonica peritorum, vix ne vix quidem possibile est constituere vere dicta Tribunalia ecclesiastica et via iudiciali causas matrimoniales dirimere. Optandum proinde videtur ut locis Missionum uti liceat simplici quodam apparatu processus iudicialis.

Pariter desideratur ut in Missionibus communia pluribus dioecesibus constituantur Tribunalia, opportune designatis Tribunalibus appellationis.

2. Relationes inter varios Ritus, reiecto separatismo, ita emolliri possunt ut cooperationes inter eosdem faciliores evadant, v. g.

a) Puellae Ritus Orientalis quae volunt amplecti vitam Religiosam in aliqua Congregatione quae se impendit laboribus Missionum in Dioecesibus latinis, indigent apud nos, praeter beneplacitum Sacrae Congregationis Orientalis, etiam consensu proprii Ordinarii Orientalis. Experientia constat Orientales Ordinarios aegre dumtaxat consensum praestare; dicunt enim Sanctam Sedem nolle ut episcopi orientales in locis ubi habent iurisdictionem cumulativam cum ordinariis latinis, consensum ne praebeant ut sui subditi in Congregationes latini Ritus admittantur in iisdem locis. Huiusmodi rigiditas quoad Ritum privat Missiones operariis generosis et tollit fidelibus libertatem seligendi Religionem secundum suam animi propensionem. Unde valde desideratur ut huiuscemodi normae restrictivae vere damnosae e medio tollantur.

[1] Cf. pp. 216-221.

b) Regula statuta in can. 851 § 2 *C.I.C.* quod scilicet Minister Sacrae Communionis debeat uti fermento vel azymo iuxta suum Ritum « nisi urgeat necessitas » videtur esse sat severa ita ut praestationes mutui adiutorii inter Ministros variorum Rituum difficiles evadant.

c) Quod conceditur in Responso Pontificiae Commissionis Pro Redigendo Codice Iuris Canonici Orientalis, diei 8 iulii 1952 (*A.A.S.* 1952, 552) in favorem Parochi et Ordinarii Orientalis relate ad assistentiam Matrimonii in loco exempto alius Ritus, sito tamen intra suam iurisdictionem territorialem optandum est ut concedatur in similibus adiunctis etiam parochis et Ordinariis ritus latini.

3. Multiplicitas Rituum et consequenter iurisdictiones cumulativae in uno eodemque loco, ut obtinet apud nos, necnon vanae aemulationes cum iactura pecuniae et virium, ansam praebent admirationi et scandalo tam fidelium quam infidelium. Pluritas Rituum in uno eodemque loco fovet discordiam et dissociat animos ita ut singulae ecclesiae, filiae eiusdem Matris, videantur inter se colluctari; huiusmodi rerum adiuncta revera obstant reunioni dissidentium fratrum ac conversioni infidelium. Ceterum propter huiusce modi dissensus inter Catholicos, Ecclesia Catholica veluti enervata tantummodo sese obicere potest Communismo undequaque compacto et disciplina exercitato. Quae cum ita sint omnino oportet ut huiusmodi offendicula et incommoda, adhibitis aptis remediis, quam citius e medio tollantur, introducto etiam, si expediat, unico atque communi quodam Ritu pro universa Indiae Republica.

Paternam benedictionem supra me et super meos cleros universosque fideles humiliter implorans, Sacram Purpuram reverenter deosculatus, summa qua par est reverentia permaneo,

✠ Hieronymus Fernandez
Episcopus Quilonensis

40

Exc.mi P. D. NICLAS KUJUR
Archiepiscopi Ranchiensis (Ranchi)

Die 23 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Eminentiae Vestrae Litteris 1 C/59-1094 brevem hanc mittere responsionem mihi pergratum est .

Futuri Concilii considerationi haec fere vota humiliter submittuntur:

1. Confirmationis Sacramenti doctrina comprehensive tractetur, eiusque disciplina de novo instauretur.

2. De salute non-catholicorum quid sentiendum sit comprehensive et definitive proponatur.

3. Principia adaptationis missionariae, speciatim circa cultum et ritum, de novo proponantur et effective urgeantur.

4. Principia pro cooperatione cum non-catholicis in sic dicta re oecumenica enuntientur.

5. Cum principium ritus et iurisdictionis personalis multis practicis difficultatibus missionariam Ecclesiarum Orientalium activitatem impedire videatur, substitutio principii ritus et iurisdictionis mere territorialis seu domicilialis examinetur.

6. Ecclesia missionaria nimia laborat pecuniarum insufficientia; opera pernecessaria tempestive suscipere non valet. Remedium exoptatur.

Quaeque fausta Eminentiae Vestrae Reverendissimae exoptans purpuramque osculans maneo,

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictus in Christo
✠ Niclas Kujur
Archiepiscopus Ranchiensis

41

Ezc.mi P. D. STEPHANI FERRANDO
Episcopi Shillongensis (Shillong)

Eminentissime Domine,

Litterae Eminentiae Vestrae sub N. 1 C/59-1263 ad me missae maxima me laetitia affecerunt, quae de Oecumenico Concilio proxime celebrando laetum nuntium afferebant, cum hoc Concilium ut eventum maximae utilitatis pro tota Ecclesia ab omnibus cupide spectetur. Eminentiae Vestrae gratias ago quod et grato nuntio me laetificavit, et ad mea sensa exponenda de iis rebus quae in Concilio tractari opporteat benigne me invitat.

Quamvis dubitare nequeam quin omnia argumenta opportuna et necessaria ad hodiernam Ecclesiae prosperitatem, viris sapientissimis huius Commissionis iam in mente sint et suo tempore tractentur, tamen

ut Eminentiae Vestrae morem geram, quae sequuntur tantum vota humillime exponam:

1. Ut Catechismus unicus et universalis, ut iam in multorum votis erat, in quantum fieri poterit, ad praxim deducatur. Ex hoc enim profectum magnum pro religiosa populi christiani institutione sperare licet, necnon et uniformitas in rebus tractandis, quae ad expositionem et vindicationem catholicae doctrinae pertinent, adeo necessaria et utilis hisce nostris temporibus.

2. Ut leges liturgicae tam sapienter, praesertim a S. Rituum Congregatione, conditae, codificentur et praesentibus usibus magis adaptentur, ut sacrarum functionum decor et splendor magis augeatur, et Christifidelium devotio et liturgica pietas, nostris temporibus ita peculiaris, efficacius promoveantur.

De opportunitate et momento horum votorum Eminentia Vestra benigne iudicabit, meque excusatum habebit de eorum tenuitate.

Velit Eminentia Vestra benigne accipere vota et preces quas, in unione Cleri populique huius Dioeceseos, demisse offero ut Eminentiae Vestrae Deus omnia fausta concedat et labores, praesertim in huius Concilii praeparatione, sua gratia fecundet et ad optatum finem perducat.

Reverenter Sacram Purpuram deosculans Eminentiae Vestrae me profiteor

Addictissimum Servum in Domino
✠ Stephanus Ferrando
Episcopus Shillongensis

42

Exc.mi P. D. RAJARETHINAM A. SUNDARAM
Episcopi Tanjorensis (Tanjore)

Die 20 augusti 1959

Eminenza Reverendissima,

Vi ringrazio molto per avermi mandato la lettera della « Pontificia Commissio Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico ».

Secondo le mia opinione, i punti seguenti possono essere considerati nel Concilio Oecumenico:

A) De Sacramentis

a) *De Baptismo Parvulorum.*

Ritus Baptismi infantium praesertim quoad prius dimidium, notabiliter abbrevietur.

b) *De Sanctissima Eucharistia.*

Sacerdos praesertim in terris Missionis S. Communionem infirmi domum portans, vel alium vel etiam seipsum communicet, casu quo infirmus ipse S. Speciem amplius recipere non valeat et distantia ab Ecclesia longa sit.

B) De erroribus

a) Populus Christianus assidue edoceatur circa doctrinam perniciosam Communismi.

b) Clerici durante formatione ecclesiastica bene instructi sint circa nefanda praecepta Communismi ut postea efficaciter docere populum Christianum et cum eo pugnare valeant contra doctrinam Communismi.

c) Nationalismus exaggeratus, damnandus est quando agit contra praecepta Dei et Ecclesiae.

C) De rebus requisitis

a) In terris Missionis praesertim in India saltem in quibusdam regionibus scholae fundentur ad bene educandos catechistas ut efficaciter una cum Missionariis fidem propagare valeant.

b) Seminaristae in Seminariis maioribus bene instruantur in opere sociali speciatim inter egenos et pauperos.

c) Methodus efficax eligendi et educandi apostolos inter laicos in terris Missionis.

d) Catholici in terris Missionis speciatim in India nimis in scholis fundandis attentionem vertebant. Quae res, minime incrementum dedit conversionibus. Opera tamen medicalia certo certius dabunt maiorem fructum quoad conversionem. Perinde Nosocomia, Pharmacopolia et Maternitates Catholicae augeri debent.

Voglio assicurare Vostra Eminenza Reverendissima che io, il mio clero ed il popolo pregheremo molto per il successo del Concilio.

Devotissimo in Cristo
✠ R. A. Sundaram

43

Exc.mi P. D. SEBASTIANI VALLOPPILLY
Episcopi Tellicherriensis (Tellicherry)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Infrascriptus Sebastianus Valloppilly Episcopus Tellicherriensis vult, ad epistolam Eminentiae Vestrae d. 18 iunii 1959 respondens, adiungere his litteris aminadversiones meas humillimas nec non consilia et vota de rebus et argumentis in futuro Oecumenico Concilio pertractandis.

Cum clero et populo huius dioeceseos preces Deo Omnipotenti effundo ut Concilium hoc Oecumenicum quod Summus Pontifex feliciter regnans convocare dignatus est fructum multum afferat ad gloriam Dei Altissimi et ad magnam utilitatem totius ecclesiae.

Occasionem hanc sumo ad meum profundum sensum devotionis erga Sedem Apostolicam exprimendum et ad Eminentiae Vestrae reverentiam meam manifestandam.

Addictissimus et devotissimus
Eminentiae Vestrae Rev.mae
✠ Sebastianus Valloppilly
Episcopus Tellicherriensis

A) De convocatione

I. *Dissidentium*:

Multum proderit illos dissidentes convocare, modo personali, et non tantum generali, etiam per Litteras Ipsius Summi Pontificis. Haec litterae mitti possint sive ad caput supremum cuiusque nationis vel ritus, sive etiam ad principales archiepiscopos et metropolitas.

Inter quos dissidentes in India meridionali eminent Iacobitae ritus Syro-Antiocheni Malankarentium. In secundo loco veniunt Marthomitae qui saeculo praeterito sub influxu protestantium a Iacobitis secesserunt validitatemque Sacrorum Ordinum, putamus, amiserunt.

II. *De praesentia eventuali aliorum Christianorum*:

Alii dissidentes, ut maior pars Protestantium ,sed tantum illorum qui aliquam « orthodoxiam » servant, possint invitari modo amicabili ut delegatio aliqua mittatur, ad « observandum » laborem Concilii. Com-

mendetur ut delegatio aliqua ex « World Council of Churches », ex « World Lutheran Association »; etc invitetur. In regione nostra mentione digna est « Church of South India ».

Episcopi diversae linguae non exclusis dissidentibus auxilientur ut deliberationes concilii faciliter sequi possint. Instrumenta moderna electrica pro communicatione simultanea versionum in diversis linguis adhibere iuvat.

B) Inter res tractandas in Concilio suggerere velim

I. *Pro Ecclesia Occidentali*:

1. Ut votis praesertim pastoralibus et disciplinaris Summi Pontificis felicis memoriae Pii XII, legislatione canonica maior stabilitas et effectus detur.

2. Ut vita communis pro clero dioecesano magis promoveatur.

3. Multum prodierit si unaquaeque regio vel provincia vel etiam dioecesis instituat media maiori modo peropportuna ut Centrum Pastorale, Associationes pro clero dioecesano etc. ad promovendum vitam spiritualem, studia et activitates apostolicas accommodatas hodiernis diebus.

4. Ut Synodi sive provinciales, sive regionales, sive dioecesani magis foveantur, regulariter adunentur et decreta assidue observentur.

5. Ut amplius concedantur Ordinariis loci facultates in materiis dispensationis.

5. Ut Congregationes Religiosae qui fere similes sunt vel easdem activitates sequuntur, aliquam confoederationem et coordinationem efficiant inter se quoad eorum activitates apostolicas.

Ut instituta saecularia magna cura foveantur.

Ut tum archiepiscopis tum episcopis concedatur maior auctoritas in dirigendis activitatibus religiosorum etiam exemptorum in territorio proprio.

7. Ut laici bene formati spirituque apostolico imbuti participare possint intimius vitae Ecclesiae, v. g. instituendo consilia talium laicorum pro paroeciis, dioecesibus, regionibus, etc.

8. Ut in multis regionibus, etiam missionum, melius distribuantur dioeceses.

9. Ut officiales laborantes in Curia Romana universalius e tota Ecclesia seligantur, eo ut character Universalis Ecclesiae melius appareat atque consultationes de rebus ad regiones tam diversas accuratius fiant.

10. Ut libertas amplior concedatur ad adaptandam Liturgiam Ca-

tholicam ad indolem culturalem et religiosam populorum quae vivunt extra Europam.

11. Ut in regionibus Missionum et aequiparatis magis simplificetur processus matrimonialis.

12. Ut repristinetur praxis ieunii et abstinentiae ad fovendam mortificationem populi christiani his temporibus nimis proni ad satisfactiones materiales.

13. Ut restauretur, canonice statuatur, et amplius foveatur ordo monachorum professorum qui sacerdotio non gaudent.

14. Ut melius maiusque vigiletur ut devotiones non consonantes spiritui Ecclesiae, imprimis liturgico, arceantur.

15. Ut melius distribuantur sacerdotes tam religiosi quam dioecesani, ut fideles melius curentur.

16. Ut magis faveatur motus oecumenicus in Ecclesia, tam inter ipsos Catholicos quam in relatione cum Christianis separatis.

17. Ut studia in seminariis magis adaptentur necessitatibus hodiernis.

18. Ut institutio clericorum in seminariis committatur sacerdotibus indigenis et proprii ritus quam primum idoneae personae inveniri possint.

19. Ut reunio multorum pastorum pertinentium coetibus protestantibus, sive Anglicanis sive Lutheranis facilius evadat per medium hoc: Illi pastores, qui iam Catholicam fidem corde amplectentur, possint accipere ordinationem sacerdotalem, vel saltem diaconalem, etiam si in matrimonio vivere debeant, sed tantum per primam generationem illorum.

20. Ut Sacerdotes et seminaristae ritus latini melius educentur ad intelligentiam Ecclesiae Orientalis atque eius consequentem amorem.

II. *De Ecclesia Orientali*:

21. Ut missiones ad non Christianos extendantur ad sacerdotes et religiosos rituum orientalium praesertim in illis regionibus Indiae ubi paucissimi sunt catholici ritus latini. Sic magis provideatur penuriae missionariorum et maior impetus detur zelo Ecclesiae Orientalis speciatim Malabaricae.

22. Ut congregationes religiosae ritus latini qui fideles ritus orientalis recipere volunt ut membra, rogentur ut instituant domus ritus orientalis.

23. Ut constituantur Commissiones liturgicae et etiam disciplinares pro unoquoque ritu in regionibus ubi illi ritus inveniuntur, et si necesse est etiam in Urbe.

24. Ut Patriarchae Orientales saltem Patribus Cardinalibus aequiparentur, tam in eorum dignitate quam in eorum privilegiis et statu in Ecclesia.

25. Ut largius atque cum spiritu vere catholico faveatur unio Ecclesiarum dissidentium ad Ecclesiam Unam et Veram, cuius Caput in terris Summus Pontifex, caput enim omnium patriarcharum, semper fuit, est et erit, aliqua media essentialia videntur proponi ut sequentia:

a) per labores Concilii vitentur quaeque expressiones, disputationes, sententiae, quae ut superioritatem Ecclesiae Occidentalis nimis sapeant, vel quae aliquem contemptum illorum « fratrum separatorum » ostendant;

b) Fortiter removeatur pro futuro quaeque suspicio sic dictae « latinisationis » tam in ritibus quam in iurisdictione;

c) si unquam, quod Deus faveat, aliqua Ecclesia separata ad unionem verae Ecclesiae redeat, ne illa introducere debeat immediate et quasi ex tempore totam legislationem canonicam ut viget hodie, atque ei facilis reddatur accessus ad Summum Pontificem;

d) Reviviscatur aliqua limitata « communicatio in sacris » inter presbyteros catholicos illorum rituum et fideles, etiam sacerdotes, dissidentes; saltem multum foveatur apostolatus pacificus inter illos fratres separatos, modo vere catholico et oecumenico.

✠ SEBASTIANUS VALLOPPILLY
Episcopus Tellicherriensis

44

EXC.MI P. D. IACOBI MENDONÇA
Episcopi Tiruchirapolitani (Tiruchirapalli)

Die 25 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Magno cum gaudio accepi litteras Eminentiae Vestrae datas die 18 iunii 1959 in quibus desiderium Summi Pontificis cognoscere opiniones seu sententias atque colligere consilia et vota episcoporum patefecisti.

Aliqua vota quae regionibus missionum perutilia esse sentimus sunt sequentia:

1. Ut clero indigeno detur in sua patria facilitas obtinendi gra-

dus academicos pro licentia et doctoratu in Philosophia, Theologia et Sacra Scriptura.

2. Ut clero indigeno detur in sua patria formatio solida vitae spiritualis ut pro clero regulari.

3. Ut sacerdotibus in missionibus degentibus detur possibilitas se perficiendi post suam promotionem ad ordines sacros in rebus Theologiae et Sacrae Scripturae; et ut hoc fiet stabili modo e. g. per aliquam commissionem ad hoc ordinatam secundum provincias ecclesiasticas.

4. Ut simplificatio Codicis Iuris Canonici urgeatur vel saltem pro regionibus missionum habetur codex aliquod simplificatum.

5. Ut ad musicam sacram in regionibus missionum erigatur institutum aliquod officiale pro clero indigeno in patria sua secundum provincias ecclesiasticas.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Vestram prosequor meque profiteor,

Eminentiae Vestrae add.mum
✠ IACOB MENDONCA
Episcopus Tiruchirapolitanus

45

EXC.MI P. D. ATHANASII C. POLACHIRAKAL
Episcopi Tiruvallensis (Tiruvalla)

31 augusti 1959

N. B. - Hae notae desumptae sunt tam ex actis Concilii Vaticani quam ex multis aspectibus situationis Ecclesiae hodiernae.

I. *De convocatione*

Hic agitur de illis tantum episcopis veris qui non habent communionem cum Sede Apostolica.

A) *De Episcopis Orientalibus*:

Multum proderit illos dissidentes convocare modo personali, et non tantum generâli, etiam per litteras ipsius Summi Pontificis. Hae litterae mandari possint sive ad caput supremum cuiusque nationis vel ritus, sive etiam ad principales archiepiscopos et metropolitas.

Tantum hierarchia sic dicta « veterum catholicorum » valet validitate sui episcopatus. Forsan etiam isti possint invitari ad concilium per litteras pontificales mandatas ad eorum archiepiscopos.

II. *De praesentia eventuali aliorum christianorum*

Alii dissidentes, ut maior pars Protestantium sed tantum illorum quo aliquam « orthodoxiam » servant, possint invitari modo amicabili ut delegatio aliqua mittatur ad « observandum » laborem Concilii. Commendatur ut delegatio aliqua ex « World Council of Churches », ex « World Lutheran Association » etc. invitetur.

III. *De modo agendi cum Episcopis Orientalibus dissidentibus*

Si quidam ex illis ad Concilium adire velint, difficultas oriri potest de eorum statu in Concilio ex eo quod ius strictum habent nullum ex eorum situatione separationis a vera Ecclesia. Forsan solutio aliqua difficultatis inveniri possit hoc modo: illi dissidentes deliberationes Concilii sequi possint, sed modo passivo tantum.

IV. *De lingua adhibenda in Concilio*

Latina lingua servari potest, sed multum faveatur systema modernum, quo simultaneae versiones in variis linguis modernis modo electronico eruantur.

Pro ipsis actibus officialibus Concilii, textus detur non solum in lingua Latina, sed etiam in aliis ecclesiasticis idiomatibus, ut Graeco, Syriaco, Armenico, Arabico etc. et etiam in aliquibus, praeclaris linguis modernis. Sic magis affirmabitur character universalis Ecclesiae Catholicae.

V. *De sede Concilii*

Forsan melius est ut Concilium extra Urbem locum habeat. Sic forsan illi Christiani non-catholici ad illam maximam adunationem magis afficiantur. Civitates illustres ut Venetiae, Mediolanum, etiam extra Italiam sed proximae Urbi, ut in Austria, Germania meridionali, Gallia orientalis, eligi possint.

VI. *De materiis tractandis in Concilio*

De Ecclesia Universali:

1. Ut maior auctoritas tum Archiepiscopis tum episcopis concedatur, particulariter in materiis dispensationum, et etiam in regionibus a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentibus.

2. Ut vita communis pro clero dioecesano magis promoveatur.

3. Ut episcopi non faciliter novas familias religiosas incipiant.

4. Ut synodi sive provinciales sive regionales sive dioecesani magis foveantur, atque regulariter adunentur.

5. Ut diaconatus, etiam virorum in matrimonio viventium, repristinetur, ut status permanens cum significatione liturgica et pastorali.

6. Ut alii ordines minores et etiam subdiaconatus, reviviscant modo pastorali, ut catechistae lectores facti; sacristani, ostiarii etc.

7. Ut laici bene formati spirituque apostolico imbuti participare possint intimius vitae Ecclesiae v. g. instituendo consilia talium pro paroeciis, dioecesibus, regionibus etc.

8. Ut in multis regionibus, etiam missionum, melius distribuantur dioeceses.

9. Ut tituli honorifici, dati a SS. Pontifice presbyteris dignis, magis simplificentur, etiamque rarius concedantur.

10. Ut officiales laborantes in Curia Romana universalius ex tota Ecclesia seligantur, eo ut character universalis Ecclesiae melius appareat, atque consultationes de rebus ad regiones tam diversas pertinentibus accuratius fiant.

11. Ut index librorum prohibitorum corrigatur, et permissio legendi illos libros facilius ad confessores concedatur.

12. Ut libertas amplior concedatur ad adaptandam liturgiam Catholicam ad indolem culturalem et religiosam populorum quae vivunt extra Europam.

13. Ut magis simplificetur ius canonicum.

14. Ut repristinentur leges ieiunii et abstinentiae ad fovendam mortificationem populi christiani his temporibus nimis proni ad satisfactiones materiales.

15. De paupertate illorum ordinum religiosorum qui « ut mendicantes » apparere debent, particulariter in regionibus missionum.

16. Ut restauretur, canonice statuatur, et amplius foveatur ordo monachorum professorum qui sacerdotio non gaudent.

17. Ut melius magisque vigiletur ut devotiones non consonantes spiritui Ecclesiae, imprimis liturgico, arceantur.

18. Ut melius distribuantur sacerdotes tam religiosi quam dioecesani, ut fideles melius curentur.

19. Ut magis foveatur motus oecumenicus in Ecclesia, tam inter ipsos Catholicos quam in relatione cum christianis separatis.

20. Ut studia in seminariis magis adaptentur necessitatibus hodiernis peculiariter insistendo in indolem pastoralem, spiritualem, culturalem, biblicam liturgicamque illorum studiorum.

21. Ut adaptetur Calendarium Liturgicum Ecclesiae Universalis, eo ut Festa Temporis melius eluceantur, et tantum serventur illae commemorationes Sanctorum quae vera significatione gaudent.

22. Ut relationes inter episcopos et religiosos in regionibus missionum melius explicentur.

23. Ut capitula canonicorum non serventur in regionibus ubi cum conditionibus hodiernis minus consonant.

24. Ut sacerdotes et seminaristae ritus latini melius educentur ad intelligentiam Ecclesiae Orientalis atque eius consequentem amorem.

25. Ut Patriarchae Orientales saltem Patribus Cardinalibus aequiparentur, tam in eorum dignitate quam in eorum privilegiis et statu in Ecclesia.

26. Ut missiones ad non-christianos extendantur ad sacerdotes et religiosos rituum orientalium, peculiariter in regionibus Indiae ubi paucissimi vel nulli Latini catholici vivunt.

27. Ut creetur speciale Collegium pro seminaristis rituum Orientalium in Urbe, etiam si praesens Collegium de Propaganda Fide dividi debeat.

28. Ut constituantur speciales commissiones liturgicae pro unoquoque ritu, sive in Urbe, sive in regionibus ubi illi ritus inveniuntur.

29. Ut tituli honorifici qui a Curia Romana habitualiter conceduntur pro ritibus orientalibus valde limitentur, nisi abrogentur, eo ut antiqui tituli ad illos ritus pertinentes melius serventur atque honore praeluceantur.

30. Ut largius atque cum spiritu vere Catholico foveatur unio Ecclesiarum dissidentium ad Ecclesiam Unam et Veram.

Per labores Concilii vitentur quaeque expressiones, disputationes, sententiae, quae ut superioritatem Ecclesiae Occidentalis nimis sapiant, vel quae aliquem contemptum illorum « fratrum separatorum » ostendant.

Fortiter removeatur pro futuro quaeque suspicio sic-dictae « latinizationis » tam in ritibus quam in iurisdictione.

Prohibeatur, secundum veram traditionem Sedis Apostolicae, possibilitas amplectendi ritum latinum pro illis Orientalibus qui ad Ecclesiam uniuntur, exceptis casibus particularibus ab hierarchia competenti tractandis.

31. Corrigatur novum Ius Canonicum Orientale, nuper publicatum, eo ut traditiones legitimae Ecclesiae Orientalis melius serventur, conditiones locales accuratius observentur, atque maior libertas permittatur, v. g. Subdiaconatus ne sit impedimentum sive prohibens sive

dirimens ad contrahendum matrimonium, cum semper apud Orientales Subdiaconatus, ut ordo minor consideratur.

32. Si umquam, quod Deus faveat!, aliqua Ecclesia separata ad unionem Verae Ecclesiae redeat, ne illa introducere debeat immediate et quasi ex tempore totam legislationem canonicam ut viget hodie, atque ei facile reddatur directus accessus ad Summum Pontificem.

33. Reviviscatur aliqua limitata « communicatio » in sacris » inter presbyteros catholicos illorum rituum et fideles, etiam sacerdotes dissidentes ut saeculis XVII et XVIII vigebat in regionibus proximi Orientis. Saltem multum foveatur apostolatus pacificus inter illos fratres separatos, modo vere catholico et oecumenico.

✠ ATHANASIUS C. POLACHIRAKAL
Episcopus Tiruvallensis

46

EXC.MI P. D. GEORGII ALAPATT
Episcopi Trichuriensis (Trichur)

Die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras Prot. N. 1 C/59-1378 mihi transmissas die 18 iunii accepi magno cum gaudio. Animadversiones, vota et consilia mea circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico poterunt tractari humillime submitto, ea dividendo in diversa capita, quaedam pertinentia ad partem doctrinalem quaedam ad disciplinam cleri populique Christiani et quaedam vero ad maioris momenti negotia quae in hodiernis temporibus Ecclesia omni cum sollicitudine obire debet.

Fausta omnia adprecor pro optimo exitu Concilii Oecumenici Deo Optimo Maximo adiuvante.

Arripiens hanc occasionem ego cum clero populoque meae dioecesis profundam erga Apostolicam Sedem devotionem provoveo et impensos animi sensus ex corde Eminentiae Vestrae tribuo.

Eminentiae Vestrae
devotissimus in Christo

✠ GEORGIUS ALAPATT
Episcopus Trichuriensis

De convocandis ad Concilium ut observantibus

Cum Summus Pontifex feliciter regnans Ioannes XXIII principale scopum Oecumenici Concilii esse reducere ad unitatem Ecclesiae fratres omnes separatos Graecos nempe et Russos omnesque sectas Protestantium et Iacobitorum ritus Syro-Antiocheni Malankarentium saepe declaravit, peropportunum erit extendere illis personis illustribus qui eis praesunt invitationem personalem ut in Concilio partem habeant ut observantes et mentem eorum libere aperiant, difficultates eorum patefaciendo solutionesque ex publica discussione obtinere satagendo. Tali Concilio pro eodemque fine invitari debent et delegati ex « World Council of Churches », ex « World Lutheran association » et ex « Church of South India ». Quum Summus Pontifex suam pastoralem sollicitudinem super eos quoque extendere vult, fraterna cum caritate et maxima cum patientia discussio cum illis evolvi debet tum in rebus dogmaticis tum in rebus disciplinaribus. In terminologiis utendis, expressionibus quoque, maxima cautione adhiberi debet. Verba « secundae classis Catholici » quando loquitur de catholicis ritus Orientalis; verba « Dissidentes » quando loquitur de fidelibus Ecclesiae Orthodoxae odium contra illos sapiunt et ergo evitari debent.

Doctrinae Capita

1. Peropportunum erit Patribus Concilii deliberare quomodo Fides in Deum in diem minuatur toto in mundo nonobstante efficaci praedicatione Evangelii in toto Orbe terrarum, inter tot et tantas aërumnas, quomodo fallaciis Materialismi, Agnosticismi, Atheistici Communismi etc. implexi, non tantum Russi et Chinesi, in totali denegatione existentiae Dei vivant sed etiam populi Christiani in terris dominationis Russorum persecutionem patiantur et in discrimine perditionis fidei existant et quomodo etiam in regionibus ubi Russia non tenet principatum populus Christianus et a fortiori et alii in unum Deum credentes in indifferentismum facile labant. Ratio principalis huius defectionis non solum in rudioribus sed etiam in « Intellectualibus » inveniri debet in inadaequata universali religionis instructione, in negligentia applicationis principiorum scientiae socialis enucleatorum in Summorum Pontificum Litteris Encyclicis quibus inaequalis status conditionum operariorum et Capitalistarum solvi queat, media et remedia universaliter et practice applicando. Oecumenici Concilii erit leges et regulas condere ut tandem aliquando quaestio socialis quantum possibile est solvatur. Si media efficacia non invenirentur et in praxi non deducerentur in omnibus

dioecesibus Ecclesiae universalis, Communismus ramos spargeret ubique et vita catholica periclitaretur in toto mundo.

2. In symbolo fidei adiungantur Dogmata fidei Immaculate Conceptionis, Infallibilitatis Summorum Pontificum, Assumptionis B. Virginis ita ut quotidie fideles eas veritates quoque profiteri possint.

3. Quum plurimi praesertim in terris missionum et ubi tolerantia omnium religionum permittitur, dicant omnes religiones esse varias vias adducentes asseclas earum religionum ad verum Deum, Catholicorum est falsitatem vindicare eorum asserti et proclamare catholicam religionem inter tot et tantas religiones esse unicam veram religionem a Deo revelatam. Hoc aliis persuadere cum non sit facile opus, catholici curare debent ut prudenter et sine offensione procedant. Asseclae contradicentium religionum suas antiquiores nostra esse, nobis dicunt. Protestantes vero Reformatores reformationem catholicae religionis legitimam esse dicunt. Sepositis vero argumentis ad alliciendos hos non catholicos, optima via est fovere amicabilem consuetudinem et introducere fraternam discussionem et peroptandum hunc in finem ut associationes cosmopolitae formentur ad intimam consuetudinem inter membra aliarum religionum fovendam. Tales conferentiae utiles erunt maxime ne influxus Communismi pervadat et corrodat communitates Deum confitentes.

4. Est valde dolendum quod insufficiens et superficialis instructio catechetica impartiatur pueris et iuvenibus in scholis elementariis, mediis et superioribus ut religionem publice confiteri eamque defendere nullatenus capaces evadant. Haec est ratio cur illi vitam practicam christianam paulatim amittant et sensim sine sensu in Communismum prolabantur.

Disciplina cleri populique christiani

1. Clerici dum in seminario sacrarum scientiarum cursum complent, vacent etiam studiis socialibus, beneque se instruant in Encyclicis Summorum Pontificum de iis rerum tractantibus. In vita pastorali non contenti esse debent solum ministrando suis fidelibus in Ecclesia. Pastoralis sollicitudo extendi debet in pauperibus sublevandis et infirmis curandis. Pastores oves cognoscere debent et ad finem talem domos omnium parochianorum semel in anno saltem visitare debent et si opus est multoties. Curandum ut condatur « Parish Fund »: colligatur summa pecuniae et detur pauperibus secundum necessitatem. Inter pastores et parochianos intima consuetudo et contactus semper foveatur.

2. Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere, eisque virtute et recte factis excellere. Vita interior et spi-

ritualis clericorum est fons omnium activitatum pro salute animarum et ergo ea exercitiis spiritualibus ut v. gr. meditatione quotidiana, Sacrificio Missae etc. semper fovenda et vivificanda est. Conferentiae parochorum aliorumque sacerdotum in certis temporibus adunatis sub praesidentia episcopi, mensiles recollectiones spirituales unoquoque mense, vigilantia episocpi et vicariorum foraneorum maximae erunt utilitatis ad internum spiritum flagrandum.

3. Est querimonia fidelium quod propter multiplicia parochorum negotia in administratione bonorum temporalium parochi non fovent pastoralem sollicitudinem et consuetudinem inter fideles. Fideles ergo sensim sine sensu a parochis avelluntur. Ut obveniat huic difficultati status Diaconalis instituatur. Laici bonis moribus praediti et matrimonio iuncti si Ecclesiae servire velint in diaconali statu cooptentur. Hi maximum utilitatis possunt esse pro parochis ad visitandos domos catholicorum, ad administrationem bonorum ecclesiasticorum gerendam etc. Itaque deficientia sacerdotum modo considerabili suppleri poterit. Parochi liberi erunt ut magis magisque consuetudinem inter fideles instituant, quod hisce temporibus omnino optandum est.

4. Praeter diaconos in qualibet paroecia instituatur Comitatus aliquorum virorum et mulierum forte desumptorum ex variis associationibus in paroecia existentibus qui fideliter stent cum parochis ad omnia gerenda munera. Hic comitatus stabilis esse debet.

5. Codex iuris canonici noviter edatur incorporatis emendationibus, interpretationibusque authenticis usque ad hodiernum diem publicatis ut in manu habeatur unicum volumen. Addantur in Codice novi canones excerpti ex legislatione iam introducta de vita claustrali et de habitu religiosorum et religiosarum, de Actione Catholica, de Saecularibus Institutis, de quaestionibus socialibus etc.

6. Termini et principia in iure Codicis canonici Orientalis contenta melius enucleentur. Partes iuris orientalis adhuc non editae quamprimum iuris publici fiant.

7. Poenae ecclesiasticae, praesertim latae sententiae, minuantur et quaedam removeantur vel relaxentur. Absolutiones a poenis tum in foro interno tum in foro externo magis magisque Ordinario loci committantur.

De Ecclesia Orientali

8. Sacerdotibus confluentibus in aliquo territorio orientali libere extendatur labor missionarius tum in patria tum extra patriam. Ita etiam in illis regionibus ubi paucissimi sunt catholici latini ritus ut in India

Septentrionali, si sacerdotes mittuntur ad propagandam fidem, permittatur quoque illis novas dioeceses ritus orientalis formare.

9. Si religiosi ritus orientalis in Congregatione vel ordine ritus latini sufficienti numero inveniuntur tunc pro eis domus instituatur exclusiva ut in ea vivant simul et liturgiam ritus orientalis exerceant.

10. Patriarchae Orientales consideratione habita antiquitatis eorum Sedium et dignitatis, Cardinalitia dignitate decorentur et ita praecedentiae quaestio solvatur.

11. In liturgia quamprimum sermo patrius quantum fieri potest introducatur ut fideles participationem activam habeant.

12. Impedimenta matrimonialia pauciora fiant et non plusquam unus concedatur in ordinariis circumstantiis ad causam proponendam ad nullitatem matrimonii contracti declarandam.

13. In dispensationibus impedimentorum concedendis restrictio relaxetur et maior facultas impertiatur Patriarchis, minus episcopis.

14. Competentia in causis matrimonialibus modo administrativo tractandis vigente iure secundum rerum naturam nunc dispertitur in quatuor sacra Dicasteria, S. Congregationem Sacramentorum nempe et S. Officii, Tribunalis Apostolicae Signaturae et Sacrae Romanae Rotae. Optandum est ut maior concentratio habeatur et causae matrimoniales referri debeant duobus istorum Dicasteriis.

15. Extensiores facultates dispensationis impedimentorum matrimonii et absolutionis censurarum concedantur Ordinariis locorum ne nimis labor opprimat sacrarum Congregationum officiales.

✠ Georgius Alapatt
Episcopus Trichuriensis

47

Exc.mi P. D. GREGORII B. V. THANGALATHIL

Archiepiscopi Trivandrensis Syrorum Malankarensium (Trivandrum)

Eminentissime Domine,

Infrascriptus Benedictus Mar Gregorius, Archiepiscopus Trivandrensis vult ad epistolam Eminentiae Vestrae d. 18 iunii 1959 respondens, adiungere his litteris animadversiones meas humillimas nec non consilia et vota de rebus et argumentis in futuro Oecumenico Concilio pertractandis.

Una cum clero et populo huius Archidioecesis preces Deo Omnipo-

tenti effundo ut Concilium hoc Oecumenicum quod Summus Pontifex feliciter regnans convocare dignatus est fructum multum afferat ad gloriam Dei Altissimi et ad magnam utilitatem totius Ecclesiae.

Occasionem hanc sumo meum profundum sensum devotionis erga Sedem Apostolicam exprimere et Eminentiae Vestrae reverentiam meam manifestare.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus et devotissimus

✠ GREGORIUS B. V. THANGALATHIL
Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

A) DE CONVOCATIONE

I. *Dissidentium*

Multum, puto, profuturum esse, dissidentibus fratribus aliquam invitationem personalem, non tantum generalem elargiri, forsan per ipsius Summi Pontificis litteras. Hae litterae mitti possunt principibus unius cuiusque Ecclesiae autocephalae secundum nationalitates vel ritus.

In India vero meridionali *Iacobitae* ritus Syro-Antiochaeno-Malankarensis sunt praecipui inter dissidentes. *Marthomitae* qui saeculo praeterito influxu Protestantium secesserunt a Iacobitis, veniunt in alterum locum. De validitate autem sacrorum Ordinum Marthomitarum dubium est.

II. *Aliorum Christianorum*

Alii quoque Christiani ut variae sectae Protestantes qui aliquam « orthodoxiam » servant, possunt amice invitari ut quibusdam saltem coetibus conciliaribus intersint si velint. Legationes nempe ex « World Council of Churches », « World Lutheran Association » etc. sollicitari possunt. Ex nostra autem regione inter invitandos Protestantes nominare velim praecipue « The Church of South India ».

B) DE TRACTANDIS IN CONCILIO

I. *Ad Ecclesiam Universalem spectantia*

Suggerere velim:

1. Ut magis promoveatur vita communis inter cleros Dioecesanos.

2. Ad melius promovendum vitam spiritalem, studium ecclesiasticum et activitates apostolicas modernis temporibus congruentes, instituta ut Centrum Pastorale, Associationes Pro Clero dioecesano, condi possunt in unaquaque provincia vel Dioecesi.

3. Ut synodi tum dioecesanae, tum provinciales, et etiam regionales frequenter convocentur.

4. Ut loci ordinariis ampliores facultates dispensandi concedantur.

5. Ut congregationes religiosae quarum constitutiones fere similes sunt vel quae easdem activitates exercent, aliquo modo coordinentur inter se quoad earum regimen et activitates apostolicas.

6. Ut fines dioecesium melius distribuantur consideratis necessitatibus uniuscuiusque loci.

7. Ut officiales operam navantes in Curia Romana et Consultores sacrarum Congregationum ex universali Ecclesia seligantur ita ut character universalitatis Ecclesiae melius eluceat et consultationes rerum ad diversas regiones pertinentium facilius et accuratius fiant. Consultores vero in rebus liturgicis et pastoralibus maiori saltem ex parte pollere debent scientia practica et experientia matura in rebus a se tractandis.

8. Ut Index librorum prohibitorum recenseatur et emendetur si opus sit.

9. Ut amplior libertas in adaptanda Liturgia Catholica ad culturalem et religiosam indolem populorum cuiusque loci concedatur.

10. Ut processus matrimoniales simplificentur pro regionibus missionalibus et locis eis aequiparabilibus.

11. Ut pristina praxis ieiunii et abstinentiae renovetur quantum fieri potest ad fovendum spiritum mortificationis inter fideles nimis pronos ad satisfactiones sensibiles sub impetu materialistico moderni aevi.

Ubi autem pristina illa praxis ieunii et abstinentiae conservatur in rigore suo antiquo, necessariae mitigationes spectatis mutatis temporibus et hominum indole induci debent.

12. Ut sacerdotes religiosi inducantur ad facilius auxilium praestandum ad voluntatem Ordinariorum in illis locis ubi hoc necessarium evadit propter penuriam sacerdotum dioecesanorum.

Curandum est ut ministerium sacerdotale dirigatur magis ad directam curam animarum quam ad directionem institutorum, quae autem directio comittatur magis ad religiosos laicos et sorores quantum fieri possibile est. Etiam laici catholici debent maiori cum cura instrui et praeparari ad hoc munus adimplendum.

13. Ut magis foveatur Motus Oecumenicus in Ecclesia, tam inter ipsos Catholicos quam in relatione ad Christianos dissidentes.

14. Ut studia in Seminariis magis adaptentur necessitatibus hodiernis. Ibi quaestiones vitales moderni aevi maiori cum diligentia pertractari debent. Sic *a*) Philosophia moderna substitui debet in loco quaestionum iam antiquatarum nunc autem vero, non magni momenti;

b) S. Scriptura quae est Verbum Divinum et proinde Vita Aeterna intensius et maiori cum diligentia disci debet.

15. Conditio oeconomica clericorum in Seminariis sit aliquomodo proportionata modo vivendi plebis illarum regionum in quibus vivunt. Efficaciora media adhibenda sunt ut clerici melius foveant ac colant spiritum paupertatis secundum leges canonicas.

16. Eo ut illi qui nuncupantur « pastores » apud protestantes facilius possint amplecti fidem Catholicam, modo sint bene dispositi, habiles habeantur promoveri ad sacerdotium vel saltem ad diaconatum etiamsi illi in vita coniugali vivere pergant. Haec autem licentia valeat tantum pro ipsis « pastoribus » qui actu fidem amplectuntur, non vero pro eorum posteris.

17. Ut clerici latini edoceantur in rebus orientalibus ita ut possint recte aestimare excellentiam rituum orientalium et eos amare.

II. *Ad Ecclesiam Orientalem spectantia*

18. Ut Archiepiscopi et alii supremum locum tenentes in aliquo ritu, facultatem habeant mittendi sacerdotes suos ad excercendum ministerium inter fideles vel dissidentes sui ritus ubi sat numerosi degunt extra proprium territorium.

19. Ut Congregationes religiosae ritus latini admittentes etiam fideles ritus orientalis instituant domos ubi servatur ritus orientalis si hi sufficientes inveniantur in numero.

20. Ut commissiones liturgicae et disciplinares constituantur pro unoquoque ritu in regionibus ubi illi ritus inveniuntur et, si necesse est, etiam in Urbe.

21. Ut Patriarchae orientales saltem Patribus Cardinalibus aequiparentur, tam in eorum dignitate quam in privilegiis et statu in Ecclesia.

22 .Si qua Ecclesia secessa, Deo favente, redeat ad unionem cum Vera Ecclesia ne illa introducere cogatur statim et quasi ab improviso totam legislationem canonicam ut viget hodie, atque ei facilis reddatur accessus ad Summum Pontificem.

23. Apostatis, haereticis et schismaticis iam per longum tempus ab Ecclesia disiunctis et fere alienatis a religione Catholica, sed nunc redire cupientibus in sinum Matris Ecclesiae, liceat sibi eligere quemcumque ritum Catholicum ita ut eorum reditus facilior et saepe etiam possibilis reddatur.

24. Sancti Orientales excolantur ampliori cum agnitione et veneratione in Ecclesia universali: eorum nomina includantur in litaniis

sanctorum, erigantur eis statuae vel monumenta in Urbe et in ecclesiis ubi fideles christiani in maiori numero frequentant.

25. Desiderabile erit nosse accuratius naturam obligationum praxium religiosarum vigentium in Ecclesia Orientali ut sunt obligationes assistendi Ss. Sacrificio Missae, ieiunii et abstinentiae etc.

✠ Gregorius B. V. Thangalathil
Archiepiscopus Trivandrensis

48

Exc.mi P. D. IOSEPHI ATTIPETTY
Archiepiscopi Verapolitani (Verapoly)

Una cum eo responsum dederunt:

Exc.mus P. D. VINCENTIUS V. DEREERE, *Ep. Trivandrensis Latinorum* (Trivandro dei Latini).
Exc.mus P. D. PETRUS B. PEREIRA, *Ep. tit. Urusitanus, Auxil. Trivandrensis Latinorum.*
Exc.mus P. D. HIERONYMUS FERNANDEZ, *Ep. Quilonensis* (Quilon).
Exc.mus P. D. THOMAS R. AGNISWAMY, *Ep. Kottarensis* (Kottar).
Exc.mus P. D. IOANNES A. ABASOLO Y LEÇUE, *Ep. Vijayapuramensis* (Vijayapuram).
Exc.mus P. D. ALEXANDER EDEZHATH, *Ep. Coccinensis* (Cochin).
Exc.mus P. D. MICHAEL ARATTUKULAM, *Ep. Alleppeyensis* (Alleppey).
Rev.mus D. PAULUS LENTHAPARAMPIL, *Administrator Calicutensis* (Calicut).

Die 24 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Pater,

Liceat Nobis, infrascriptis Ordinariis Provinciae Verapolitanae in Kerala, Indiae Meridionalis, iuxta desiderium Eminentiae Vestrae Reverendissimae per litteras Vestras diei 18 iunii 1959 expressum, auditis etiam opinionibus quorumdam virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, illae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, sequentes animadversiones et vota humiliter submittere.

I. Doctrina

a) Circa effatum: « extra Ecclesiam nulla salus » desideratur clarificatio. Terminologia circa necessitatem pertinendi ad Ecclesiam Romanam Catholicam praecise determinetur, ad lucem Encyclicae *Mystici Corporis*.

Doctrina de « Corpore Christi Mystico », a Pio XII in sua encyclica exposita, sollemniter declaretur.

b) Censemus opportunum esse ut positio fidelium laicorum in Corpore Christi Mystico, praesertim ratione apostolatus eorum, clarius exponatur, tum aspectum theologicum tum aspectum disciplinarem determinando.

c) Communismus atheisticus sollemniter condemnetur. Pariter sectae seu associationes, videlicet « National Church », « Progressive Catholics », « Reformed Catholics », « All-Kerala Catholic Leaque » et alia similia etiam condemnentur.

d) Consideratis rerum adiunctis huius temporis necesse est habere directiones opportunas quoad co-operationem cum non-Catholicis, praesertim in oppugnatione atheismi.

e) Normae sanae et praecisae dentur de molestis quaestionibus hodiernis uti de limitatione prolis (family planning), de continentia periodica (safe period), de seminatione artificiali, de sterilizatione eiusque sequelis quoad validitatem sacramenti atque liceitatem usus maritalis.

f) Opportuna videtur explanatio doctrinae socialis Ecclesiae, ad ostendendam positionem Ecclesiae in rebus socialibus. Ad vitandas non iustas interpretationes necessarium videtur promulgare Codicem Iuris Socialis Ecclesiastici ubi principia ab omnibus tenenda et normae ab omnibus Christianis observandae systematice exponantur.

II. Disciplina

a) *De candidatis ad sacerdotium*:

1) Censemus quod obligatio parochorum promovendi vocationes ad sacerdotium magis urgenda sit. Ad meliorem distributionem cleri inter regiones eiusdem nationis, determinetur modus quo Episcopi in Dioecesibus, quae vocationibus florent, candidatos ad sacerdotium in alias dioeceses possint ordinare.

2) Urgeatur necessitas tradendi disciplinas ecclesiasticas in lingua latina in omnibus seminariis.

3) Cursus methodicus pastoralis post quartum annum theologiae in Collegio ad hoc destinato instituatur.

b) *De Apostolatu Sociali*:

Cum apostolatus socialis in terris missionum, tum ad exercitium caritatis Christianae, tum ad promovendas conversiones, tum ad vitandum Communismum admodum utilis sit sequentia proponimus:

1) Parochi et sacerdotes, fideles sibi commissos, in ecclesia sive extra ecclesiam, doctrina sociali Christiana sedulo instruant.

2) Deliberandum est de convenientia inserendi doctrinam socialem Ecclesiae in ipsis catechismis doctrinae Christianae.

3) Considerandum est de necessitate seligendi in unaquaque dioecesi quosdam sacerdotes, in doctrina sociali tum theoretice tum practice rite paratos.

c) *De Breviarii recitatione et exercitiis spiritualibus*:

1) Gravi cum sollicitudine S. Sedes consulit sanctitati personali sacrorum ministrorum, mediis adhibitis opportunis. Ex alia parte operositas pastoralis nostris diebus adeo urget ut plura in canonibus praescripta pro sacerdotibus circa pietatis actus quotidie ponendos passim fere impossibilia evadant. Ne in re tanti momenti, quae personalem sanctitatem sacerdotum et officium publicum orationis sacerdotalis respicit, conscientia sacerdotum scrupulis obruatur quaedam directiones explicitae tradendae sunt.

Tamen retineatur obligatio Breviarii prout traditione et lege introducta est in disciplina latina ecclesiastica.

2) Sensim sine sensu introducta est praxis exercitiorum spiritualium singulis annis peractorum non tantum inter laicos.

Opportunum videtur ut huiusmodi fere generalis praxis lege generali sanciatur pro sacerdotibus.

d) *De modo apto ad negotia ecclesiastica celerius expedienda*:

Praesertim hisce ultimis annis post introductas modificationes in civitatibus relate ad modum administrandi res publicas, plures censent in Ecclesia res celerius expediendas fore. Praesertim illa quae ad materias pastorales attinent maiori alacritate solvenda essent.

e) Plures dispositiones canonicae tantum rationibus historicis et iamiam superatis conditionibus vitae ecclesiasticae respondent, originemque habuerunt in regionibus Europae vel ex influxu iuris romani vel germanici. Quae cum ita sint non amplectuntur realitatem praesentem.

Propterea vel reducenda sunt huiusmodi instituta iuridica ad ius particulare vel removenda. Sic ex. gr. privilegium quaeritandi eleemosynas, exemptio regularium in iis quae ad ministerium attinent, beneficia eccle-

siastica, plura quoad administrationem bonorum, plura quoad poenas ipso iure incurrendas etc.

f) Normae in codice datae de amotione parochorum ita innoventur ut Ordinarii, data necessitate, possint etiam parochos inamovibiles, sine processu in canonibus praescripto, removere.

Disciplina temperatae vitae communis esset imponenda sacerdotibus, saltem primis decem annis sacerdotii.

g) *Pluralitas iurisdictionis in eodem territorio*:

Ab antiquis temporibus per plurima saecula in Ecclesia viguit principium secundum quod in territorio ecclesiastico unus tantum Episcopus admittebatur. Sic in IV Conc. Lateranensi, ubi omnino prohibitum est « ne una eademque civitas sive dioecesis diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum ».

Ratione pastoralis officii erga Orientales, Ecclesia hoc principium, servatis indole et spiritu episcopalis iurisdictionis, novis conditionibus aptavit specialiter post reditum plurium Orientalum cum suis pastoribus ad unitatem Ecclesiae saeculis XVI et XVII.

Hodie apud plures regiones Orientales aequali ratione atque Latini habent suos Episcopos.

« Negari autem non potest ex hac regula quae aequa et necessaria est, etiam gravia incommoda oriri. Cum enim Episcopi orientales non solum personalem potestatem habent sed etiam territorialem, non secus atque Episcopi Latini, consequitur non raro in eodem territorio tres, quatuor, quinque Episcopos iurisdictionem habere » (Aemilius Herman, *Mon. Eccl.* LXXVII, ser. VII, [1952], p. 426).

Fideles utriusque ritus Latini scilicet et Orientalis permixti inter se multis in locis habitant. His in adiunctis tam clerus in sua potestate exercenda quam fideles in suis obligationibus adimplendis difficultates et molestias de facto experiuntur non paucas.

Naturale est ut unusquisque impendat diligentiam et curam ad sui ritus praestantiam et extensionem. Hoc saepe, multum ut experientia constat, nocet paci et emolumento regni Christi. Contentiones et discordiae exortae inter ritus non raro praebent scandala non tantum fidelibus sed etiam infidelibus.

Neminem latet indebitam eorum quorum interest tendentiam erigendi ecclesias aliaque instituta sui ritus prope iam existentes institutiones alius ritus, ansam praebere discordiae et praedictis contentionibus etc.

In his rerum adiunctis neminem pariter latet quod ob diffidentiam, animositatem et aemulationem inter utrumque ritum existentem, activitates sociales, quae ad bonum et incrementum Ecclesiae et fidelium modernis

hisce temporibus maxime necessariae habentur, nec bene ordinari nec satis fructuose viribus ut oportet coniunctis, executioni mandari possunt.

Ad promovendam pacem et unitatem omnium fidelium in territorio et ad debito honore auctoritatem Episcopi servandum, aliquod remedium est quaerendum:

1) Imprimis non extendatur duplicitas vel pluralitas iurisdictionis.

2) Ut unitas sacri regiminis, quoad res necessarias pro spirituali bono totius communitatis uberius tutiusque fovendo melius servetur, S. Sedes praeficiat territorio ecclesiasticum virum, debitis facultatibus praeditum, qui unitatem foveat decidatque quae veniunt agenda de consensu omnium Ordinariorum.

3) Pro materiis mixtis diversorum rituum instituatur speciale officium vel Congregatio, cui incumbat approbare vel non provisiones datas a Congregationibus quibus in Codice (can. 257 § 1).

III. Quaestiones adaptationis liturgicae

Christi Ecclesia, quam populos gentesque omnes complexuram ambitu suo, S. Scriptura dicit, novissimis saeculis, novas regiones ad fidem adiunxit.

Quod singulari modo in Asia et Africa evenit. Censemus optimo fieri consilio, si harum gentium antiqua sapientiae monumenta praesentesque mores et ritus meditando atque amando, nostra religio accommodata adaptatione proponatur quoad ritus, caeremonias methodumque expositionis.

Sunt multi qui mira Graecorum et Latinorum sapientia et culturae sic dictae occidentalis progressione abnormiter capti, aliarum gentium culturam, mores, mentemque repellere vel ignorare sibi sumunt in evangelio proponendo religioneque docenda et vivenda.

Deo sic disponente plura in omnibus culturis bona et eximia habentur. Quod primi Christiani invenerunt in classicis graecis et latinis, nostrae aetatis Indiae, Sinensis, Iaponiensis et aliarum gentium populi in eorum monumentis traditionibusque facilius sentire et habere poterunt, ut ad Deum sese convertant et Filium Suum Unigenitum agnoscant amplectanturque Ecclesiam ab Eo fundatam.

Impellente ergo necessitate aperiendi portas Ecclesiae Christi his gentibus Asiae Africaeque aliquam immutationem introducendam putamus:

1) *relate ad formationem scientificam et ecclesiasticam* candida-

torum ad sacerdotium, praecipue eorum qui evangelii praecones in his regionibus evadent, veterum nostrorum sapientia monitrix aurora Evangelii erit, si sacerdotes ex eis argumenta sumant relate ad Deum conditorem et moderatorem omnium rerum, iura officiaque etc. etc.

Iure meritoque notatum fuit ab auctoribus in huiusmodi adaptationem caute procedendum, cum periculum adsit relativismi dogmatici si systema ab Ecclesia probatum et, uti philosophia perennis, propositum reiciatur ut quid occidentale.

a) Exinde vera a falsis distinguenda, essentialia ab accidentalibus, certa a disputabilibus.

b) Et Christi religio proponenda modo consentaneo characteri et physionomiae populorum.

2) *Relate ad ritus*:

Cum ritus latinus valorem universalem praesefert, unitas ritus Latini conservanda est, etiam in missionibus, in qualibet renovatione liturgica efficienda.

Linguam autem vernaculam in rituali pro sacramentis administrandis fovendam esse censemus. Formam tamen uniuscuiusque sacramenti lingua latina dicendam esse putamus.

Admissio vero linguae vernaculae in missali romano potest esse occasio multiplicationis rituum. Si creditum opportunus, usus linguae vernaculae in aliquibus missis, hoc non fiat in Missis lectis privatim, quas sacerdos non adstantibus fidelibus celebret.

Paternam benedictionem Vestrae Eminentiae supra nos et supra nostros cleros fidelesque humiliter petentes, Sacram Purpuram reverenter deosculantes, summa qua par est devotione permanemus.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimi servi
Omnes sequuntur subsignationes

49

Exc.mi P. D. IOSEPHI BAUD

Episcopi Visakhapatnamensis (Visakhapatnam)

Le 14 avril 1960

Monseigneur,

J'ai bien reçu en son temps la lettre du 18 juin 1959 de Mgr. Tardini, et votre lettre de rappel du 21 mars 1960 (1 C/59-1454 bis).

Puisque Sa Sainteté le Pape Jean XXIII a la bonté et l'amabilité

de demander leur opinion à des Evêques missionnaires, comme moi perdus dans la jungle, loin des centres et peu au courant des idées et des événements, voici, en toute simplicité, deux points qui me semblent importants:

1. Le latin dans la liturgie devrait être réduit à un minimum. Le latin peut continuer d'être la langue officielle de l'Eglise, mais on doit constater que bien peu de gens la comprennent encore en Europe, et presque personne dans les pays de missions. La piété et l'enseignements de la doctrine y gagneraient si les textes liturgiques étaient mieux compris des gens. Or, par ici, à peine 10 sur 100 savent lire, moins de 1 sur 100 connaissent les caractères latins (les langues indigènes ont leur écriture propre).

2. Si l'on veut avoir un contact religieux plus intime avec les non-catholiques, leur témoigner plus de vraie charité et pouvoir obtenir sur eux une influence religieuse plus profonde, il serait désirable que plusieurs des règles actuelles concernant « communicatio in divinis » soient revisées et élargies.

Veuillez agréer, Monseigneur, l'expression de mes meilleurs sentiments en Notre Seigneur.

✠ Ioseph Baud
Evêque de Visakhapatnam

50

Exc.mi P. D. ALPHONSI BERETTA
Episcopi Varangalensis (Warangal)

30 aprile 1960

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Rispondo alla Sua lettera in data 21 marzo 1960 Prot. N. 1 C/59-1464 bis.

A suo tempo ricevetti la lettera di S. E. il Card. Tardini. Non risposi perchè non avevo nulla di molto importante da suggerire e perchè ero sicuro che non avrei detto nulla di nuovo e di più di quanto avrebbero detto i miei Eccellentissimi Confratelli nell'Episcopato.

Mi spiace averle procurato questo incomodo. Avrei dovuto rispondere in ogni modo. Mi scusi, Reverendissimo Monsignore e gradisca i miei sinceri auguri e ossequi.

Rispettosamente nel Signore
✠ Alfonso Beretta
Vescovo di Warangal

51

Exc.mi P. D. IACOBI ROBERTI KNOX

Archiepiscopi tit. Melitenaei, Internuntii Ap. in India

Novae Delhiensis, die 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Gratias Tibi sinceras ago pro Litteris quibus me ad exprimendum vota de argumentis in proximo Concilio Oecumenico tractandis sedulo invitasti.

Haec mihi videntur avertenda:

a) Hisce praesertim temporibus maxime optandum est ut Concilium traditionalem doctrinam catholicam de unitate originis totius generis humani clare et praecise exponat.

Ex neglectu enim vel contemptu huius veritatis, monogenismi scilicet, causantur turbationes et iniustitiae inter nationes et populos; litigia et odia suscitantur inter cives eiusdem regionis; offensiones et iniuriae inter fideles ipsius Ecclesiae Catholicae, immo inter sodales eiusdem familiae religiosae et aliquando inter ipsos sacerdotes, ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, luctuose oriuntur.

Quae cum ita sint, summi momenti est ut omnes homines, sed praesertim fideles, ipsa Christi membra, hanc veritatem — tam intime coniunctam cum doctrina de eorum Redemptione et incorporatione in Corpore Christi Mystico — agnoscant et luce eiusdem suas perspiciant obligationes relate ad migrationem populorum necnon ad acceptiones personarum in scholis et in vita sociali universe.

Quapropter ut optatissima unitas in unico Christi ovili consequatur, votum ex intimo corde facio ut haec pristina veritas a Concilio limpide exponatur et ab Ecclesia ubique terrarum impavide inculcetur.

b) Relate ad linguam adhibendam in Sacra Liturgia exopto ut summum momentum unitatis agnoscatur praesertim in regionibus Asiae et Africae ubi multitudo linguarum saepe obstat usui pacifico alicuius linguae vulgaris localis. Procul dubio perutile est ut ea quae homines respiciunt, sacramenta scilicet et sacramentalia, in lingua subiecti tradantur. Sed optandum est ut in eis quae Deum respiciunt, in linea ascendenti scilicet, unica lingua liturgica adhibeatur. Etenim si fideles revera bene instruantur de eorum munere in Sacrosancto Missae Sacrificio, eorum participatio vere intima et foecunda erit.

c) Denique exopto ut doctrina de essentia Sacrificii Missae pressius determinetur.

Interea qua par est reverentia Sacram Purpuram deosculor meque profiteri gaudeo

Eminentiae Tuae
addictissimum

✠ IACOBUS ROBERTUS KNOX
Archiepiscopus tit. Melitenaeus
Internuntius Ap. in India

52

EXC.MI P. D. EVANGELISTAE L. H. VANNI
Archiepiscopi tit. Bizyeni

Die 11 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est Eminentiae Vestrae Rev.mae significare me Vestram epistolam e Civitate Vaticana die 18 iunii 1959 scriptam abhinc tribus diebus laeto animo accepisse.

Forsitan notum erit Eminentiae Vestrae Rev.mae quod propter meam aetatem Archidioecesis Agraensis curam abhinc paucis annis relinquens me in hunc Sancti Francisci coenobium recepi. Propter hanc rationem ac propter valetudinem meam Eminentiam Vestram Rev.mam suppliciter peto ut velit me excusare si quaestionibus in epistolam Vestram expositis respondere non audeo.

Nunc preces effundens pro felici exitu Concilii Oecumenici ac Eminentiae Vestrae Rev.mae salutem auguror ex corde ut bene habeatis.

Eminentiae Vestrae Rev.mae add.mus
✠ EVANGELISTA L. H. VANNI
Archiepiscopus tit. Bizyenus

53

EXC.MI P. D. FRANCISCI A. CARVALHO

Episcopi tit. Demetracensis
Auxiliaris Madropolitani et Meliaporensis

Die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magnam Vestrae Eminentiae habeo gratiam quia mihi significavit Summum Pontificem Ioannem XXIII Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituisse necnon Vestram Eminentiam eidem Commissioni praeesse.

Vestra Eminentia me rogat ut animadversiones, sententiasve de rebus argumentisque quae in venturo Concilio agitari ac tractari poterunt exponam.

Magni quidem duco hanc rem, tamen humillime fateor nullas me habere opiniones vel suggestiones quas proferam.

Verumtamen Vestrae Eminentiae spondeo me quam arctissime collaboraturum cum omnibus Patribus futuri Concilii in omnibus quae ad bonum atque incrementum Sanctae Matris Ecclesiae pertineant necnon me preces ad Deum fusurum ut optimo maximo Deo adspirante atque opitulante omnia in Concilio acta bene, fauste, feliciter eveniant.

Interim Vestrae Eminentiae cordatos et altos venerationis et appretiationis meae sensus profiteor

Vestrae Eminentiae
addictissimus in Christo Iesu
✠ FRANCISCUS A. CARVALHO
Episcopus tit. Demetracensis

54

EXC.MI P. D. IOSEPHI A. POLI

Episcopi tit. Pertensis

Die 4 augusti 1959

Eminentisime Domine,

Litterae Eminentiae Vestrae Rev.mae N. 1 C/59-2278 die 18 iunii 1959, pergratae ad me pervenerunt die 30 iulii eiusdem anni.

Cum aetatis meae 82 et Missionis 59 annum attigerim, iam non

possum ultra de rebus et negotiis quae in Concilio Oecumenico tractanda erunt aliud suggerere vel animadvertere.

Toto corde approbo, laudo et inspiratam considero sollicitudinem Summi Pontificis Nostri Ioannis XXIII, convocandi nempe Concilium Oecumenicum ad tantas quaestiones pertractandas, quae Ecclesiam hodiernis temporibus respiciunt, maxime « ad omnes Errantes ad Ecclesiae unitatem revocare et Infideles universos ad Ecclesiae Evangelii lumen perducere ».

Cum nihil facere queam, preces, vota et sacrificia quotidie effundam pro omnibus intentionibus Summi Pontificis Nostri Ioannis XXIII et pro Concili Oecumenici felici successu.

Maxima cum reverentia et devotione meipsum profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae

humillimum servum

✠ Ioseph A. Poli
Episcopus tit. Pertensis

55

Exc.mi P. D. LONGINI G. PEREIRA
Episcopi tit. Vadensis, Auxiliaris Bombayensis

Die 28 augusti 1959

Rev.me et Eminentissime Domine,

Grato animo litteras vestras communicantes notitiam de futuro Concilio Oecumenico suscepi.

Cum Archiepiscopus Bombayensis, Valerianus Cardinalis Gracias, cuius Auxiliaris sum, responsiones mature perpensas Vestrae Eminentiae iam miserit, ex mea parte nihil addendum habeo.

Libenter orationes meas pro felici exitu deliberationis huius Commissionis Antepraeparatoriae promitto.

Interim, impensos animi sensus et obsequia ex corde Eminentiae Vestrae profiteor.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus

✠ Longinus G. Pereira
Episcopus tit. Vadensis

INDONESIA

1

Exc.mi P. D. IACOBI GARCIA GOULART

Episcopi Diliensis (Dili)

Ex Dili (Timor), die 19 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Tantummodo die 15 octobris 1959 litterae Eminentiae Vestrae (Prot. N. 1 C/59 - 448) ad me pervenerunt.

Non respondi, quia tempus pro responsione iam transactum erat (1 sept.) ac insuper nihil meae menti obveniebat circa res et argumenta pro futuro Concilio proponendum.

Sed cum nunc alterae litterae (die 21 martii conscriptae) accepissem, quamvis breve sit spatium temporis ad deliberandum, sic mea vota exprimo:

1. Ut latius possit adhiberi lingua vernacula in liturgia.
2. Ut Diaconatus sit etiam gradus stabilis et permanens Sacramenti Ordinis in Ecclesia.
3. Ut Presbyteratus ne conferatur ante 30 aetatis annum expletum.
4. Ut omnes taxae pro administratione Sacramentorum et similium suspendantur et tantum accipiatur quod fideles sua sponte velint offerre.

Omni quo par est obsequio me profiteor

add.mum in Domino
Eminentiae Vestrae Rev.mae

✠ Iacobus Garcia Goulart
Episcopus Diliensis

2

Exc.mi P. D. GAETANI ALIBRANDI

Internutii Ap. in Indonesia

Diakarta, die 24 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 18 iunii 1959, N. 1 C/59 - 1672, recepi et Tibi gratias agere volo propter fiduciam, mihi tributam.

Hac fiducia fretus, Eminentiae Tuae argumenta, quae mihi videntur necessarie disserenda esse in futuro Concilio Oecumenico, exponere humillime audeo ad maiorem Dei gloriam propagandam et ad salutem animarum provehendam.

Debita qua par est reverentia, duo argumenta propono, scilicet refutationem communismi et doctrinam Maternitatis universalis et supernaturalis Beatae Mariae Virginis.

1. Sicut saeculo XVI Concilium Tridentinum contra errores reformationis protestanticae tamquam munimentum erectum est; sicut saeculo XIX Concilium Vaticanum adversus doctrinas falsas illuminismi, rationalismi et liberalismi praesidium constitutum est; ita nunc novum Concilium Oecumenicum in examen communismi, qui haeresis huius saeculi merito dicitur, vertere deberet. Revera communismus toto orbe terrarum diffusus est et periculum perversionis ac animarum detrimentum constituitur.

Quare necessarium mihi videtur doctrinam communismi funditus a Patribus sub aspectu philosophico, theologico, sociologico atque iuridico considerandam esse et argumentis perspicuis solidisque firme refutandam.

Praeterea malefacta historica praecipua, quae sigillum iniquitatis et perversitatis communismi in se ferunt, non sunt oblitteranda, immo posterorum memoriae tradenda. Doctrina communismi enim non tantum ratione pessima est, sed etiam et praecipue re calamitates populo christiano totoque generi humano affert.

Velint denique Patres mandare hanc doctrinam refutatam speciali cursu in omnibus Universitatibus, Institutis studiorum superiorum Seminariisque docendam esse, ita ut sacerdotes necnon viri laici exculti populum christianum ab exitiali communismi institutione defendere possint.

2. Enixe rogo ut Patres doctrinam, quae Maternitatem universalem et supernaturalem Beatae Mariae Virginis tenet, exponere velint.

Beata Virgo Maria reapse christifidelium Mater est non sensu translato, quo nos sicut amantissima mater diligit; ne sensu adoptivo quidem, qui in fictione iuris fundatur et nullam vitae communicationem affert; sed sensu proprio, i.e. nobis vitam veram, non quidem naturalem, sed supernaturalem communicat. Quae doctrina in dogmate Incarnationis et Mystici Corporis Christi fundatur. Beata Virgo enim, quae Mater fuit naturalis Capitis Corporis Mystici, membrorum ipsius Corporis Mater esse debet.

Haec sunt, Eminentissime Domine, argumenta quae mihi videntur utiliter in proximo Concilio Oecumenico disserenda esse.

Ea humillime hisce litteris Eminentiae Tuae propono.

Interim osculo Sacrae Purpuris provolutus, venerationis sensus ex corde Eminentiae Tuae profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissime
humillimum Servum
✠ CAIETANUS ALIBRANDI
Internuntius Apostolicus

3

Exc.mi P. D. THEODORI VAN DEN TILLAART
Episcopi tit. Muliensis, Vicarii Ap. Atambuensis (Atambua)

Atambua, 11 september 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Vestrae N. 1 C/59-1713 datas die 18 iunii 1959 nuperrime recepi die 10 septembris 1959. Fere omnes litterae usque ad tres menses sunt in itinere. Quamvis igitur responsum meum tardius emittere possim, festino tamen respondere epistolae Eminentiae Vestrae. Tantum quaedam desiderata proponere volo.

Quoad Liturgiam.

1. Putamus hic festa liturgica adhuc parum accommodata esse mentalitati (psyche) gentis indonesiacae. An possibilis censeretur usus instrumentorum artis musicae indigenae, etiam in ecclesiis nostris uti sunt violinae, guitares, tibiae, tympanae, etc. et etiam saltationum decentium, iuxta aestimationem et cum licentia Ordinarii loci.

2. An tota Missa catechumenorum in lingua indigena celebrari potest.

3. An viri nupti et decenter viventes etiam diaconatum accipere possunt, ut presbyteris adiuvare possint in dispensatione Sacrae Communionis et verbi et christianis occasio frequentior dari possit ad Sacram Communionem recipiendam. Diebus Dominicis et festis circa 10% tantum fidelium Missae adesse, Communionem accipere et praedicationem audire possunt.

Quoad Sacramenta.

1. Speratur interpretatio clara de canone *C.I.C.* 1098 § 1. In hisce regionibus canon iste res magni momenti est, quia impossibile est sacerdotes unoquoque mense omnes vicos adire.

2. Petitur deliberatio an sacerdotibus nostris facultas impertiri possit ad dandam absolutionem generalem in diebus festis, si v.gr. plus

quam quinque horis confessiones audire debeant. Saepe sacerdos audiendo confessiones exhaustus solemnitates liturgicas incipere debet.

Persuasum mihi est desiderata haec revera non esse negotia maioris momenti pro Concilio Oecumenico, sed pertinere tantum ad « ceteras res, quas mihi exponere visum est », quia pro favenda fide in hisce regionibus mihi valde utilia aestimantur.

Eminentiae Vestrae humilis servus in Domino

✠ Theodorus van den Tillaart
Vicarius Apostolicus Atambuensis

4

Exc.mi P. D. IACOBI BUIS
Episcopi tit. Astypalaeensis, Vicarii Ap. Jesseltonensis (Jesselton)

Jesselton, North Borneo, die 31 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Magna cum gratia communicationem Vestram 1 C/1782 recepi et studiose consideravi. Propter itinera nuper facta impossibile erat ante diem primam septembris currentis anni Eminentiae Vestrae responsionem mittere.

In hac epistola proponitur:

1. Ut suggestiones et consilia mitti possint etiam post diem primam mensis septembris huius anni.

2. Ut vita religiosa, praesertim monialium, maxime, ubi fieri potest sine detrimento vitae spiritualis, mutetur et ad praesentia tempora adaptetur.

3. Ne moniales erigant domum, ne quidem cum permissu Ordinarii Loci, in iis regionibus ubi visitatio canonica a propriis superioribus praevidetur valde difficilis vel impossibilis.

4. Ut Codex Iuris Canonici, in externo regimine monialium, maiorem tribuat auctoritatem Ordinario Loci in iis praesertim regionibus in quibus visitatio canonica a propris superioribus raro vel numquam fit.

Impensos animi sensus ex corde profiteor
Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino adprecor

add.mus
✠ Iacobus Buis
Episcopus tit. Astypalaeensis
Vicarius Ap. Jesseltonensis

5

EXC.MI P. D. NICOLAI SCHNEIDERS
Episcopi tit. Coensis, Vicarii Ap. Makassarensis (Makassar)

Makassar, 23 augusti 1959

Eminentissime ac Excellentissime Domine,

Proficiscens ex oppido Makassar ad visitandas regiones interiores Vicariatus sui, Excellentia Sua N. Schneiders, Vicarius Apostolicus de Makassar (Indonesia), mihi mandavit respondere litteris Eminentiae Vestrae d.d. 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1816) atque communicare Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico quaedam proposita et vota, sperans fore ut Augusta Commissio supra dicta ponderare dignetur si forsan in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt. Quae proposita et vota sunt sequentia:

I. *Quoad Missam:*

Quamvis lingua Latina omnino retinenda est uti lingua Ecclesiae Romanae publica, nec ad sacerdotius admittendi sint nisi qui hanc linguam cognoscunt, nihilominus proponitur:

a) ut Missa sic dicta Catechumenorum et praesertim Epistola et Evangelium in lingua vernacula dicantur;

b) ut selectio Epistolarum et Evangeliorum in diebus Dominicis magis accomodentur ad captum fidelium;

c) ut in Missis cantatis cantentur cantus in lingua vernacula, uti habetur in sic dicta « Deutsche Sangmesse »;

d) ut, quoad functiones liturgicas, discrimen inter « pauperes » et alios fideles (uti e.g. Missa de Requie *lecta pro pauperibus*) abrogetur uti minus conveniens cum munere sociali Ecclesiae, praesertim his temporibus modernis.

II. *Quoad Breviarium:*

a) Ut Breviarium simplificetur, scil. eo sensu ut, in quantum potest, Officium unius diei fiat oratio continua, ita ut orans non continenter debet paginas in libro percurrere;

b) ut fiat selectio melior lectionum ex Sacra Scriptura;

c) ut singulis diebus legatur, aliqua pars ex Sacra Scriptura, quae non disrumpitur a Responsoriis, sed sit continua, et ut selectio partium ex Sacra Scriptura sit magis accomodata anno liturgico;

d) ut Officium Divinum mutetur eo sensu ut loco Officii nunc existentis, componatur aliquod Officium quod continet lectionem spiritualem ex Sacra Scriptura (per quartam horae partem et secundum electionem ipsius sacerdotis), lectionem spiritualem ex scriptis Patrum et Doctorum Ecclesiae et ex proprio Sanctorum et orationes (psalmos, hymnos et cantica sacra).

III. *Quoad ieiunium Eucharisticum:*

Ut differentia inter cibum solidum et potum (excepta aqua et potibus alcoholicis) abrogetur, quia pauperes in multis missionibus non habent liquida quae nutriunt, uti v. g. lac, « bouillon » etc.

IV. *Quoad Ordines maiores et minores:*

a) Ut ordines minores restituantur (accommodati quidem circumstantiis hodiernis);

b) ut subdiaconatus et diaconatus administrentur catechistis laicis aetate, virtute, scientia, prudentia et religione eminentibus, etiam si sint matrimonio coniuncti, ita ut sacerdotibus auxilium ferre possint ad distribuendam S. Communionem, ad baptismum administrandum, ad contionandum, ad exsequias faciendas, ad prae-examen nuptiale instituendum etc.

V. *Quoad festum Paschae:*

Ut, si tempus sit maturum, determinetur dies stabilis (une date déterminée) pro festa Paschae.

VI. *Quoad Hebdomam Sanctam*:

a) Ut lectiones et etiam Passio Domini Nostri Iesu Christi tantum legantur in lingua vernacula;

b) ut cantum « Exsultet » abbrevietur et cantetur in lingua vernacula.

VII. *Quoad Indicem librorum prohibitorum*:

Ut prohibitio legendi ac retinendi libros prohibitos mitigetur eo sensu ut haec prohibitio abrogetur pro iis qui propter animi ingeniique cultum censeri possunt cognoscere debere aliquos inter libros istos.

VIII. *Quoad matrimonium:*

a) Ut cautiones pro matrimoniis mixtis mitigentur, ita ut pars acatholica non obligetur promittere ut proles baptizetur et catholice educetur;

b) ut processus matrimoniales pro dissolutione matrimonii rati et non consummati in ipso Vicariatu tractari et finiri possint.

Honorificum mihi est, Eminentissime Domine, haec supra dicta vota et proposita communicare omni cum sinceritate, sed etiam maxima cum humilitate Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, omnia fausta a Domino adprecans,

Eminentiae Vestrae in Xsto servus add.mus
mandatu Vicarii Apostolici de Makassar

F. VAN ROESSEL
Vicarius Delegatus

6

Exc.mi P. D. NICOLAI VERHOEVEN

Episcopi tit. Hermonthitani, Vicarii Ap. Manadoënsis (Manado)

Tomohon, 19 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris ab hac Pontificia Commissione Praeparatoria pro Concilio Oecumenico die 18 iunii 1959 Prot. N. 10/59 - 1818 datis, respondentes, opportunum ducimus debita cum reverentia ac modestia proponere et referre quae sequuntur vota:

DE LITURGICIS

De Sacrificio Missae:

Quo efficacius participatio actuosa fidelium in liturgia peragatur, optandum est ut in genere liturgia magis adhuc liberetur ab influxu et proprietatibus peculiaribus culturae occidentalis:

a) quoad liturgiam Missae rogatur ut Missa Catechumenorum a. v. usque ad Evangelium (Credo) inclusive in lingua vernacula dici liceat;

b) ut in Missa cantata liceat cantari in sermone populi Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei;

c) ut Missa diei dominicae etiam permittatur in diebus ferialibus sequentis hebdomadae in locis ubi ipsa die dominica missa celebrata non est;

d) ut pericopae retractentur et numero ac varietate augeantur.

De Breviario:

a) ut in recitatione breviarii (quod etiam valet pro Missa) annus ecclesiasticus seu proprium de tempore magis adhuc anteponatur, ita ut in festis sanctorum etiam in ritu duplici celebrandis ad libitum officium de tempore sumi possit;

b) ut plures lectiones secundi nocturni reformationi et purificationi subiciantur;

c) ut in genere in reformatione breviarii simplificatio attendatur;

d) ut pro psalterio inter psalmos delectus instituatur et nonnulli psalmi in breviario non resumantur.

De Episcopis

a) Ut vestimenta pontificalia ad formam simpliciorem redigantur et magis ad circumstantias climatologicas adaptentur;

b) ut detur Episcopis libertas ad nonnullas caeremonias pro circumstantiis simplificandas.

De Ordinibus

a) Ut duo ordines minores primi (ostiariatus et lectoratus) dari possint adiutoribus in cura animarum qui non sunt clerici;

b) admissio ad diaconatum eorum qui non sunt clerici nobis videtur nondum approbanda.

De cura animarum

a) Ut in data penuria operatorum in vinea Domini frequentiores adhibeantur religiosi, dum tamen iurisdictio Ordinarii in hos religiosos exemtis non exceptis, maior fiat, ut ita stabilitas curae animarum sat caveatur;

b) ut distributio efficacior industriae sacerdotalis per totam Ecclesiam intendatur;

c) ut ad salutem animarum melius procurandam processus matrimonales simplificentur;

d) ut pro usu privilegii Paulini in casu matrimonii inter partem non baptizatam et partem dubie baptizatam non iam requiratur recursus ad Sanctam Sedem in singulis casibus, sed ut decisio ipsi Ordinario relinquatur.

Quamvis ob confusionem coniunctionum postalium praefata vota

nonnisi tempore statuto longe praeterlapso mitti possint, tamen nobis visum est citata vota transmittere, sic petitioni respondentibus.

Dignetur Dominus praeparationes pro Concilio Oecumenico inceptas, divina Sua gratia fecundare et illustrare in bonum totius Ecclesiae.

Eminentiae Vestrae humilis servus in Christo
✠ NICOLAUS VERHOEVEN
Episcopus tit. Hermonthitanus
Vicarius Apostolicus Manadoënsis

7

EXC.MI P. D. ANTONII E. VAN DEN HURK

Episcopi tit. Phelbesiani, Vicarii Ap. Medanensis (Medan)

Medan, die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Grato animo litteras diei 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-1820 initio huius mensis accepi. Ante omnia gratias sinceras agimus pro oppurtunitate, quae nobis conceditur manifestandi « omni cum libertate et sinceritate », quae pastoralis sollicitudo atque zelus animarum nobis suggerant.

Hanc occasionem nactus, omni qua par est modestia, manifestare liceat, quae sequuntur:

1. *Quoad doctrinam*

Fructum amplissimum Ecclesia Catholica consecuta est ex editione « Catechismi Romani » pro parochis post Concilium Tridentinum.

Tempora nostra potius postulare videntur, ut doctrina christiana denuo omnibus hominibus bonae voluntatis praedicetur, methodo mentibus modernis accommodata. Ignorantia in religiosis est maxima, quae ni fallor, saltem ex parte, oritur ex eo quod catechismi nostri sunt nimis abstracti nec animos movent. Quapropter communis utilitatis causa videtur, si occasione Concilii Oecumenici in lucem ederetur novus catechismus, hominibus nostrae aetatis accommodatus, in quo positivo modo necnon attractivo modo sublimitas atque excellentia nostrae religionis atque Evangelii Christi ante oculos ponantur.

Tentamina in variis regionibus incoepta forsitan coordinare licet ut viribus unitis aliquis liber componatur pro tota familia catholica.

Cum ars typographica magnos progressus fecit, talis liber etiam sub respectu typographico mentes attrahat, oportet. Ubique terrarum, etiam in terris missionum, apud multos adest sincera voluntas Deum serviendi ideoque perutilis videtur huiusmodi liber in quo praestantia nostrae religionis clare et distincte ostendatur atque in quo concreta norma vivendi, spiritu evangelico repleta, exhibeatur modo quo cor delectatur et mens attrahitur.

2. *Quoad Liturgiam*

Tendentia renovandi liturgiam, quae manifestatur experimentis, quae non raro spiritu subiectivo et personali ducuntur, stabilitatem necnon sacram traditionem imminuere videntur. Huiusmodi tendentia non sine periculo esse apparet.

Altera ex parte cum gratitudine accepimus, quae ultimis hisce temporibus a Curia Romana renovata sunt tum quoad Breviarium tum quoad Missale Romanum. Speramus fore ut ulteriores emendationes tum in Breviario — lectiones — tum in Missali — epistolae et evangelia — in praxim deducantur quam primum.

Cura et sollicitudo pastoralis exigit ut christifideles edoceantur ad actuosam participationem in actionibus liturgicis. Ex parte fidelium desiderium active participandi adest, sed non raro impedimur instructionibus, quae libertatem agendi nimis coarctent.

Quapropter ad promovendam actuosam participationem in actionibus liturgicis utile mihi videtur, si concederetur Ordinariis facultas, qua possint in praxim deducere ea, quae alibi iam per Curiam Romanam, omnibus mature perpensis, sunt concessa, quin unusquisque cum magna perditione temporis per longam et difficilem viam huiusmodi concessiones obtinere cogatur.

Ut animi sensus clarius exprimatur quaedam exempla concreta proponere licet.

a) Methodus quae in Germania et Austria adhibetur ad promovendam actuosam participationem per sic dictam « Deutsche Sangmesse », etiam pro quibusdam missionibus concessa est. Talis modus participandi S. Sacrificium Missae etiam pro nostra regione esset utilissima. Attamen hucusque requiritur specialis licentia, quae pro unoquoque casu est impetranda.

b) Pro nostra Missione esset utilissimum si haberetur facultas cantandi Passionem Domini in lingua vernacula cum melodia gregoriana, sed cum hoc non liceat occasio actuosae participationis perditur.

c) Usus linguae vulgaris in administratione sacramentorum certis sub conditionibus concedebatur. Sed proh dolor ipse ritus quorumdam sa-

cramentorum e. g. matrimonii et confirmationis est nimis simplex praesertim pro mente orientali.

In variis regionibus iam elaboratus est novus ritus. Utile esset si Ordinariis possit concedi facultas qua ipsi ex approbatis ritibus eligere possint quin ab ovo novus ritus elaborari debeant. Hoc maxime valet pro terris missionum ubi periti in re rarissime inveniuntur et propter inopiam sacerdotum labores abundant.

3. *Quoad Rem Canonicam*

Valde desideratur nova editio Codicis Iuris Canonici, quae continet omnia quae in decursu annorum declarata sunt et in quo, quantum fieri possit, dubia actualia definitivam formulam acciperent.

Si quaedam concreta proponere liceat en desideria nostra:

a) Pro nostris regionibus, ubi inopia sacerdotum habetur et ubi plura itinera pedestria instituenda sunt, petitur facultas reducendi tempus ieiunii eucharistici tum pro sacerdotibus tum pro christifidelibus, praesertim pro Missis binatis.

b) In usu lintei sacri loco petrae sacrae maior libertas desideratur praesertim pro stationibus secundariis, ne onus missionariorum gravetur.

c) Sperandum est ut privilegia Pauli III, Pii V et Gregorii XIII circa dissolutionem matrimoniorum certis sub conditionibus clare definiantur in Codice Iuris Canonici.

d) Optandum esset pro nostris regionibus quod maiores facultates concederentur pro matrimoniis cum forma extraordinaria, etiamsi non omnes conditiones, quae in can. 1098, § 2, verificentur.

Non raro enim accidit quod missionarius, qui curam habet viginti vel plurium stationum, itinera indicata perficere nequit, quia vocatur ad assistentiam matrimoniorum. Hoc modo rara occasio, quae christifidelibus in dissitis locis habitantibus, dari potest recipiendi sacramenta, adhuc rarior fit.

Eminentissime Princeps, unica ratio movens pro istis petitionibus solummodo est sollicitudo pastoralis et bonum animarum. Hanc ob causam haec vota, debita cum reverentia et modestia ad pedes Paternitatis Tuae Eminentissimae proponere audeo.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui omnia fausta et ominosa imo ex corde in Domino exoptat

addictissimus in Chrosto
✠ A. H. van den Hurk, O. F. M. Cap.
Episcopus tit. Phelbesianus
Vicarius Apostolicus Medanensis

8

EXC.MI P. D. HERCULANI J. M. VAN DER BURGT

Episcopi tit. Abileni in Palaestina,
Vicarii Ap. Pontianakensis (Pontianak)

Pontianak, die 29 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Cum litterae Eminentiae Tuae diei 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-1844, nuper receptae sint in fine mensis augusti, impossibile erat responsiones nostras missas esse ante diem primam septembris. Attamen libenter volumus aliqua vota proponere, quae ut Eminentia Tua dixit in litteris supra dictis, omni cum libertate et sinceritate exprimere possumus.

Omnia sequentia proveniunt e corde sincero et desiderio puro ad serviendam Ecclesiam Christi et omni humilitate et sine ulla restrictione nos semper et ubique subditi sumus et obedire volumus in omnibus Ecclesiae Sanctae Uni et Verae, cui praeest Romanus Pontifex.

Si ergo adsint verba vel proposita quae non concordant cum sententia Sanctae Ecclesiae Romanae ut nulla consideranda sint.

Vota autem quae proponere volumus, sequentia sunt:

I. *Circa apparentiam universalitatis Ecclesiae*

Opinamur necessarium esse Ecclesiam Romanam animum attendere ad eas partes Ecclesiae, quae sita sunt extra Europam et Americam. Ecclesia, quae revera est universalis, debet prae se ferre *apparentiam* et *speciem universalitatis,* quae exprimi potest:

a) *Participatione* omnium gentium sufficienti numero in *institutis gubernii et consilii Ecclesiae,* constituendis non tantum considerando numerum catholicorum sed etiam momentum alicuius gentis quam catholici repraesentant. Necessarium est omnes gentes repraesentari in institutis centralibus Ecclesiae et quidem sufficienti modo.

b) *Admissione* et *educatione* sacerdotum (et laicorum?) idoneorum e terris extra Europam et Americam *pro servitio diplomatico* Ecclesiae, licet candidati accipiendi sint e religiosis.

c) *Aptatione cultus divini* moribus et circumstantiis vitae quae adsunt in territoriis extra Europam et Americam in quantum potest, observata autem sanctitate et veritate cultus divini.

Aptatio haec spectat ad vitam liturgicam, ad linguam adhibendam durante cultu divino et ad contenta orationis.

d) *Aptatione legislationis* circumstantiis eorum territoriorum, quae dicuntur supra sub *c*.

II. *Circa cooperationem omnium partium Ecclesiae inter se et cum Sancta Sede*

a) Cooperatio dioecesium (et Vicariatuum) promovenda sit ita ut ubique *efformentur provinciae Ecclesiae* maioris amplitudinis, quarum formatio fundanda est in rebus communibus (e. g. unitate gentis vel civitatis, aequalitate circumstantiarum etc.). Hac cooperatione nullo modo detrimentum afferatur iurisdictioni propriae cuiusque Ordinarii.

b) Efformetur *aliquod Concilium* cum voce deliberativa et consultiva ex eis qui eliguntur a provinciis ecclesiasticis easque repraesentant. Numerus sit centum vel plus ex omnibus regionibus et quoque quinto anno semel saltem congressus habeatur. Concilium hoc sit vox viva populi christiani totius orbis et medium optimum unitatis et concordantiae Ecclesiae universalis.

III. *Circa coniunctionem virium in Ecclesia sub directione centrali Sanctae Sedis*

a) Officium universale Ecclesiae quod complectitur totum orbem hisce temporibus exigit ut *auxilia sacerdotum, religiosorum* (et laicorum?) e variis nationibus et regionibus, semper in promptu sint ad nutum Regiminis Centralis Ecclesiae i. e. Sanctae Sedis.

Sancta Sedes ipsa possit — auditis respectivis moderatoribus — disponere his de auxiliis pro locis et operibus, quae necessarium habent eorum adiumentum.

b) In specie *S. Congregatio de Propaganda Fide* habeat aliquem numerum sacerdotum, religiosorum (et laicorum?) qui mitti possunt temporarie vel diuturne in loca sub auctoritate huius S. Congregationis posita, ubi necessarii sunt pro rebus Ecclesiae et ubi rogantur ab Ordinariis.

c) *Societates religiosae,* quae pluribus in gentibus et civitatibus sua habent membra et domus, intellegant suum officium universale et internationale et earum moderatores generales voluntatem et potestatem habeant mittendi religiosos (-as) suos (-as) ubique terrarum ubi necessitas Ecclesiae urget.

d) Ut coniunctio et directio centralis efficienter elaboretur, *efformetur concilium inter instituta religiosa* (et laicorum?) cum S. Congr. de Prop. Fidei ea intentione ut res communes deliberentur et opera missionalia efficienter gerantur.

Haec vota, Eminentia Tua, quae sunt generalia sed me opinante maximi momenti in organisatione et expansione Ecclesiae, reverentia qua

par est proponere velim Pontificiae Commissioni pro Concilio Oecumenico, nulla intentione tantum proferendi aliquam novitatem sed desiderio sincero serviendi Ecclesiam Christi, quae unica his in temporibus salvare potest gentes e maximis calamitatibus.

Impensos animi sensus e corde profiteor Eminentiae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Excellentissimae addictissimus

✠ HERCULANUS J. M. VAN DER BURGT, O. F. M. CAP.
Episcopus tit. Abilenus in Palaestina
Vicarius Apostolicus Pontianakensis

9

EXC.MI P. D. GUILELMI SCHOEMAKER
Episcopi tit. Balburensis,
Vicarii Ap. Poervokertoënsis (Purwokerto)

Purwokerto, 20 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Magno cum gaudio, nuntium de Concilio Oecumenico celebrando, nuper accepimus.

De intiativo fructuoso Suae Sanctitatis, grato corde et animo, Deo Omnipotenti gratias agimus.

Litterae circulariae, ab Eminentia Tua mihi die dato 18 iunii 1959 intentae, et die 21 iulii via aerea ab Urbe expeditae, die 28 iulii 1959 ad me pervenerunt.

Cum omni igitur libertate et sinceritate, quaedam animadversiones suggestiones et vota, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, proponimus, sine quadam elaborata argumentatione, ut inde revelentur cogitationes, cuiusdam obscuri Vicarii-Pastoris, in partibus infidelium.

I. ANIMADVERSIONES GENERALES

1. *De numero participantium*

Post aliquam ulteriorem lucem et informationem haurimus ex auctoribus (D. T. C. et Schmidlin) de « Concilio Vaticano » tractantibus, ex eorum animadversionibus criticis concludimus quod numerus Patrum valde elevatus, obex exstat ad « actuosam et fructuosam participationem »

eorundem Patrum in ipso Consilio, quod iterum locum dat « quodam passivismo mentali ».

Ut in quodam Concilio Oecumenico, « Vox Ecclesiae Universalis » audiatur et insuper Regula Lerinensis actuetur « ... Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus ... », ut securus iudicet orbis terrarum, *quaedam* « Universalitas moralis » in *numero* adstantium expressa, necessarium omnino videtur.

Patet insuper, quod desiderium vere humanum « ut Patres *omnes* in rebus tractandis *omnibus,* sententiam suam viva voce dicant », impleri, onerosum et plane impossibile sit.

Si ad Concilium conveniunt: Sua Sanctitas et Curia Romana; omnes Cardinales et Nuntii; Patriarchae et Metropolitae; Archiepiscopi et Episcopi; Praelati nullius et Vicarii Apostolici, insuper et Superiores Generales Ordinum et Congregationum, numerus participantium massam *duorum milium* superabit, si et Episcopi mere titulares, numerus augetur ad *tria milia,* quod cum Theologiae et Iuris Doctoribus et aliis viris expertis, facile ad *tria* et *dimidia milia* evenerit.

Eheu, multitudo nimis immensa et intractabilis, quod facile venit ad « Multi, non multum ».

Suggestio:

Quaeritur: An « Universalitas moralis » in Concilio satis caveatur per « quamdam universalitatem *repraesentativam* » et non per « meram universalitatem numericam »?

Explicatur: Ut ipsum Concilium non usque in indefinitum protrahatur, ut et greges locales non pro longiori tempore hisce turbulentioribus temporibus una vice a suis Pastoribus spolientur, ut actuosa participatio Patrum curetur, proponitur ut *omnes* Patres vocentur et adsint, sed alternis vicibus et successive, ita ut semper adsit repraesentatio satis magna ex omnibus regionibus et provinciis ecclesiasticis (universalitas repraesentativa et mandata). Quod ad « Sessiones plenarias » Concilii *omnes* advocentur et adsint, sed sessiones illae usque ad finem remittantur. His omnibus semper, « salvo pleno iure et libertate Patrum » assistendi Concilio in persona et pro tota duratione actionum, pro sua prudentia.

Quae omnia ita proposita cum Iure Canonico vigenti componere impossibile non videtur:

a) Si « Conspectus Rerum Agendarum » futuro in Concilio tractandarum, a Commissione Praeparatoria in Urbe sit elaboratus et a Sua Sanctitate sancitus (*C.I.C.,* can. 222, § 2), conspectus iste mittatur ad Patres *omnes.*

In sic dictis « Conferentiis Episcoporum », quae fere ubique tum in

terris « iuris communis » quam in « terris missionum » locum habent, Patres deinde inter se conveniant, per diversas circumscriptiones ecclesiasticas ut de istis rebus inter se conveniant, sub ductu Nuntiorum.

b) Singulae conventiones deinde eligant inter se « certum numerum » delegatorum (*C.I.C.*, can. 224, § 1), qui numerus numquam minus sit quam « tertia pars » Patrum ex qualibet regione ecclesiastica-natione, Procuratores isti, eligantur qui sunt magis qualificati et interessati in certis rebus in « Agenda Concilii » tractandis pro tempore.

Eligantur « tres coetus procuratorum » regionis, qui, successive, ad Concilium pergant, primo coetu redeunte, cum approbatione Praesidis Concilii (*C.I.C.*, can. 225).

c) Acta Concilii semper ad omnes Patres mittantur, qui si non « in persona » adsunt votum suum deliberativum (Placet, Non placet, Placet secundum modum) *scriptis* ad Praesidem Concilii mittant, cum certo limite temporis, vel per procuratores regionis (est praeter ius).

« *Sessiones plenariae* », in quibus definitiones et decreta feruntur, usque « ad finem » Concilii remittantur; ad eas *omnes* Patres convocentur et convenire debeant, pro posse, ut Acta subscribant et vota ferant.

Conclusio:

Ita fit, quod greges non pro longiori tempore a Pastoribus priventur hisce turbulentioribus temporibus; quod *omnes* Patres quamquam « successive ad Urbem progrediantur et activo modo participare possint; *quod* « morali universalitati » locali et personali satis provideatur; *quod* « definitiones et decreta in rebus fidei et morum » ab omnibus suffragentur et subscribantur; *quod* quaestio hospitii et pecuniarum diminuatur; *quod* vere actuosa participatio Patrum facilitetur; *quod* numerus adstantium reducatur ad « multitudinem tractabilem » (Concilium Vaticanum: Patres praesentes circiter 700 super 1044 ius habentes).

2. *De « actuosa participatione » Patrum*

Si numerus participantium sit tractabilis usque ad mille et dimidium, extra « sessiones plenarias » quaedam effectivitas in rebus agendis possibilis videtur.

Et ipsi Patres praesentes, ut « Vox Ecclesiae Universalis », cum omni debita reverentia et obedientia sed et cum « omni veritate in caritate », opiniones et sententias de necessitatibus huius temporis pro diversitate regionum et populorum ipsius Ecclesiae universalis, inter se explanare, discutere et intermiscere possunt.

Ita fiat, ut sub ductu Spiritus Sancti et in unione cum Petri Cathedra, ex diversitate opinionum et sententiarum, magis elucebit vera « Unitas in essentialibus » cum quadam « diversitate in accidentalibus », in et super omnibus autem « vinculum perfectionis, quod est caritas fraterna Gregis Christi ». Quod faxit Deus.

Quamquam Ecclesia Catholica, per tractum duorum milium annorum, sibi acquisivit « stylum vitae proprium » utpote « ecclesia institutionalis » et plene digna sit ut sua propria via « inter gentes » progrediatur, attamen homo-modernus sibi expostulat, ut in contingentibus rebus ipsa Ecclesia veluti Matrem fidelium se ostendat accommodatam ad circumstantias contingentes « pro tempore ». Idque magis cum istis temporibus revera Mater Ecclesia exstat « Signum inter gentes, in quem gentes sperabunt ». Inde a Concilio a multis exspectatur, quaedam sapiens prolixitas ad accomodationem et decentralisationem in accidentalibus, ut Patres secundum Christi verbum (*Matth.* 9, 17). « ... neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres et vinum effunditur et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur ... ».

Ceterum puto: quod quaedam « informalitas et libertas » in disputationibus et explanationibus, praesertim in sic dictis « sectionibus operatricibus », valde proderunt tranquillitati mentis Patrum, et *non* nocebunt filiali oboedientiae; quod in finem et progressivi et conservativi inter Patres, revera convenient in aliquem compromissum « viae mediae ».

Ceterum puto: quod magno cum fructu, quidam modus operandi a Congressibus Internationalibus Civilibus appropriari possint Concilio Supernationali Ecclesiastico isto, utpote creando « Sectiones operatrices » cum divisione functionum et obligationum inter plures, cum apparatu technico, etc.

Ceterum puto: quod si Mater Ecclesia sibi vult attrahere « Oves Christi, quae adhuc extra ovilem degunt » et insuper gentes et populos et nationes *non* Christianas, toto in orbe terrarum, cum cultura sibimetipsis propria, quod deinde *non* inde a principio instare debemus quadam « *uniformitate* praefabricata », *in* omnibus, *ab* omnibus et *ubique* acceptanda, sed quod « redeuntes ad fontes » revelationis christianae *recogitare* debemus cum « Fide quaerente intellectum » possibilitates praxis christianae cum conscientia « evolutionis homogeneae » in ulteriore comprehensione dogmatum viarum vitae quotidianae, rituum etc.

Ita ut de novo, sicut in primo festo Pentecostes: « ... Stupebant *omnes* et mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt, et quomodo *nos* audivimus unusquisque *linguam nostram*

in qua nati sumus? ... Iudaei quoque et proselyti, Cretes et Arabes, audivimus eos loquentes *nostris linguis* magnalia Dei ... ».

Ut et *nunc* de novo Orbis terrarum mirabitur, quod maioritas Patrum quamquam homines nati in orbe Occidentali, et cum traditione ecclesiastica Romana, nequaquam ita sunt revera « Catholici » quod *omnes* gentes et nunc audient « *suis linguis* in qua nati sunt, Magnalia Dei ».

Suggestiones:

a) Patres omnes participantes, in quantum possibile vel utile, activentur in « Sectionibus operatricibus », pro tempore participationis « modo successivo ».

b) Compositio cuiusdam Sectionis, ita ordinetur, ut « Universalitas Localis » quam maxime habeatur. Verbi gratia: ut in quadam Sectione adsint Patres ex Regione: Americae Septentrionalis; Americae Meridionalis et Centralis (Hispanidad); Europae et Australiae; Africae Septentrionalis et Proximi Orientis; Africae Meridionalis et Centralis; Asiae Septentrionalis; Asiae Meridionalis et Oceaniae insularum.

c) Sectiones operatrices sint « per Themata » sicut in Vaticano. Si v. g. sectiones sunt ad 10, et si per ternam adsunt circiter 1000-1500 Patres et periti viri, quaelibet Sectio (cum suis *sub*-sectionibus) haberet 100-150 membra, quod exstat « Senatus aptus ad deliberandum ».

Quaestiones tractandae sumantur, non modo « Summae alicuius vel Tractatus » sed singulatim pro necessitate actuali, systematizationem relinquentes doctis theologis post ipsum Concilium. Et si ita fit, extant multae et urgentes res, a Patribus deliberandis.

d) Cum non pauci Patrum degunt « post velum ferreum » et adstare nequeunt, pro tempore proponimus regula suffragii « praeter sed non contra Ius » per « Litteras qualificatas cum certo temporis limite ». Quod ita fieri potest: Si secundum « Conspectum Rerum Agendarum » officialem, Patres sectionum suggestiones, directiva ad definiendum, decretandum, anathematizandum Patribus Concilii proponenda habent, ea ad suffragium ferantur in « quadam Sessione *Prae*-Plenaria », in qua tantum ii qui « *actu* adsunt » suffragium-deliberativum habent. Suffragium istud nondum habeatur ut definitivum, sed cum Actis et eventu suffragii *Prae*-plenariae ad *omnes* Patres missum sit et intra limitem sex mensium, suffragium Patrum (qui antea scriptis « mentem adeundi » protestati sunt) ad Praesidem Concilii mittatur. Ita ante suffragium definitivum in Sessiones plenarias ad finem Concilii, mens Patrum Praesidi iam notificata est. Valor suffragii istius erit mere « consultivum ».

e) Patres *omnes* obligentur adstare ad « Sessiones Plenarias » circa

finem Concilii, ad definiendum quae definienda sunt, et ad subscribendum Actis.

3. *De rebus in Concilio tractandis*

Non ad instructionem Commissionis, sed magis ad illustrandam et defendendam suggestionem nostram de « repraesentatione successiva », utpote practicabili, de hac materia aliquid addimus.

Plane impossibile est, in aliquo Concilio, *omnes* tractare quaestiones et res veri et magni momenti. Melius esset si Concilia Oecumenica non tam pauca et cum magno spatio temporis convocerentur, sed saepius, cum quodam certo intervallo (v. g. 50 annorum).

Idem valde optimisticum esset cogitare quod Patres omnes, eodem modo versati sint in tantis diversis quaestionibus, pluries plane ab eorumdem pastorali cura quotidiana alienis. Cui bonum ergo, mere assistentia passiva, per totum tractum temporis?

Melius ergo nobis videtur quod Patribus detur quaedam electionis facultas, assistendi in persona iis quaestionibus, quibus revera aliquo modo interessati sunt.

Exempli gratia exemplar Rerum agendarum, per sectiones divisarum et ad tres turmae Patrum concreditarum, excogitavimus:

TURMA PATRUM PRIMA

Sectio I – *De Rebus Fidei*

Subsectio A: de Sacra Scriptura; Hermeneutica (Textus purus; Vulgata).

Subsectio B: de Historia Patristica et Ecclesiastica.

Subsectio C: de Theologia Dogmatica.

Subsectio D: de Theologia Kerygmatica et de Catechesi ad populum.

Sectio II – *De Rebus Morum*

Subsectio A: de Ethica naturali et de Humanismo christiano.

Subsectio B: de Moralitate evangelica.

Subsectio C: de re Pastorali ecclesiastica.

Subsectio D: de re Ascetica et Mystica.

Sectio III – *De Ecclesia Institutionali*

Subsectio A: de renovatione Iuris Canonici. De Iure Missionis.

Subsectio B: de Episcopis; de Clero dioecesano et religioso.

Subsectio C: de Laicis fidelibus in Ecclesia.

Subsectio D: de Disciplina Ecclesiastica.

Turma prima concluditur cum « Sessione Prae-*plenaria », cum suffragiis Patrum adsistentium.*

Turma Patrum secunda

Sectio IV – *De Cultu Divino*

Subsectio A: de Liturgiae renovatione; de lingua vernacula, sacrali.

Subsectio B: de renovatione in Pontificale et Rituale Romano.

Subsectio C: de renovatione Breviarii Romani.

Subsectio D: de Missale Romano et de computatione temporis Iuliana.

Sectio V – *De perfectione christiana*

Subsectio A: de Religiosis.

Subsectio B: de Institutis laicalibus.

Subsectio C: de Idea educationis in spiritu Evangelico.

Subsectio D: de Idea apostolatus laicalis.

Sectio VI – *De Ecclesia testificante*

Subsectio A: de Testimonio ad Reformationem, Orthodoxiam.

Subsectio B: de Testimonio ad Gentes, Nationes.

Subsectio C: de Missionibus; Regiones dependentes a S. Congregatione de Propaganda Fide.

Subsectio D: de modis modernis Fidei Propagationis.

Turma secunda concluditur cum « Sessione Prae-*plenaria » cum suffragiis Patrum adsistentium.*

Turma Patrum tertia

Sectio VII – *De iustitia sociali in mundo*

Subsectio A: de Principiis iustitiae, caritatis, iuris proprietatis.

Subsectio B: de *bono communi* regionali, mondiali et de dominio alto Civilis Regiminis.

Subsectio C: de conditionibus Pacis inter gentes, et de iusta distributione bonorum terrestrium.

Subsectio D: de Bonis Ecclesiasticis, et de administratione rerum oeconomicarum.

Sectio VIII – *De Actione Catholica*

Subsectio A: de definitione terminorum, et campi actionis.

Subsectio B: de consecratione mundi, per christianismum positivum.

Subsectio C: de cooperatione laicorum cum Hierarchia; Paroecia.

Subsectio D: de « Spiritu Militis Christiani »; « Religio factis historicis bene fundata; Spiritu Evangelico inspirata; Ecclesiastice disciplinata in unum ».

Sectio IX – *De relationibus Ecclesiae Christi cum mundo hodierno*

Subsectio A: de relatione Ecclesiae et Status; Concordati.

Subsectio B: de cooperatione Ecclesiae cum institutis Internationalibus.

Subsectio C: de noxiis ideologicis: Communismus; Liberalismus, Nationalismus extremus; Existentialismus atheisticus.

Subsectio D: de deviationibus moralibus pro tempore: Neo-Malthusianismus; Materialismus in artibus et stylo vitae. De bello atomico.

Sectio Extra – Conciliaria: *De unitate in Christo credentium*

Subsectio A: colloquium doctum cum Orthodoxis et Anglicanis.

Subsectio B: colloquium doctum cum Lutheranis.

Subsectio C: colloquium doctum cum Presbyterianis, non-conformistis.

Subsectio D: de praeparatione « Viae Pacis ».

Tertia Turma concluditur cum « Sessione Prae-*plenaria » cum suffragiis Patrum adsistentium.*

Omnibus peractis, omnes Patres qui inde ab initio « mentem adeundi » expresserunt, convocantur et progreditur ad « Sessiones Plenarias » ad definiendum quae definienda, decretanda, anathematizanda sunt.

4. *De fructuositate Concilii Oecumenici*

Ut consilia, vota et decreta Patrum, a Sua Sanctitate approbata revera influxum durabilem et fructuosum post Concilium exercere possint, stabilem quandam diligentiam executionis post Concilium peractum, omnino desiderabile esset, quod insuper unitatem et contactum fundamentalem in Ecclesia universali promoveret.

Postquam in Concilio Vaticano, Infallibilitas Romani Pontificis in rebus fidei et morum sollemniter proclamata est, et inde influxus centralis organi gubernationis in Ecclesia Institutionali satis fundatus, *istis*

temporibus optabile videtur ut « Functio et importantia » Episcopi et Ecclesiae *localis* maiorem vim habeat, quamquam in nova relatione cooperationis regionalis, nationalis et mundialis.

Id non paucum adiuvabit restaurationem unitatis cum Orthodoxis et Reformatis, qui ut ecclesiae « autocephales et nationales » initium ceperunt in schismate.

Opinamur igitur, quod « *quaedam* » decentralisatio in « accidentalibus » multum proderit; quae autem subsistentia dioecesana, regionalis, nationalis ad unitatem (non ideo uniformitatem) actionis, contrabilancetur a quadam intensiore inter-communione (cooperatione) sub ductu Nuntiorum.

Suggestiones:

a) Ut frequentior et stabilis *cooperatio* inter Ordinarios-loci alicuius regionis, nationis, continentis instituatur, de rebus *inter*-Dioecesanis, ita ut sub ductu cuiusdam Corporis Episcopalis res momenti *inter*-Dioecesani vel Regionali, Nationali, pro bono communi *totius* regionis, nationis administrari possint. Id cum fundamento in Iure Canonico.

b) *Ut per statuta tempora,* v. g. per singulos 10 annos, sic dictae « Conferentiae Episcoporum Inter-nationales; Continentales » instituantur, in quibus Ordinariorum Locorum praecipui, delegati, vel saltem membra Consiliorum Nationalium convenirent sub ductu Legati Romani. *Ita* ut regiones, nationes, qui pro circumstantiis culturae, nationis, linguae, rerum politicarum magis inter se congruunt, servata sempre Unitate in rebus fidei et morum, et in concordantia cum Petri Cathedra sibi eligere valeant vias pastorales circumstantiis populorum accommodatas (*suis* linguis ...).

Exempli gratia: Status Foederati Americae Septentrionalis et Canada; America Meridionalis et Centralis (Hispanidad); Africa Septentrionalis et Medius Oriens; Africa Meridionalis et Centralis; Asia Septentrionalis; Asia Meridionalis et Oceaniae Insulae.

c) Ut idem per statuta tempora, v. g. per singulos 25 annos circiter, instituatur « Conferentia Mundialis Episcoporum », aut in Ipsa Urbe aut in quodam Centro Catholicitatis, sub ductu Legati Pontificis, in qua Delegati Electi et mandati ab omnibus regionibus inter se conferrent de Bono Communi Ecclesiae.

d) Ut denuo ipsa « Concilia Oecumenica » non nimis rara, sed saltem semel aut bis in saeculo instituantur, ad confirmandam « rationem unitatis » in diversitate accidentali.

e) Ut ad fovendum « contactum vivum inter Patres et Corpus Ecclesiae » Lingua Latina classica modernizetur tum in grammaticis quam

in verbis, ut de novo existat « Koinè » aut lingua internationalis viva, valde simplex et popularis, ad intercommunicationem tuendam.

II. Animadversiones speciales

1. S. Scriptura: Textus fundamentalis, acceptetur *cum* Vulgata.

2. *Dogma*: Tractetur de Corpore Christi Mystico, de Episcopo, de Presbyteratu, de Laicis.

3. Kerygmatica: Praedicatio sit « Verbum Vitae », non ars rethorica. Catechesis sit accommodata statibus vitae, ad captum audientium.

4. Ethica sit fundamentum integratum Humanismi christiani.

Moralitas sit magis inspirata doctrinis Evangelii, quam casuistica.

Pastoralis sit motivata principiis Novi Testamenti.

Ascesis non tam exercitiis, quam obligationibus status inita.

5. Ius Missionis ordinetur (cf. Paventi ...).

6. *Functio Episcopalis* evolvatur (Directorium Episcoporum).

Clerus dioecesanus et religiosi inter se cooperent, cum divisione iurium et obligationum coram Ordinario Loci.

Laici mobilitentur ut « Testes Christi », executivi Ecclesiae mentis in rebus huius saeculi, actuose cooperantes in Cultu.

7. Cultus Liturgicus renovetur. Lingua vernacula adhibeatur in quantum « ad populum », lingua sacralis in quantum « ad Deum ».

8. Educatio christiana fundetur Idea « quod sumus Filii Dei ».

9. Testimonium Catholicitatis ad Reformationem, Orthodoxiam, Gentes sit « positiva testificatio » quomodo Evangelium exstat « Via, Veritas et Vita » renovans faciem terrae.

10. Ius proprietatis est fundamentale, sed limitatum exigentiis Boni Communis (non absolute: « Salus populi, suprema lex esto... »).

11. Conditiones pacis: Iusta divisio bonorum terrestrium, cum aequitate; Humanitas caritativa. Bona voluntas ex gratia Dei.

12. Colloquium cum Reformatis, schismaticis multum valeret ad initiandam viam pacis. Sed his in circumstantiis effectum directum nondum est sperandum.

Sint satis, ad revelationem cogitationum, humanus sum cum Erasmo, Gregorio a Deventer et auctore Imitationis. Spero quod spiritus Concilii sit « positivus » cum Paulo discens et docens « quod malum vincetur *in bono* ». De cetero: « In necessariis *unitas,* in dubiis *libertas,* in omnibus *caritas* ».

Eminentiae Vestrae humillimus
✠ Guilelmus Schoemaker
Episcopus tit. Balburensis
Vicarius Ap. Poervokertoënsis

10

EXC.MI P. D. GUILELMI VAN BEKKUM

Episcopi tit. Tigiensis, Vicarii Ap. Rutegensis (Ruteng)

Ruteng, die 20 maii 1960

Eminentia Reverendissima,

Gratias ago Eminentiae Tuae Reverendissimae pro invitatione honorifica, litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1859, mihi data, ut proponam consilia et vota Concilium Oecumenicum proximum respicientia.

Velit Eminentia Tua Reverendissima me excusatum habere quod tam sero huic invitationi respondeo.

Ratio huius dilationis erant partes mihi tributae in praeparandis votis Concilii, tum Conferentiae Ordinariorum insularum Sundae minorum, habendae mense martio 1960, tum Conferentiae omnium Indonesiae Ordniariorum, habendae mense maio 1960.

Omnia mea vota personalia locum obtinuerunt partim in serie votorum prioris, partim in serie posterioris Conferentiae. Insuper accedo ad omnia reliqua vota utriusque Conferentiae.

Intimos reverentiae sensus Eminentiae Tuae profiteor, et Dei benedictionem in laborem Tibi incumbentem adprecor,

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mus

✠ GUILELMUS VAN BEKKUM, S.V.D.
Episcopus tit. Tigiensis
Vicarius Ap. Rutengensis

11

Exc.mi P. D. ALBERTI SOEGIJAPRANATA

Episcopi tit. Danabeni, Vicarii Ap. Semarangensis (Semarang)

Semarang, 19 octobris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Obsequendo desiderio Summi Pontificis Ioannis XIII fel. regn., nobis expresso in litteris ab Eminentia Vestra nobis datis die 18 iunii 1959 sub numero 1 C/59-1869, hisce annexas responsiones nostras humiliter Eminentiae Vestrae tradimus.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humilis in Christo servus
✠ Albertus Soegijapranata
Vicarius Ap. Semarangensis

I. *De Doctrina Christiana*

1. *Quoad tractatum de Ecclesia.*

a) Ut Ecclesia Christi lucide proponatur tamquam socialis organizatio gratiarum; communicatio mysteriorum Dei; societas supernaturalis perfecta, ratione universalitatis sive catholicitatis suae supranationalis, a Christo Redemptore condita, eiusque plenitudine potestatis in caelis et in terra praedita; destinata ad vitam hominibus tradendam, eamque conservandam, custodiendam, nutriendam, sanandam et reddendam atque colendam; docendo veritates revelatas, proponendo leges naturales et positivas, distribuendo sacramenta et offerendo Sacrificium Novi Testamenti: educando et ducendo homines humano modo et intrinseco et extrinseco, spiritu veritatis et caritatis inspirante, ad obtinendum finem suum supernaturalem.

b) Ut emphasis detur duobus aspectibus Ecclesiae: scilicet Ecclesia ut societas salutis vel communio Sanctorum, cuius realitas consistit in sanctificatione membrorum, quae Deo semper adhaerent. Quae realitas non limitatur hac in terra sed in aeternum manet licet perceptionem nostram superat. Proin Ecclesia ut societas hierarchica hac in terra ideoque temporalis, quae est medium debitum et aptissimum ad sanctificandos homines in Ecclesia congregatos.

Est igitur sanctum signum vel sacramentum, quod communionem Sanctorum significat et perficit.

c) Praesertim ut emphasis detur realitati Ecclesiae ut Corpus Christi mysticum.

d) Quibus propositis speratur fore ut mentalitas rationalistica, naturalistica et materialistica de Ecclesia deque activitatibus operibusque Ecclesiae ruatur. Dein ut vita spiritualis et religiosa liberetur ab individualismo quodam et ab egoismo. Proin ut ad obtinendam beatitudinem aeternam atque supernaturalem homines progredi debeant, non in turmis diversis separati sed uniti in unitatem apertam et indiffusam, ita ut quispiam conscius et liber tamen una cum proximis suis in coelum veniat. Etiam ut Ecclesiae, quae semper et ubique proponit et defendit libertatem, aequalitatem, fraternitatemque omnis humani generis ratione originis, naturae et finis ultimi, de facto congregare conetur omnes gentes in unitate corporis Christi mystici et hoc faciendo propugnet pacem Christi in regno Christi contra contentionem inter classes propagandam.

Speratur quoque fore, ut per influxum Ecclesiae, qui omnes populos cum suis diversis culturis in unione supernaturali et supranationali valeat unire, sensim sine sensu discriminatio inter gentes et hostes hic et illic existens sublevari, et tendentia nationalismi exaggerati ad nationalizandam Ecclesiam Catholicam praeveniri possit.

2. *Quoad dogmata.* Theologia enim veritates a Deo revelatas non solum amplectitur sed eas modo scientifico investigat, verbum Dei analysi subicit, ut tota eius amplitudo disertius innotescat, simul conferendo varia scripturae loca, quae de eadem re disserunt, Patrumque commentariis et Ecclesiae definitionibus utendo, ad clariorem Verbi divini intelligentiam consequendam. Insuper ex veritatibus revelatis alias conclusiones, ope alterius principii sive revelati, sive etiam ratione cogniti, deducit. Postea tum principia et facta revelata, tunc conclusiones ex eisdem deductas, logico coordinat ordine, ita ut veram scientiam efformat.

Talis theologia, ni fallor, est generatim scientia et sapientia, quae tantummodo possessionem exhibet membrorum Ecclesiae electorum, nempe clericorum et nonnullorum laicorum. Cetera Ecclesiae membra eadem magna ex parte carent.

Tamen Christi fideles his temporibus in toto corde terrarum diffusi inter homines varietatis religionis varietatisque animi iudiciorum viventes, theologiam quoque necessariam habent, totam et integram sed temporaneam et sibi-accomodatam, vivificantem, positivam, dynamicam, syntheticam, lucide et breve propositam, ita ut omnes Christi fideles totius mundi unam eamdemque opinionem, lucidam, certam theologice bene fundatam habeant de homine sive individuali sive sociali, deque

universo materiali, de eorum relatione cum Deo, denique de Ipso Deo. Talis theologia, ut mihi videtur, est fidelibus necessaria, quae intellectum et voluntatem inflammare potest ad vitam degendam veritatibus revelatis ab Ecclesia propositis consonantem, sive ruralem, opificialem sive familiarem et socialem. Quodcumque enim problema vitae humanae est, ut opinor, in ultimo termino problema de ipso homine. Quo in casu fides theologice bene fundata, sufficienter viva et satis exculta magni est facienda in solvendis multifariis quaestionibus.

His praesertim temporibus dum de facto potestas tenebrarum, rationalistarum nempe et liberalistarum, materialistarum quoque et atheistarum, super mundum internationalem extrinsice excultum regnat atque imperat docendo et iudicando de opinione communi, de sensu usitato, de moralitate usu recepta, propagando regnum technicum, regnum pecuniae, iucunditatis, voluptatis, utendo mediis intellectualiter perversis et materialiter valde aptis modernisque, abutendo flebilitatibus debilitatibusque naturae humanae, Christi fideles, qui magis magisque sibi consciunt de officiis suis ad propugnandum regnum Dei, quod est regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustiae, amoris et pacis, necessariam, ut mihi videtur, perspicuitatem doctrinae Christianae integrae, possideant, ita ut tranquillitate certitudinis gaudentes seque animo principia fidei et moralitatis spontanee exerceant in peragenda vita sua quotidiana cum omnibus circumstantiis.

Quam ob rem Christi fidelibus omnibus, unicuique secundum dotes ac gratias suas internas sive externas clare et distincte notescere debent:

a) Quae sunt dogmata ab Ecclesia proposita et ab omnibus fidelibus credenda.

b) Quae sunt principia ad illa dogmata respicientia. Quomodo lucide demonstrantur ex scripturarum locis et ex traditione.

(*N. B.* — Analphabetismus scripturalis et historicus ecclesiasticus strenue impugnandus est).

c) Quae sunt conclusiones ex dogmatibus propositis fide tenendae.

d) Quae sunt quaestiones disputandae his de rebus.

e) Ad inquietudinem tollendam vel saltem minuendam quae mentem perturbat, Patres Concilii iterum clare exponant, quae sint veritates et facta historica in scripturis revelata, quae fundamentum efformant dogmatum.

f) Ut iterum explicite declaretur, quid sit vita religionis et Status perfectionis, quare mortificatio, paenitentia, abnegatio necessaria sit ad absolvendam vitam catholicam perfectam. Multi Christi fideles men-

talitate moderna praediti horreunt a mortificatione, abnegatione et paenitentia.

Scopus non est, ut disputationibus finis imponatur, sed ut iisdem disputationibus firmum ac stabile fundamentum praebeatur.

V.g. doctrina de praesentia reali Christi in Sanctissimo Sacramento.

3. *Quoad tractatum de principiis socialibus* confer quod notatur in tractatu de Ecclesia.

Doctrina Christiana de quaestionibus socialibus, racialibus atque colonialibus ita proponatur, ut appareat canones his de rebus non esse aliquid adventitium, sed revera pertinere ad integritatem doctrinae christianae.

Discriminatio racialis, quae magnum scandalum est pro catholicis et non-catholicis coloratis, mihi videtur esse delenda.

De iure coloniali, an sit, quomodo acquiratur, quibus condicionibus exerceatur, nationes claram explicationem ab Ecclesia exoptant.

4. *In tractando de relationibus cum Christianis Pontifici Romano non subiectis* (praesertim Protestantibus) caveatur, ne indifferentismus subrepat. Homines etiam alius religionis adhibendi sunt cum tolerantia, benignitate caritateque, tamen doctrina eorum religionis aestimanda est secundum suum obiectivum valorem. Ne sympathia nostra erga errantes in casu religionis ita errores excuset, ut subiectivismo, relativismo et indifferentismo ratione religionis faveri videatur.

II. *De disciplina cleri et nonnullorum christianorum*

1. Curetur nova editio Codicis Iuris Canonici in qua

a) omnes mutationes et additiones assumantur,

b) habeatur aequilibrium inter generalia ab una parte et particularia ab altera parte, ita ut generalia pro unoquoque semper et ubique valeant, dum particularia pro diversis regionibus et statibus vitae variari possint.

2. Abrogentur impedimentta matrimonialia minoris gradus.

3. Censurae latae sententiae adaptentur necessitatibus hodiernis et minuantur.

4. Ius processuale simpliciori forma instituatur, ut partes non per menses aut annos decisionem expectare debeant.

5. Responsiones Commissionis Codicis, quae veram mutationem alicuius canonis includunt, enuntientur in forma alicuius canonis novi, non tantum psr formulationem « affirmative » aut « negative ».

6. Ius monialium tale sit, ut activitatem apostolicam exercere possint.

7. Caelibatus cleri omnino retineatur, sed curetur praeparatio ad caelibatum positive vivendum.

8. Officium divinum in Triduo sacro et pluribus festis abbrevietur. Immo optabile erit, si edatur breviarium pro curam animarum gerentibus.

9. Cum in regionibus missionum sacerdos saepe per unam et etiam per pluras horas S. Communionem distribuere debeat, rogatur, ut Ordinario loci detur facultas assignandi aliquem laicum (bonis moribus etc.), ut sacerdotem in distribuenda S. Communione adiuvet. Non ergo petitur, ut erigatur aliquod institutum diaconorum, qui non teneantur caelibatu.

10. Iis, qui in Missa vigiliae Paschalis S. Communionem recipiunt, concedatur facultas iterum recipiendi S. Communionem in Missa Matutina Paschali. Hoc speciatim petitur pro sacerdote, qui mane celebraturus in vigilia Paschali officio diaconi fungitur.

11. Stimuletur positiva evolutio usus linguae vernaculis in Sacra liturgia. Ita tamen, ut lingua Latina non abrogetur, sed potius aequilibrium sit inter linguam latinam et vernaculam.

12. Ut progressus populorum Africae et Asiae etiam in Ecclesia eluceat, repraesentatores horum populorum functiones occupent etiam in summis Hierarchiae gradibus, immo in collegium Cardinalium admittantur. (Conf. I ad 3).

✠ ALBERTUS SOEGIJAPRANATA
Episcopus tit. Danabenus, Vicarius Ap. Semarangensis

12

EXC.MI P. D. IOANNIS KLOOSTER

Episcopi tit. Germanicopolitani, Vicarii Ap. Surabaiensis (Surabaia)

Surabaja, 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Hisce litteris mihi liceat submittere quasdam animadversiones et vota in ordine ad praeparationem Concilii Oecumenici.

1. *Accrescentia populorum.*

Videtur exarandum esse a quibusdam medicis, economistis et moralistis quoddam propositum, quo succincte media positiva suppeditentur ad obviam eundum accrescentiae populorum. Quod propositum late divulgetur, ut possimus positive succerere, ubi necesse est.

2. *Pericopae in diebus Dominicis.*

Magna commutatio efficiatur in Pericopis:

a) augmentando, e.g. parabolam filii prodigi; locos faciles orationis Domini nostri ante eius passionem (*Io.* XVII); parabolam vitis (*Io.* XV).

b) eliminando generatim locos longiores ac difficiles, e. g. epistolam Sexagesimae et Dominicae IV in Quadragesima.

3. *Breviarium*:

a) Eliminentur officia longiora, ut officia Nativitatis Domini, Transfigurationis et lectiones Christi Regis;

b) Rubricae quam simplicissimae sint. Simplificationes recenter factae iam magni momenti sunt.

4. *Pontificale.*

Vestimenta pontificalia in liturgia reducantur et ritus induendi paramenta pontificalia abbrevientur et fiat antea in sacristia aut simplici modo ante primum gradum altaris. Color violaceus pro tibialibus abrogetur.

5. *Sacrificium S. Missae.*

Cum experientia constat scientiam linguae latinae semper numero restricto reservatam fuisse, lingua vernacula magis adhibeatur, ut Fideles active actioni liturgicae participare possint, utpote pro « Asperges me »; pro Epistola et Evangelio, immediate in lingua vernacula versus populum legendis; pro Orationibus deprecatoriis ad Offertorium cum venia S. Sedis introducendis.

Non est autem, cur lingua vernacula in omnibus partibus S. Missae adhibeatur, cum saepe in libris precum textui latino translatio iuxta posita est. Insuper usus linguae latinae in versiculis et responsis brevibus, ut ad Praefationem, quae omnibus cognitae sunt, characterem supranationalem Ecclesiae Christi bene demonstrat in Indonesia, quae multis linguis floret.

Initium Missae: Missa immediate ab Introitu incipiat, ut in Sabbato Sancto, et preces ante primum gradum altaris abrogentur.

Pericopae: Immediate in lingua vernacula versus populum legantur.

Offertorium: Permittatur, ut ad « Oremus » addantur orationes deprecatoriae, in modum litaniarum constructae, prout fuit antiqua oratio fidelium.

Accessioni fidelium ad offerendum faveatur.

Finis Missae: Missa finiatur benedictione celebrantis et ultimum evangelium omittatur, ut in hebdomada sacra fit.

Post Missam: Preces post Missam abrogentur et earum loco fiant Orationes deprecatoriae ad Offertorium.

6. *Rituale.*

Rituale, iam in linguam Indonesianam translatum in commodum Missionum in Indonesia, multos fructus afferre speratur, cum textus abhinc intellegi potest non solum a fidelibus astantibus sed etiam a magistratibus et aliis non-catholicis invitatis, qui solemnitatibus liturgicis, ut benedictioni scholarum etc., adsunt.

7. *Ius Missionale.*

Ut praecaveatur ansa contentionis, in quantum fieri potest, relatio inter Superiorem Missionis et Superiorem Religionis ulterius definiatur.

Quoad proventus.

a) Statuatur destinatio stipendiorum missarum fundatarum, iurium stolae, salariorum, pensionum etc. ad normam Canonis 1410 et communis opinionis probatorum auctorum.

b) Statuatur destinatio stipendiorum manualium, ad normam decisionum S. Congregationis de Propaganda Fide quoad Statuta Missionum Congregationum C. S. C. et M. S. C. (1925 et 1939), ita ut saltem *pars* stipendiorum ut supra adhibeatur sustentationi religiosorum, missioni addictorum.

Quoad remotionem missionarii religiosi.

Statuatur in loco missionarii religiosi, a Superiore Religionis removendi, alium missionarium religiosum praesentandum esse, in quantum fieri potest, utpote propugnatur a Masarei in « De missionum institutione ».

8. *Lingua in Concilio adhibenda.*

Adhibeantur linguae modernae, quae immediate transferantur, uti mos est in coetibus internationalibus.

Sperans animadversiones et vota ut supra quodammodo prodesse Commissioni Praeparatoriae me profiteor Eminentiae Tuae Illustrissimae et Reverendissimae

✠ IOANNES KLOOSTER
Episcopus tit. Germanicopolitanus
Vicarius Apostolicus Surabaiensis

13

Exc.mi P. D. IACOBI PESSERS
Episcopi tit. Candybensis

Halilulik, die 5 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteras, Prot. N. I C/59 - 2317, ab Eminentia Vestra iam missas die 18 iunii 1959 et quidem per postam aeream, nunc demum accepi.

Oportet me animum Eminentiae Vestrae advertere ad factum, quod his ultimis annis, res vehicularis in insulam istam et vice versa, fere semper valde retardatur, ita ut plerumque (sicut etiam hoc in casu) impossibile sit rescribere ante diem certam et debitam.

Quoad quaestionem propositam, quantum equidem iudicare possum, hic non habentur quaestiones speciales vel proposita aut vota, quae digna sint ut proponentur Concilio Oecumenico.

Haec autem ego privatim dico. Notum sit Eminentiae Vestrae, quod, valetudinis causa, iam deposui munus Vicarii Apostolici. Proinde effici potest, quod meus successor in munere, Rev.mus et Exc.mus D.nus Th. van den Tillaart, nunc Vicarius Apostolicus Atambuensis, in animo habeat proponendi quaestiones aliquas.

Quoniam Van den Tillaart hoc tempore iter est faciens non potui consilium commutare cum eo, quum importune videtur adhuc amplius retardare responsum meum.

Eminentiae Vestrae
humilis servus in Christo

✠ Iacobus Pessers
Episcopus tit. Candybensis

14

Exc.mi P. D. TARCISII E. I. VAN VALENBERG
Episcopi tit. Combensis

Eminentissime Domine,

Doleo vehementer et aegerrime fero me, tot mensibus serius, nunc demum ad litteras vestras die 18 iunii 1959 (I C/59 - 2372) datas rescribere posse.

Cuius retardationis causae sunt, quod Indonesiam, deinde in Europam missae erant.

Ob munera mihi demandata hunc ultimum annum ex parte fui in Indonesia, inter alia ad auxilium Internuntio Apostolico in erigenda hierarchia episcopali in Indonesia et ut adsim Congressui generali quinquennali Ordinariorum in Indonesia.

Invitationi Eminentiae Vestrae satisfacere cupiens, nunc autem qua par est reverentia responsum meum mittere mihi liceat.

Vota quae omni modestia, proponere volo potissimum spectant ad effigiem universalitatis Ecclesiae. Hoc fortasse facile intelligitur, si Eminentia Vestra scit, me, postquam per decennium tamquam lector et praeses in seminario minore versatus eram, per plus quam triginta annos in missione adlaboratum esse in munere superioris regularis et vicarii apostolici.

De universalitatis Ecclesiae effigie

Ecclesia, quae revera universalis est, imprimis hodiernis temporibus, hanc universalitatem vera et clara effigie exprimere debet.

a) *Adaptatione legislationis* ad condiciones regionum et nationum, religiose servata veritate et sanctitate.

b) *Adaptatione cultus divini,* servatis servandis, ad consuetudines locales.

c) *Participatione* omnium gentium numero sufficienti in institutis *gubernii et consilii* Ecclesiae, ratione habita non tantum numeri sed etiam momenti singulorum gentium et regionum.

d) Admissione et institutione sacerdotum (et laicorum) e terris extra Europam et Americam *pro servitio diplomatico* Ecclesiae, etiam si candidati e religiosis sumendi sunt.

e) *Convocatione,* saltem quinto quoque anno, *Sacri Collegii Cardinalium,* electorum ex omnibus Ecclesiae regionibus, ut hic Senatus Romano Pontifici re vera in regenda Ecclesia assistat.

f) *Regulatione,* si necessarium videtur nova, ita ut *societates religiosae,* quae pluribus in gentibus et nationibus sua habent membra et domus, haec membra mittere possint in omnes mundi partes. ubi Ecclesiae necessitas urget.

De Theologia dogmatica

1. *Constitutio dogmatica* de Ecclesia Christi, in qua conciliium Vaticanum primatum romani pontificis elaboravit, magnos et pretiosos fructus reddere non cessat. Similes fructus sperari possunt ex *Constitutione de Episcopo ut capite Ecclesiae localis.* Etenim Ecclesia localis

domum praebere debet culturis maxime inter se differentibus, ecclesiis christianis separatis, etc. In hac quaestione auctoritats episcopalis communicans cum episcopis Ecclesiae universalis, praesertim cum Sancta Sede et iis episcopis qui in eadem regione de iisdem curis se praeoccupant, maximi est momenti.

2. *Constitutio dogmatica de statu « laicali »* in Ecclesia catholica perutilis videtur. Laicorum est: ostendere quomodo cura pro valoribus terrestribus non per se finibus egoisticis (individuis seu socialibus) sed finibus caritatis servire potest. Hierarchia non supplere sed fovere munera laico specifica debet.

De Sacra Liturgia

Sacramenta

1. *Initiatio Christiana.*

Distinctio clara facienda sit inter ritum catechumenatus et ritum baptismalem.

Ritus catechumenatus adultorum per se semper administratione sacramenti baptismi disiungantur; ita ut, ubi institutum publicum catechumenatus existit (praesertim in Missionibus) ad modum antiqui catechumenatus in diversos gradus administretur, secus ritus catechumenatus aliquot dies ante baptismum conferuntur.

Ritus baptismalis adultorum de integro restauretur, forma Exorcismorum mutetur et eorum numerus diminuatur.

Ritus baptismalis parvulorum statui infantium adaptetur. Praesertim quoad primum dimidium notabiliter abbrevietur, quia infantes catechumenatu non indigent. Ubi possibile est, aliqua solemnitate publica circumdetur, quia ex natura rerum etiam ad communitatem paroecialem attinet recipendi novum membrum familiae. Ut arcta connectio baptismi cum Passione et Resurrectione Domini clare appareat, parvulorum baptismus diebus dominicis fiat, testibus christifidelibus. Quod attinet interpretationem « quam primum » Ordinarii locorum pro conditionibus localibus suo iudicio leges statuant. In ritu baptismali infantium parentibus suo iudicio leges statuant. In ritu baptismali infantium parentibus eorum possibilitas active participandi detur, quia hoc in casu ritus eis maioris momenti est quam patrinis.

Confirmatio in celebratione Missae integretur, et desideratur Missam propriam pro administratione huius sacramenti componi. Difficultas pastoralis circa aetatem subiecti huius sacramenti pro conditionibus localibus ab Ordinario solvatur.

2. *Celebratio Missae.*

Usus linguae vernaculae saltem pro partibus directe fidelibus destinatis concedatur (e. g. lectionibus, cantus, preces communes, etc.).

3. *Ordo.*

Investigatio facienda sit circa utilitatem renovandi status diaconalis. Animadvertendum est quod non in omnibus regionibus difficultates, possibilitates et urgentia pastoralis similes sunt, ita ut renovatio haec saltem illic fiat ubi sine periculo et cum maiore fructu pastorali introducenda apparet.

Desideratum generale

Ordinariis locorum comitatu de re liturgico-pastorali assistente plus quam antea facultas detur ritualium ceremonias conditionibus localibus adaptandi; ritus secundarios in celebratione Missae indoli populi accomodandi et fines usus linguae vernaculae statuendi.

De Iure Canonico

1. Maxime desideratur, ut impedimenta matrimonialia *ecclesiastica* impedimentis iure civili constitutis inquantum possibile convenirent. Hac de re numerus et extensio impedimentorum ubique terrarum obligantium restringenda sint, et Ordinariis locorum alicuius regionis aut nationis facultas detur pro suis territoriis impedimenta constituendi super quibus ipsi dispensare possint.

2. Facultates Quinquennales omnibus Ordinariis locorum concessae atque Facultates Apostolicae pro missionariis saltem magna pro parte in ius commune inserantur.

3. Ei, qui de errore sive in re fidei sive in re morum suspectus auctoritati ecclesiasticae denuntiatur, possibilitas sese defendendi tribuatur auxilio advocati non excluso.

4. Ius poenale Codicis speciatim quoad censuras simplificandum videtur, et censurae, quae numquam applicari solent, derogandae sint.

5. Normae Codicis quibus libri ut prohibiti indicantur (can. 1399) hodierno tempori adaptandae ac clariori modo conficiendae sint, ita ut facilius applicari possint.

6. Omnes aliquo beneficio aut munere pastorali in Ecclesia fungentes qui determinata aetate provecti sunt Ordinario suo renuntiationem faciant, ita ut Ordinarius facilius eos amovere possit, si suo iudicio bonum animarum id postularet.

De Iure Ecclesiastico

1. Participatio vere internationalis in omnibus institutis gubernii et consilii Ecclesiae.

2. Congregatio ecclesiastica pro opere oecumenico, sicut exstat congregatio pro Ecclesia orientali et pro Propaganda Fide, ut ipsa Ecclesia Catholica meliorem atque intimiorem contactum habeat cum Ecclesiis christianis non-catholicis, e. g. relate ad Consilium mundiale Ecclesiarum.

3. Maior cooperatio inter Ecclesiam docentem et discentem ope cuiusdam instituti informationis seu consilii, secundum principium in Ecclesia saeculare: quod omnes tangit, ab omnibus probari debet (cf. *C.I.C.,* can. 101, 2). Et quidem eo modo, ut etiam iuniores aetate sed sapientia praediti in consilium commune advocentur.

De Theologia morali et pastorali

1. Intensior formatio missionaria atque oecumenica candidatorum ad presbyteratum, e. g. ope culturae scientiarum comparativarum religionis.

2. Efficacior cura pastoralis pro studentibus asiaticis et africanis in Europa degentibus.

3. Doctrina christiana de vera habitudine inter personam ac communitatem in Ecclesia ut Corpore, familia Christi, Spiritu caritatis divinae atque fraternae unita inde:

4. Cultura expeditior relationum sic dictarum humanarum (human relations) in communitate ecclesiastica, etiam relate ad non-catholicos, ut periculum « Mentalitatis administrativae seu burocraticae » quam maxime evitetur, quippe quae hominibus hodiernis odibilis habetur.

5. Recta aestimatio status virginitatis relate ad statum matrimonialem, secundum doctrinam concilii tridentini (Denz. 980, can. 10: melior ac beatior). Clara dilucidatio circa vitam religiosam contemplativam, mixtam ac activam intuitu tendentiarum modernarum apostolatus et formarum novarum societatum utpote e. g. Instituta Saecularia.

✠ Tarcisius E. I. van Valenberg
Episcopus tit. Combensis

15

EXC.MI P. D. PETRI WILLEKENS
Episcopi tit. Zoraveni

Giri Sonta, Ungaran, 15 augusti 1959

Bene accepi litteras Prot. N. 1 C/59-2507 ad me datas et libenter grateque pro infirmis viribus meis satisfacio petitioni in illis factae. Annexum scilicet includo *de accommodando tractatu morali de iure et iustitia,* qualis traditur a moralistis Ecclesiae latinae *magis notionibus orientalibus* praesertim quod ad ius agrarium attinet.

Doleo, me non posse Optandum illud latius et enucleatius exponere, quum aetate et aerumnis bellicis debilitatus sim. Quum autem vehementer desiderem Ecclesiae in terris hisce longinquis propagandae prodesse, ausus sum Optandum hoc, quantumvis imperfectum, transmittere ad illustrissimam Vestram Commissionem.

Humillimus in Christo servus,
✠ PETRUS WILLEKENS, S. I.
Episcopus tit. Zoravenus

Optandum est, ut moralistae Ecclesiae Latinae conveniant cooperenturque cum viris, qui iuris civilis orientalis sint periti, eo fine ut tractatus moralis de iure et iustitia accommodetur rectis de iustitia conceptibus orientalibus. Tractatus enim de iure et iustitia, qualis traditur in Seminariis europaeis et americanis, parum convenit, imo obstacula creat, missionariis, qui missionibus orientalibus destinantur. Insuper, conceptus quales in illo tractatu traduntur, graviter nocent, ubicumque relationes oriuntur sive economicae sive politicae inter nationes occidentales et orientales.

Ratio est: conceptus, quem habent Orientales de dominio personali, maximopere differt a conceptu dominii, qualis docetur in Occidente. Missionarii autem occidentales existimant, conceptum sibi traditum esse veluti a iure naturae impositum, aut saltem esse doctrinam ab Ecclesia Catholica statutam tamquam iuris naturae interpretationem apprime veram et omnino tuendam. Inde missionariis multae oriuntur difficultates. Difficulter acquirunt bona ecclesiastica, quia nesciunt, quibus vinculis iuridicis orientalibus illa bona obligentur; difficulter bona acquisita tuentur.

Porro, quod multo magis nocet, difficulter de iure et iustitia edocent catechumenos sive dominos et gubernatores, sive servos et subditos. Nequeunt enim distinguere — immo ignorantia quasi-invincibili nesciunt — quaenam, iuxta mentem orientalem merito iusta sint dicenda, quae iniusta. Haec valent de contractibus, de mercede, de foenere, de usufructu, de occupatione, etc.

Praecipua tamen quaestio de dominio in solum, in agros agitur. Missionariorum autem hac in re error eo magis dolendus est, quod conceptus orientalis, qualis e. g. in Indonesia de dominio in agros valet, propius accedit ad intentionem Illius, qui terram creavit. Vult enim Deus ut terra fructificet homini. Ubi autem valet ius istud orientale, usus et usufructus soli et terrae fructiferae melius et magis adstringitur atque assecuratur terrae huius incolis, quam ubi valet dominium illud personale strictissimum et exclusivum, quale in Occidente, (nominatim in Anglia), valere atque sanctissimum haberi vidi. Memineris hic oportet, ponderis primarii esse pro regionibus orientalibus hanc de iure agrario quaestionem. Pleraeque enim regiones istae regiones agrariae sunt, quae proventibus industrialibus vix gaudent ullis. Omnis ergo fere proprietas, omnia vitae humanae subsidia ultimatim in iure illo agrario nituntur.

Nec solis missionariis nocet defectuosus ille occidentalis de dominio conceptus. Quanta inde damna ipsis quoque dominis, immo guberniis enascantur, uno exemplo illustretur. Quum Sionistae initio huius saeculi terram palaestinensem adierunt, ut eam tamquam propriam occuparent, emptione dominium sibi acquisierunt exclusivum illud occidentale in agros. Quo factum est, ut incolae cogerentur in exsilium ire ut alibi victum sibi quaererent. Unde ortae irae illae et inimicitiae inexstinguibiles, quae hodie Arabes inter et Israelitas vigent. E contra in Indonesia leges agrariae Gubernii neerlandici, quum conceptibus orientalibus adaptatae essent, vetabant, quominus colonus ullus europaeus dominium illud exclusivum in terras fructiferas acquireret: fundos agrosque conducere tantum ad plures annos poterant coloni, quae conductio insuper ita limitabatur, ut incolis terrae nativis numquam deessent areae sufficientes e quibus alimenta vitae cotidianae necessaria sibi meterent. Quo factum est ut populatio autochtona, nedum in exsilium ire cogeretur, mirum in modum medios inter colonos aucta et multiplicata est.

Conclusio: Ut missionariis, in regiones orientales aliquando profecturis insigne auxilium praebeatur, — ut doctrina occidentalis de iure et iustitia in genere, et speciatim de iure agrario plenius respondeat legi divinae de terra homini fructificanda, — ut gravia damna praecaveantur, quae applicatio conceptus occidentalis dominii, praecipue agrarii, neces-

sario creat in regionibus orientalibus, — arcta instituatur cooperatio inter moralistas Ecclesiae latinae et moralistas orientales qui iuris quoque civilis orientalis, iuris agrarii praecipue, sint peritissimi.

✠ PETRUS WILLEKENS, S. I.
Episcopus tit. Zoravenus

16

REV.MI P. D. GUILELMI SILLEKENS
Praefecti Ap. Ketapangensis (Ketapang)

Ketapang, die 18 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litterae Eminentiae Vestrae die 18 iunii Prot. N. I C/59-1947 hic pervenerunt die 16 septembris. Impossibile igitur mihi erat respondere ante diem primam Septembris.

Quoad res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda, tantummodo quae sequuntur advertere mihi liceat.

1. Quoad Doctrinam.

a) Spero quod non definiantur nova dogmata, quia hoc a novellis Christianis in Missionibus difficile intelligitur et potius ut aliqua mutatio in doctrina Ecclesiae accipitur.

b) Ut pristinus studens et lector S. Scripturae adhuc lego publicationes quas de hac re obtinere valeo. Nescio an quaedam opiniones modernae congruant cum Inspiratione Sacrae Scripturae et opportunum mihi videtur Concilium Oecumenicum de exegesi moderna tractare.

2. Quoad disciplinam moralem et administrationem Sacramentorum, quae in regionibus Missionum speciales difficultates faciunt, a S. Congregatione de Propaganda Fide optime et plena intelligentia regulantur per speciales facultates vel dispensationes, ut grato animo profiteor.

Haec non possunt, mea opinione, regulis generalibus definiri, quia circumstantiae in diversis regionibus differunt.

3. Renovatio liturgica, quae re vera confert ad meliorem intelligentiam Cultus Divini et ad vitam religiosam promovendam, optima mihi videtur.

Prudenter tamen agendum est, ne accomodatio aut renovatio accipiatur a fidelibus ut mutatio Cultus Ecclesiae.

Non possum consentire quibusdam innovationibus, quae hic inde proponuntur.

Sic institutio Diaconatus pro iis, qui matrimonio coniunguntur, mihi videtur coelibatui sacerdotum praesertim indigenorum periculum inferre et vocationes ad sacerdotium diminuere, quia multi indigenae in hoc casu praeferrent diaconatum sine caelibatu sacerdotio cum caelibatu.

Haec mihi liceat humiliter exponere Eminentiae Vestrae.

Interim, cum abundantes gratias a Spiritu Sancto pro futuro Concilio Oecumenico imploro, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humilem et devotum servum in Christo

GUILELMUS SILLEKENS, C. P.
Praefectus Apostolicus Ketapangensis

17

REV.MI P. D. PASCHALIS DE MARTINO
Praefecti Ap. Padangensis (Padang)

Padang, 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Vestrae 18 iunii, I C/59-1976 tantum die 25 augusti in manus meas accepi. Celeriter et per synthesim vota mea circa argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, expono:

I. Fundamentum *Codex Iuris Canonici,* ut opinio mea est, est mandatum ultimum D. N. I. C. ad omnes Apostolos in verbis: « Euntes... » (*Matth.* 28, 19). Ecclesia Catholica semper in itinere est, non stat in ecclesiis iam mortuis aut morituris. Ecclesia Catholica semper in agmine primo pugnat ad novas ecclesias plantandas.

II. Ecclesiae novae non paulatim condendae sunt, sed subito cum episcopis, sicut erat in principio et semper mos fuit Romanorum Pontificum mittendi episcopos ad partes infidelium, dum nova territoria et gentes inveniebantur et separabantur ab antiquis et notis.

III. Ecclesia Catholica et Apostolica a principio ecclesias instituit super ritus et canones congeniales gentibus, quae, sicut nova membra, Corpus Mysticum Christi aedificabant. Ex multis una ratio est, ex mea opinione, si in partibus orientalibus et medio-orientalibus post multa saecula et multos labores Ecclesia Catholica parva est et paralitica, quod missionarii neophitis illarum regionum regulas leges ritus suarum ipsorum ecclesiarum et nationum imposuerunt. Caelibatum etiam, quod optimum et necessarium evenit in Ecclesia Romana, onus grave et incom-

prehensibile est populis asiaticis, quorum novi fideles sicut parvuli lacte nutri debent.

IV. Quid mali si neophitis lingua propria, etiam in ritibus sollemnibus Altaris, Deum laudare permittitur? Lingua latina scitu necessaria est omnibus ecclesiasticis, sed si fideles non intelligunt quid Sacerdos dicit et facit ad altare, semper muti exstant, valde longe a spiritu Ecclesiae (plebs sancta) et a sacerdotibus.

Ecce aliqua vota mea, quae submitto iudicio Eminentiae Vestrae, Praesidentis Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico.

Spiritus Sanctus, quem enixe et quotidie rogo, adsit laboribus Eminentiae Vestrae et omnium sociorum praedictae Commissionis.

PASCHALIS DE MARTINO
Praefectus Ap. Pandangensis

18

REV.MI P. D. NICOLAI J. GEISE
Praefecti Ap. Sukabumensis (Sukabumi)

Bogor, 26 iunii 1960

Eminentissime Domine,

Iterum et saepius distuli responsionem ad epistolam Eminentiae Vestrae, Prot. N. I C/59-1997, coactus per aegritudinem, peregrinationem itineraque, postremo per duas mutationes domicilii.

Quamvis servus Iesu Christi indignissimus ac minister Ecclesiae inutilis, spero tamen Eminentiam Vestram mihi adhuc benigne concedere ut, « omni cum libertate et sinceritate » aliquas animadversiones communicarem.

I. Assensus sum et adhuc assentior modo generali Consiliis ac Votis Eminentiae Vestrae ab Ordinariis Indonesiae in conventum quinquennalem nuperrime congregatis de die 9 maii usque ad diem 16 maii 1960, propositis.

II. Nota supranationalis et missionalis Ecclesiae, magnificenter in Encyclicis et Allocutionibus demonstrata, in vita quotidiana rarissime agnoscitur ab acatholicis, etiam Europaeis, sed totaliter ignoscitur ab ethnicis extra Europam. Miror an Ecclesia pragmatice, in rebus gerendis, adhuc sit nimis iuncta cum moribus europaeis. Exempli gratia:

Ius canonicum rarissime spectat ad circumstantias Ecclesiae nascentis in regionibus extra Europam;

in lectionibus Breviarii Europa est pars centralis totius mundi et omnes ethnici sunt « barbari », quod est contra data historiae culturarum;

quaestio n. 55 in Instructione circa relationem quinquennalem incipit: « An in scholas admittantur *etiam filii acatholicorum* ... ». Forsan in Europa acatholici non ita desiderantur in scholis nostris; secus tamen in missionibus. Immo puto nos missionarios debere acatholicos « compellere intrare ». Quaestio aptior pro missionibus videtur: « An post occasionem datam catholicis ut mittant liberos suos in scholas nostras, etiam acatholici invitentur, licet cum magnis sacrificiis quoad pecuniam ».

III. Quamvis Roma semper laudavit et commendavit adaptationem in regionibus missionum, tamen ubique terrarum Ecclesia, usque adhuc consideratur « occidentalis ». Puto nos in hac re numquam veros progressus facturos esse, ita ut totus mundus facile agnoscere possit notam supranationalem et non — exclusive — europaeam, si ipsa Sacra Congregatio de Propaganda Fide non aggreditur ad solvendam hanc quaestionem. Adaptatio sana et fructuosa videtur impossibilis esse sine adiutorio multorum virorum peritorum scientia sociali et ethnologica. Numquid impossibile est ut dicta Sacra Congregatio formet aliquem conventum virorum peritorum, experientia dotatorum atque regiones missionum iteratim visitantium, qui serviant omnibus Ordinariis in missionibus sicuti, vulgo, « a sociological and ethnological braintrust »? Hoc modo dicti conatus in re adaptationis non sunt excogitati ab aliquibus missionariis tantum et individualiter sed ordinentur ab ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide; non erunt inclusi, ut sunt hodie, in aliquibus partibus « externis » culturarum ethnicarum, uti musica et aliquibus sollemnitatibus, sed complectentur totam vitam. Quod si ita est, Ecclesia, olim adiutrix populis europaeis in formatione et christianizatione culturarum barbararum, erit iterum adiutrix populis non-europaeis in formatione culturarum novarum sine errore materialismi et nota supranationalis facile agnoscetur ab omnibus populis.

IV. Vivens per plus quam 20 annos inter Mahumetanos satis « fanaticos », quotidie oro Deum Optimum Maximum ut Roma instituat aliquam actionem discretam sed bene ordinatam ad permovendas animas islamiticas. Mythos de inconvertibilitate Mahumetanorum nimis debilitat actionem nostram. Haec actio videtur esse restringenda ad explicationes Ethicae Naturalis, ne Mahumetani ira exardescant. Humiliter rogo ut talis actio, licet indirecta, a Roma missionariis commendetur utpote vere missionalis. Non pauci missionarii parvipendunt talem actionem, non directe intentam ad baptismum, cum sequela, uti in Indonesia — et

vidi hanc rem etiam in aliis regionibus islamiticis — quod nihil faciunt pro Mahumetanis.

V. Miror si possibile sit excogitandi aliquem modum loquendi et scribendi de systematibus erroneis extra Ecclesiam, qui non sit iniuriosus pro errantibus bona fide. Error non gaudet iure; secus tamen errans bona fide.

Summa cum reverentia anulum osculans et sacram benedictionem implorans, maneo Eminentiae Vestrae addictissimus servus in Domino

NICOLAUS J. GEISE, O. F. M.
Praefectus Ap. Sukabumensis

19

CONFERENTIA EPISCOPALIS

Giri Sonta, 15 maii 1960

Eminentissime Domine,

Omnes Ordinarii Indonesiae, in loco Giri Sontafi conventus quinquennalis causa, congregati, debita cum reverentia vota et consilia quae infra sequuntur Commissioni Antepraeparatoriae proponunt:

I .GENERALIA

1. *Problema incrementi populationis mundialis*

Opportunum videtur ut a viris medicis, economistis atque moralistis exaretur quoddam propositum, quo succincte doctrina catholica suppeditetur circa problema incrementi populationis mundialis. Huiusmodi propositum late divulgetur, ut non desit christifidelibus norma tuta iudicandi atque agendi in praefata materia.

2. *Manifestatio Universalitatis Ecclesiae*

Opinamur necessarium esse Ecclesiam Romanam magis attendere ad eas partes Ecclesiae, quae sitae sunt extra Europam et Americam. Ecclesia, utpote revera universalis, prae se ferre debet *apparentiam et speciem universalitatis,* quae exprimi potest:

a) *Participatione* omnium gentium sufficienti modo in *institutis et consiliis Ecclesiae,* considerato non tantum numero catholicorum sed etiam momento alicuius gentis, quam catholici repraesentant. Necessarium est omnes gentes repraesentari in institutis centralibus Ecclesiae et quidem sufficienti modo.

b) *Admissione* sacerdotum sive saecularium sive regularium (et Laicorum?) e regionibus extra Europam et Americam provenientium, qui rite instructi, *servitio diplomatico* participent.

c) *Adaptatione in culto divino* iuxta mores et circumstantias vitae quae in territoriis extra Europam et Americam inveniuntur, observata autem sanctitate et veritate cultus divini.

Talis adaptatio respiciat vitam liturgicam, linguam in cultu divino adhibendam, formulas orationum etc.

d) *Adaptatione legislationis* circumstantiis eorum territoriorum, quae enumerantur sub *c*).

3. *Mutua cooperatio omnium partium Ecclesiae inter se et cum Sancta Sede*

a) Cooperatio dioecesium (et Vicariatuum) promoveatur ita ut ubique *efformentur provinciae* Ecclesiae maioris amplitudinis, quarum fundatio fundanda est in rebus communibus (e. g. unitate gentium vel civitatis civilis, aequalitate circumstantiarum etc.). Hac cooperatione nullo modo detrimentum afferatur iurisdictioni propriae cuiusque Ordinarii.

b) *Efformetur aliquod Concilium,* constitutum ex personis qui eliguntur a provinciis ecclesiasticis easque repraesentant. Membra huiusmodi Concilii, rebus mature perpensis, competenti auctoritati vota et consilia proponant.

Praefata membra, numero sat multa, ex omnibus regionibus orta, quinto quoque anno semel saltem conveniant.

4. *Coniunctio virium in Ecclesia sub directione centrali Sanctae Sedis*

a) Mandatum universali Ecclesiae commissum, quod totum orbem complectitur, hisce temporibus exigit ut *auxilia sacerdotum, religiosorum* (et laicorum) e variis nationibus et regionibus, semper in promptu sint ad nutum Regiminis centralis Ecclesiae id est Sanctae Sedis. Sancta Sedes — auditis moderatoribus — his de auxiliis disponat pro locorum et operum necessitate.

b) In specie S. Congregatio de Propaganda Fide disponere posse oportet de certo numero sacerdotum, religiosorum (et laicorum?), qui mitti possunt ad tempus plus minusve longum in loca sub auctoritate huius Congregationis posita, ubi necessarii sunt pro rebus Ecclesiae et ubi rogantur ab Ordinario.

c) Societates religiosae, quae pluribus in gentibus et civitatibus sua habent membra et domus, intelligant suum officium universale et inter-

nationale et earum moderatores generales voluntatem et potestatem habeant mittendi religiosos et religiosas ubique terrarum ubi necessitas Ecclesiae urget.

d) Ut cooperatio et directio centralis efficienter elaboretur, *efformetur concilium inter instituta religiosa* (et laicorum?) cum S. Congregatione de Propaganda Fide, ut res communes profundius deliberentur et opera missionalia efficacius gerantur.

II. Theologia dogmatica

1. *Constitutio dogmatica* de Ecclesia Christi, in qua Concilium Vaticanum doctrinam de primatu Romani Pontificis dilucidavit, magnos et pretiosos fructus reddere non cessat. Similes fructus sperari possunt ex *Constitutione de Episcopo ut capite Ecclesiae localis.*

Auctoritas enim Episcopi localis, qui communicationem habet cum episcopis Ecclesiae universalis, praesertim cum Sancta Sede et iis episcopis, qui in eadem regione de iisdem curis se praeoccupant, maximi est momenti.

2. *Constitutio dogmatica de statu « laicali »* in Ecclesia Catholica perutilis videtur. Laicorum enim est vita probare res temporales non per se finibus egoisticis servire debere sed etiam operibus charitatis operam praestare posse. Hierarchia munera laicis propria non impediat sed potius paterne foveat.

III. Theologia moralis et pastoralis

Intensior formatio missionaria atque oecumenica candidatorum ad presbyteratum e. g. ope exercitii scientiarum religiones comparantium.

2. Efficacior cura pastoralis pro studentibus asiaticis et africanis in Europa degentibus.

3. Expositio doctrinae christianae de vera habitudine inter individuum et societatem in Ecclesia, quae est Corpus Christi, spiritu caritatis divinae atque fraternae unitum, unde;

4. crescere possit observantia relationum sic dictarum humanarum (human relations) in communitate ecclesiastica, etiam relate ad noncatholicos atque periculum « mentalitatis administrativae seu burocraticae » quam maxime evitetur, quippe quae hominibus hodiernis odibilis habetur.

5. Recta aestimatio status virginitatis relate ad statum matrimonialem, secundum doctrinam Concilii Tridentini (Denz. 980, can. 10) melior et beatior. Clara dilucidatio circa vitam religiosam contemplativam,

mixtam ac activam intuitu tendentiarum modernarum apostolatus et formarum novarum societatum utpote e. g. Instituta Saecularia.

6. Ut in data penuria operariorum in vinea Domini frequentiores adhibeantur religiosi, dum tamen iurisdictio Ordinarii in hos religiosos, exemptis non exceptis, maior fiat, ut ita stabilitas curae animarum sat caveatur.

7. Ut ad salutem animarum melius procurandam processus matrimoniales simplificentur.

8. Ut christifideles ad praxim ieiunii et abstinentiae magis seriam adducantur et ut in eisdem spiritus mortificationis aptis mediis promoveatur.

IV. Sacra Liturgia

1. *Sacramenta*

a) *Initiatio Christiana.* Distinctio clara facienda sit inter ritum catechumenatus et ritum baptismalem. Ritus catechumenatus adultorum ab administratione sacramenti baptismi disiungi possit, ita ut, ubi institutum publicum catechumenatus exsistit (praesertim in Missionibus), ad modum antiqui catechumenatus in diversos gradus administretur, secus ritus catechumenatus aliquot dies ante baptismum confertur.

Ritus baptismalis adultorum de integro restauretur, forma exorcismorum mutetur et eorum numerus diminuatur.

In administratione Baptismi omittantur usus salivae, usus salis et unctiones in pectore et inter scapulas et insufflationes fiant omnibus simul. Ritus baptismalis parvulorum statui infantium adaptetur. Praesertim quoad primum dimidium notabiliter abbrevietur, quia infantes catechumenatu non indigent. Ubi possibile est aliqua solemnitate circumdetur, quia ex natura rerum etiam ad communitatem paroecialem attinet recipere novum membrum familiae.

b) Confirmatio in celebratione Missae integretur. Desideratur Missam propriam pro administratione huius Sacramenti componi. Difficultas pastoralis circa aetatem subiecti huius Sacramenti pro conditionibus localibus ab Ordinario solvatur.

Concedatur administratio Sacramenti Confirmationis in lingua vernacula, excepta formula sacramentali sive intra sive extra Missam administratur.

c) *Celebratio Missae.* Usus linguae vernaculae saltem pro partibus directe fidelibus destinatis concedatur (e. g. lectiones, cantus, preces communes etc.). Magna commutatio efficiatur in Pericopis in diebus Dominicis:

1) *augmentando*: numerus pericoparum dominicalium a Sacra Scriptura desumptarum augeatur, quatenus cyclo e. g. quattuor annorum thesaurus Sacrae Scripturae fidelibus magis aperiatur;

2) *eliminando* locos longiores et difficiliores e. g. epistolam Sexagesimae et Dominicae IV Quadragesimae. Pericopae immediate in lingua vernacula versus populum legantur.

Lectiones et cantus Missae a Sacris Ministris vel a choro vel a populo exsequendae, a Sacerdote non amplius iterentur (cf. liturgiam instauratam perdurante Triduo Sacro).

Initium Missae: Missa immediate ab Introitu incipiat.

Finis Missae: Missa finiatur cum benedictione Celebrantis et ultimum Evangelium omittatur, ut perdurante Triduo Sacro.

Orationes fidelium: Oratio sic dicta fidelium restauretur, et quidem ita, ut pro magnis intentionibus Ecclesiae, tam universalis quam localis, una cum fidelibus Missae adstantibus in lingua vernacula preces fiant.

Offertorium: accessioni fidelium ad offerendum faveatur. Missa diei Dominicae etiam permittatur in diebus ferialibus sequentis hebdomadae in locis ubi ipsa die Dominica Missa celebrata non est.

Hanc igitur: in diebus administrationis sollemnis Baptismi et Confirmationis in Canone addi possit speciale « Hanc igitur oblationem ... » uti in Octava Paschatis.

2. *Ordo*

Ut duo ordines minores primi (ostiariatus et lectoratus) dari possint adiutoribus in cura animarum. Investigatio facienda sit circa utilitatem renovandi status diaconalis. Animadvertendum est, quod non in omnibus regionibus difficultates, possibilitates et urgentia pastoralis similes sunt, ita ut renovatio haec saltem illic fiet ubi sine periculo et cum maiore fructu pastorali introducenda apparet.

Desideratum generale: Ordinariis locorum, comitatu de re liturgico-pastorali assistente, plus quam antea facultas detur ritualis caeremonias conditionibus loci adaptandi, ritus secundarios in celebratione Missae indoli populi accomodandi et fines usus linguae vernaculae statuendi.

3. *De Episcopo*

1. Ut vestimenta pontificalia ad formam simpliciorem redigantur et magis ad circumstantias climatologicas adaptentur; ritus induendi paramenta Pontificalia abbrevietur ut fiat antea in sacristia aut simplici

modo ante primum gradum altaris: color violaceus pro tibialibus abrogetur;

2. ut detur Episcopis libertas ad quasdam caeremonias pro circumstantiis simplificandas;

3. ut in Pontificali Romano ritus et caeremoniae Consecrationis Ecclesiae valde abbrevietur et simplificetur;

4. Ut Veneratio Oleorum Sacrorum in Feria V Hebdomadae Sacrae valde simplificetur, ita ut Episcopus tantum cantaret semel: « Ave Sanctum Oleum, Ave Sanctum Chrisma », dum omnes semel tantum genuflectunt.

4. *De Breviario*

1. Ut in recitatione Breviarii (quod etiam valet de Missa) annus ecclesiasticus seu proprium de tempore magis adhuc anteponatur, ita ut in festis Sanctorum, etiam in ritu duplici celebrandis, ad libitum officium de tempore sumi possit;

2. ut plures lectiones secundi nocturni reformationi et purificationi subiiciantur;

3. ut in genere in reformatione Breviarii simplificatio attendatur;

4. ut pro Psalterio inter psalmos selectio instituatur et nonnulli psalmi in Breviario non resumantur.

V. Ius Canonicum

1. Facultates quinquennales, omnibus ordinariis locorum concessae, atque Facultates Apostolicae pro missionariis saltem magna pro parte in ius commune inserantur.

2. Ei, qui de errore sive in re fidei sive in re morum suspectus, auctoritati ecclesiasticae denuntiatur, possibilitas sese defendendi tribuatur, auxilio advocati non excluso.

3. Ius poenale Codicis speciatim quoad censuras simplificandum videtur et censurae, quae numquam applicari solent, derogandae sunt.

4. Normae Codicis, quibus libri ut prohibiti indicantur (can. 1399), hodierno tempori adaptandae ac clariori modo conficiendae sunt, ita ut facilius applicari possint.

5. Omnes, aliquo beneficio aut munere pastorali in Ecclesia fungentes, cum ad determinatam aetatem pervenerint, Ordinario suo renuntiationem faciant, ita ut Ordinarii facilius eos amovere possint, si — suo iudicio — bonum animarum id postularet.

6. Pro regionibus, ubi inopia sacerdotum habetur, et ubi frequenter

itinera pedestria instituenda sunt, petitur facultas reducendi tempus ieiunii eucharistici tum pro sacerdotibus tum pro christifidelibus.

7. Sperandum videtur ut privilegia Pauli III et Gregorii XIII circa dissolutionem matrimoniorum certis sub conditionibus clare definiantur in Codice Iuris Canonici.

8. Optandum est, ut statutum de forma celebrationis matrimonii extraordinaria (can. 1089) instauretur; desideratur ordinatio, qua magis ac redactione praesenti, dubia de validitate huiusmodi matrimoniorum praeveniantur et excludantur.

VI. Ius Ecclesiasticum

1. Congregatio ecclesiastica instituatur ad opus oecumenicum promovendum, sicut exstat Congregatio pro Ecclesia Orientali et pro Propaganda Fide, ut ipsa Ecclesia Catholica meliorem atque intimiorem contactum habeat cum ecclesiis christianis non-catholicis, e. gr. cum Consilio Mundiali Ecclesiarum.

2. Maior cooperatio inter Ecclesiam docentem et discentem ope cuiusdam instituti informationis seu consilii desideratur, secundum principium tritum: quod omnes tangit, ab omnibus probari debet. Et quidem eo modo, ut etiam iuniores aetate sed sapientia praediti in consilium commune advocentur.

VII. Catechesis

Fructum amplissimum Ecclesia Catholica consecuta est ex editione « Catechismi Romani » pro parochis post Concilium Tridentinum.

Tempora nostra potius postulare videntur, ut doctrina christiana denuo omnibus hominibus bonae voluntatis praedicetur, methodo mentibus modernis accommodata. Ignorantia in religiosis est maxima, quae saltem ex parte oriri videtur ex eo, quod catechismi nostri sunt nimis abstracti nec animos movent.

Quapropter communis utilitatis causa videtur, si occasione Concilii Oecumenici in lucem ederetur novus Catechismus, hominibus nostrae aetatis accommodatus, in quo positivo necnon attractivo modo sublimitas atque excellentia nostrae religionis atque Evangelii Christi ante oculos ponantur.

Tentamina, in variis regionibus incepta, coordinanda essent, ut viribus unitis aliquis liber componatur pro tota familia Catholica.

Cum ars typographica magnos progressus fecit, talis liber etiam respectu typographico mentes attrahat oportet ...

Ubique terrarum, etiam in terris Missionum, apud multos adest sincera voluntas Deum serviendi ideoque perutilis videtur huiusmodi liber, in quo praestantia nostrae religionis clare et distincte ostendatur necnon concreta norma vivendi, spiritu evangelico repleta, exhibeatur modo, quo cor delectatur et mens attrahitur.

Nomine omnium Ordinariorum Indonesiae

✠ Herculanus J. M. van der Burgt, O. F. M. Cap.
Vicarius Ap. Pontianakensis
Praeses Conventus Quinquennalis

INSULAE PHILIPPINAE

1

Exc.mi P. D. EMMANUELIS YAP

Episcopi Bacolodensis (Bacolod)

Die 14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magna cum laetitia litteras Tuas (N. 1 C/59-174) Romae die 18 iunii anni currentis datas accepi, nam agitur de Concilio Oecumenico unionis omnium populorum.

Cum in hac Dioecesi, Deo gratias, fides stet et floreat, fidelesque perantiquissimos mores a Missionariis traditos adhuc foveant et conservent, unum tantum punctum suggeram, scil.:

Ut lectiones divini officii ubi longae sunt, abbrevientur.

Ratio est: In insulis Philippinis, maxime in hac Dioecesi, Sacerdotes sunt pauci et fideles multi, ita ut Parochus labore fatigatus, Breviarium suum multoties per noctem legat et hoc dormitans.

Spe confisus Eminentiam Tuam benigne praesentes litteras esse accepturum, a Deo Optimo Maximo omnia Tibi fausta adprecor.

✠ Emmanuel Yap
Episcopus Bacolodensis

2

Exc.mi P. D. IACOBI T. G. HAYES

Archiepiscopi Cagayani (Cagayan)

Die 6 maii 1960

Eminentissime Domine,

Duas litteras Tuas datas tum die 18 iunii 1959 tum die 21 martii accepi. Verum est me Tuis primis litteris responsum non reddidisse; atque si hoc Eminentiae Tuae fuit aliquid negotii, velim Eminentiam Tuam certiorem facere huius defectus responsionis causam.

Primo, receptis litteris Tuis die 18 iunii 1959 datis, cum Archiepiscopo Camomot, Coadiutore meo cum successione, de rebus in litteris tractatis consilium habuit. Hoc in consilio, varias animadversiones edidi quas Archiepiscopus Camomot in responsione conficienda potuit inserere si sibi has putaret includendas; atque simul omnibus animadversionibus ab eo datis nutum dedi.

Secundo, cum Archiepiscopus Coadiutor sit indigena, his regionibus natus atque educatus, mihi videbatur eum futurum peroptime capacem ad faciendum animadversiones atque postulata circa res innovandas vel adoptandas a Concilio Oecumenico, quae sint ad maiorem utilitatem et progressum vitae fideique Catholicae in hac mundi plaga.

Ob has duas graves rationes, mihi videbatur responsionem ab Archiepiscopo Coadiutore factam vices laturam pro responsione totius Archidioecesis Cagayanae, i. e. tum pro sua cum pro mea propria responsione; neque putavi esse aliquid necessitatis cur aliam responsionem facerem, praesertim cum omnes res, mente, ad Concilium Oecumenicum partinentes, Archiepiscopo Coadiutori in responsione praeparanda iam notas fecissem.

Exposita iam causa defectus responsionis Tuis litteris primis animadversiones quas Archiepiscopo Coadiutore notas feci inserendas in nostra responsione, Eminentiae Tuae venia, summatim velim addere:

a) Sacra atque Officium Latine maneant recitandum. Ratio est quod video innumeras difficultates proditura si in his insulis haec duo ex obligatione linguis nativis celebrentur et dicantur. Nam multae et variae sunt linguae populares (seu « dialects ») adhibitae in his regionibus. (Dicunt saltem esse 27 variae linguae populares seu « dialects »). Quare valde difficile erit adhibere unicam versionem quae sit officialis et obligatoria atque omnibus populis in his regionibus degentibus unanimiter approbata. Multae huiusmodi linguae populares adhuc statum, ut ita dicam, formationis non sunt transgressae; et ob migrationes populares de una parte in aliam quae fere fiunt cotidie, ob vitae oeconomicae atque socialis instabilitatem, orta est magna commixtio harum linguarum popularium ita ut videatur valde inopportunum si non temerarium versionem officialem Missae et Officii conficere in hac tam infantili condicione harum linguarum popularium. Expectare debemus naturalem cursum maturationis culturalis et oeconomicae quae est matrix maturationis grammaticae. Quae maturatio et oeconomica et culturalis et grammatica, datis nisibus scientificis e parte virorum peritorum in re linguistica, in sociologia, anthropologia et historia, in futuro certe est perventura. Sed antequam talis maturatio perveniat, prudens ac matura ratio suadere debet standum esse cum latina lingua in celebranda Missa et in recitando Offi-

cio. Hoc modo rixae infinitae intra Ecclesiam e variis adiunctis oriundae evitare possunt.

b) Redigere pro Missionariis Breviarium tum brevem cum simplicem. Habere debet solum novem Psalmi et tres Lectiones ita ut una lectio sit de Scriptura currente, altera de hagiographia et tertia de homilia.

c) Sinere ut in his regionibus Ordo Hebdomadae Sanctae Restauratus celebretur non vespere sed mane; vel saltem relinquere Ordinariis Locorum facultatem disponendi utrum Ordo celebretur mane vel vespere. Ratio est nimis solis calor quo hi loci urgentur tempore Quadragesimae.

d) Relate ad Liturgiam, rogatur ut in qualibet norma generali statuenda, consideratio praebeatur de moribus locorum, de indoli populorum, de captu mentali, de generali progressu in re culturali. Nam Oriens semper Oriens manebit cum suo peculiari modo et forma in rebus concipiendis, sentiendis et exprimendis. Quare solum leges *generales* sint de obligatione stricta pro omnibus; sed leges *particulares* sint imponendae pro *discretione* Ordinariorum Locorum secundum exigentias gentium et temporum.

Eminentiae Tuae Rev.mae
✠ IACOBUS T. G. HAYES
Archiepiscopus Cagayanus

3

EXC.MI P. D. EMMANUELIS DEL ROSARIO
Episcopi Calbayogani (Calbayog)

Die 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magnopere mihi placet persolvere Eminentiae Vestrae epistolae N. 1 C/59-285.

« Praestationes occasione Sacramentorum administrationis provenientes ad Curiam dioecesanam remittantur, ut honesta sustentatio omnibus sacerdotibus saecularibus aequa singulis mensibus mercede ab Ordinario loci soluta provideatur ».

Cum maxima pars praestationum in Insulis Philippinis occasione ministrationis Sacramentorum proveniant, sacerdotes parochias populosas regentes divitiis abundant, et parochi in pagis arctissime vitam degunt, quin Ordinarius loci possit illos absque iusta et gravi causa ad normam can. 2147 amovere, et his propter Curiae penuriam succurrere.

Locupletes paroeciae multos numerant competitores, cum vix ullum humiles.

Ad distinctionem inter sacerdotes socialem tollendam, et ad vicis providendum sententiam humiliter aperio.

Eminentiae Vestrae
Addictissimus in Christo
✠ EMMANUEL DEL ROSARIO
Episcopus Calbayoganus

4

EXC.MI P. D. ANTONII FRONDOSA
Episcopi Capicensis (Capiz)

26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est pariter et honorificum litteras (Prot. N. 1 C/59-307) accipere, quibus Eminentia Tua Rev.ma animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractatura, quaesivit.

Animo autem grato Eminentiae Tuae remitto, tamquam adnexum, quaedam consilia et animadversiones quae Commissioni Antepraeparatoriae, cui feliciter praeest Eminentia Tua, utilitati alicui esse spero, dum praesentem nactus opportunitatem laborem magni momenti Eminentiae Tuae commendatum bonis secundisque votis prosequor.

Enixe Deum adprecor ut rorem suae benedictionis super Eminentiam Tuam omnesque Tibi cooperantes effundat; atque Eminentiae Tuae obtestans sensus mei profundi obsequii summa cum observantia subsigno.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus in Domino
✠ ANTONIUS FRONDOSA
Episcopus Capicensis

De clericis

1. Ut canoni 126 fiat permutatio qua sacerdotes saeculares spiritualibus exercitiis vacare debeant non tantummodo tertio saltem quoque anno, *sed uno quoque anno* et per dies quinque integros. Nostris equi-

dem temporibus medium transportationis tam facile extat, ut absque ulla difficultate sacerdotes iisdem exercitiis adesse possint; copia insuper sacerdotum iam sufficiens habetur, ut in absentia unius alter illius vices gerat, ne paroecia vacetur.

2. Ut paragraphus 3 canonis 470 supprimatur: quod enim in hac paragrapho praescribitur vix umquam actum fuit, in nostra saltem dioecesi, praesertim in quibusdam paroeciis quae ob inopiam non possunt amanuensis opera uti. Vicariorum Foraneorum trimestris inspectio sufficere debet ut diligens et accurata librorum paroecialium fiat.

De religiosis

1. Ut canoni 542 adiungatur praescriptio qua ad postulatum ordinis religiosi, congregationis aut institutionis ne admittantur, nisi qui academicam formationem in schola saltem media (high school) requisitam expleverunt, iis tamen exceptis vitae contemplativae vacaturis.

2. Ut canoni 622 alia paragraphus addatur qua praescribatur ut quaelibet persona religiosa ab Ordinario loci licentiam quaeritandi stipes postulans exhibeat litteras, a suo Superiore subscriptas, quibus Ordinario apprime constat de vera necessitate stipis quaerendae, nec non de probitate ac veracitate praedictae personae.

3. Ut eidem canoni addatur paragraphus qua praescribatur ne Ordinarius loci licentiam concedat, si religiosa persona supradictis litteris careat.

De laicis

1. Ut paragrapho 1 canonis 696 adiungatur praescriptio qua dimittantur ab associatione a Sancta Sede vel Ordinario loci approbata, post vero Ordinarii loci tempestivam admonitionem:

1) Qui Paschalis communionis praecepto non satisfaciunt;

2) Qui civili cuilibet legislationi libertatem conscientiae Catholicorum afficienti et iura Ecclesiae impugnanti favent.

3. Ut Ordinario loci competat existentiam delicti in numero 2 supra praefixo declarare.

De Sacramentis et Sacramentalibus

1. Ut in canone 938 praescribatur insuper ut diaconus sit minister extraordinarius Extremae Unctionis, quando absit nempe sacerdos et urgeat necessitas.

2. Ut canoni 1098 addatur praescriptio qua sacerdos quilibet, a censura liber et licentia civili pollens, matrimonio assistere possit, si pa-

rochus haberi nequit et prudenter praevidetur abesse per mensem; paragraphus igitur huius canonis ne applicetur, nisi praesto non sit sacerdos competens.

3. Ut canoni 1147 adiungatur praescriptio qua Ordinario loci concedatur potestas delegandi facultatem benedicendi Stationes Viae Crucis foraneis saltem Vicariis.

De locis et temporibus Sacris

1. Ut in paragrapho 1 canonis 1162 insuper praescribatur ne Ordinarius loci concedat licentiam aedificandi ecclesiam, oratorium publicum vel cappellam, nisi prius documentis authenticis et validis apprime constat fundum, ubi ecclesia, oratorium publicum vel cappella aedificatur, ad dominium Ordinarii loci pertinere sive donationis sive emptionis ratione.

2. Ut in praedicto canone etiam praescribatur ne Ordinarius loci nuper-dictam licentiam concedat sine constructionis delineationibus architectonicis a competente architecto confectis.

3. Ut canoni 1250 addatur praescriptio qua ovum aliquod, quod vulgo in Insulis Philippinis vocatur « balut » comedi possit, quin exinde lex abstinentiae violetur.

De Seminariis et scholis

1. Ut canoni 1355 adiungatur, tamquam nova praescriptio, Motu Proprio « Cum Nobis » Papae Pii XII f. m.

2. Ut canoni 1363 alia praescriptio addatur qua omnes, qui in Seminarium quaerunt admissionem, exhibeant litteras, a competente medico subscriptas, de sua corporis et mentis praecipue sanitate fidem facientes.

3. Ut in canone 1958 statuatur praeterea ut in quolibet seminario adsit praefectus pro disciplina, a rectore distinctus.

De rebus liturgicis

1. Ut canoni 1271 alia praescriptio addatur qua lux electrica, usque nunc vetita, lucescere permittatur coram tabernaculo in quo sanctissimum Sacramentum asservatur.

2. Ut in paragrapho 2 canonis 821 pariter praescribatur ut in nocte Circumcisionis Domini inchoari a media nocte possit Missa in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis.

3. Ut canoni 1306 alia praescriptio addatur qua Ordinarius loci

facultate polleat permittendi ut purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificiis adhibita, tradantur lavanda personis laicis quae sacrae supellectilis curam habent.

De bonis temporalibus Ecclesiae

1. Ut in paragrapho 1 canonis 1544 pariter statuatur ut onus pro piis fundationibus impositum, celebrandi scilicet aliquas Missas, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi, sit tantummodo *in diuturnum tempus,* et non *in perpetuum.*

2. Ut canoni 1523 alia praescriptio addatur qua fundi seu terrena Ecclesiae habeant sic dictos *titulos torrentes* (Anglice: *Torrens Title;* Hispanice: *Titulo Torrens*).

3. Ut numero 1 paragraphi 2 canonis 249 alia praescriptio addatur qua in specie et distincte determinentur reditus personales Episcopi et reditus dioecesis.

De variis

1. Ut sollemniter quidem definiatur esse dogma fidei, ab omnibus credendum, Beatam Virginem Mariam esse omnium gratiarum Mediatricem.

2. Ut excommunicatione latae sententiae, Ordinario loci reservata, plectatur, quicumque nomen confessoris et admonitiones in confessione sacramentali auditas revelet, si huiusmodi revelatio in verecundiam redundet confessoris, aut sit Sacramenti confessionis detrimento vel ipsius confessoris odio.

3. Ut sacerdos in bona relatione cum officialibus civilibus perseverare studeat, separatione Ecclesiae a Statu non obstante.

4. Ut parochus vitia aut publica scandala in sua paroecia nequaquam sinat grassari propter respectum vel timorem civilium officialium; at in malis corrigendis atque evertendis summa cum prudentia et « diplomatia » se gerat.

5. Ut sacerdos res politicas arceat; si vero res ita sint ut fideles in candidatis vere dignis eligendis ipse dirigere debeat, id quidem agat absque ullo respectu aut timore humano.

6. Ut sacerdos in electionis temporibus Ordinarii loci admonitionibus et mandatis quoad res politicas prorsus pareat.

✠ ANTONIUS FRONDOSA
Episcopus Capicensis

5

EXC.MI P. D. IULII ROSALES
Archiepiscopi Caebuani (Cebù)

Datum in Civitate Caebuana, die 18 novembris 1959

Beatissime Pater,

D.nus Iulius Rosales et Ras, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Caebuanus, votis Cleri tum saecularis tum regularis suae Archidioecesis obsequens, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus qua par est reverentia atque observantia, quae sequuntur *postulata* a futuro Oecumenico Concilio consideranda, eiusdem Concilii Commissioni Ante-praeparatoriae perpendenda proponit:

I. *Circa Ecclesiae disciplinam*

1. Ut dies festi de praecepto servandi pro tota Dei Ecclesia iidem declarentur, atque, in quantum possibile sit, eorum numerus minuatur.
2. Ut tota ecclesiastica disciplina circa censuras tum Sanctae Sedi tum Ordinariis reservatas denuo pertractetur ac simplicior fiat, quod, procul dubio, confessariis adiutorio erit.
3. Ut in futurum clericalis habitus forma huiusce temporis vitae accommodatior fiat.
4. Ut omnibus Sacerdotibus, nulla prosus distinctione habita, potestas sit Sacramentum Confirmationis fidelibus in periculo mortis constitutis administrandi.
5. Ut Missa pro populo ab Episcopis et Parochis sit diebus tantum Dominicis applicanda.
6. Ut omnibus Sacerdotibus sit facultas horis postmeridianis aut etiam serotinis Sacrum litandi quoties id, aut fidelium spirituale bonum, aut ipsius etiam Sacerdotis — ratione exempli gratia itineris vel proprii laboris — convenientia suaserint, quin illis necesse sit Ordinarii loci licentiam id faciendi sibi comparare.
7. Ut tota disciplina circa sacrarum indulgentiarum elargitionem in simpliciorem quamdam formam redigatur.
8. Ut facultas in posterum sit confessariis licentiam legendi libros et ephemerides prohibita suis poenitentibus concedere, attenta uniuscuiusque eorum conditione, et prout illis in Domino opportunum visum fuerit.

II. *Circa Sacram Liturgiam et pastoralem actionem*

1. Ut Missam exequialem celebrare liceat etiam in Dominicis et Festis ritus duplicis primae classis, necnon in diebus infra octavas privilegiatas, in ecclesiis ubi duae saltem Missae habeantur, ita, ut Dominico die vel Festo congrue una Missa celebrata, altera et defectui suffragio et vivorum solatio provideri possit.

2. Ut licitum sit vernacula lingua in administratione Sacramentorum et Sacramentalium uti.

3. Ut caeremoniae in consecratione ecclesiarum, altarium, sacrorum oleorum, necnon in sacrorum Ordinum collatione et aquae benedictione adhibendae breviores fiant.

4. Ut lingua vulgaris in Missarum celebratione, praeter quam in canone, adhiberi possit.

5. Ut Episcopis facultas sit suis Sacerdotibus permittendi duarum Missarum celebrationem, etiam diebus infra hebdomadam, si idipsis animarum bono convenire visum fuerit.

6. Ut Sacerdotibus in potestate sit Missam lectam absque ministro celebrare quoties illis moraliter impossibile fuerit talem ministrum sibi procurare.

7. Ut omnibus Sacerdotibus liceat usus antimensis in Missarum celebratione.

8. Ut Sacramentalia quaedam et Benedictiones, ut numismatum, scapularium, stationum Viae Crucis et aliorum huiusmodi, non quibusdam tantum Ordinibus vel Religiosis Congregationibus reserventur; ita ut quilibet Sacerdos ad audiendas confessiones rite approbatus, possit omnia Sacramentalia conficere et Benedictiones impertire quae ab Apostolica Sede fuerint probatae.

9. Ut Missale et Breviarium Romanum nova breviori ac simpliciori forma disponantur.

10. Ut in administratione Baptismatis unctio in pectore et inter scapulas omittatur.

11. Ut Sacra Synaxis possit fidelibus horis postmeridianis et vespertinis, etiam extra Missas distribui.

12. Ut verba quae dum Sanctissimum Corpus Christi distribuitur pronuntiantur, aut breviora sint, aut semel tantum post « Ecce Agnus Dei... », etiam lingua vulgari, sint dicenda.

III. *Circa Iuris Canonici ordinationem*

1. Ut totus Codex Iuris Canonici revideatur, leges iamiam abrogatas supprimendo, novas vero Apostolicae Sedis dispositiones illi incorporando.

2. Ut processus matrimoniales simpliciores fiant, et competentia Tribunalis ab Episcopo designati ad plures casus extendatur.

3. Ut obligatio Defensoris Vinculi ad superius Tribunal a prima sententia matrimonii nullitatem declarante appellandi mutetur hoc modo: Sacri Vinculi Defensor, pro sua conscientia, appellationem ad superius Tribunal interponere potest, simul rationes exponendo quibus permotus, huiusmodi appellationem interponendam censuerit. Superius vero Tribunal, visis allatis rationibus, appellationem admittere vel reicere potest.

Quodsi interposita appellatio a superiori Tribunali reiciatur vel deseratur, partibus ius erit, decem diebus ac accepta notitia reiectionis vel desertionis exactis, ad novas nuptias transire.

4. Ut in causis matrimonialibus Advocati et Procuratores possint ipsi per se praeliminares investigationes, tum circa possibilitatem reconciliationis inter coniuges, tum circa alias circumstantias quarum notitia in casu solvendo iuvare posset, instituere.

5. Ut quaedam matrimonii dirimentia impedimenta, impedientia tantum fiant, quo non pauca matrimonia invalida vitari poterunt.

6. Ut canon 1524 novae redactioni subiciatur, ita ut in ipso quodam modo socialis doctrina recentiorum Summorum Pontificum includatur.

IV. *Circa catholicum Dogma*

1. Concilium Vaticanum miro modo doctrinam de Ecclesia tractare incoepit. Sed dogmata tantum Primatus Petri eiusque Successorum atque Pontificiae Infallibilitatis illustrare potuit. Maxime optandum esset ut futurum Oecumenicum Concilium amplius doctrinam Christi Ecclesiam respicientem sua auctoritate declaraverit, praesertim Spiritus Sancti lucem in theologiam Mystici Corporis Christi, in laicatus intra Ecclesiam functiones, in Actionem Catholicam, in Opus Missionum ad Exteras Nationes opera etiam adhibita piorum laicorum, et alia huiusmodi, perfundendo.

Velit Sanctitas Vestra quae praecedunt benevolenti animo excipere: videtur enim nobis iis quae filiali devotione suggessimus, Paternam Vestram sollicitudinem omnium Ecclesiarum aliquo modo sublevare.

Et Deus, etc.

✠ IULIUS ROSALES
Archiepiscopus Caebuanus

6

Exc.mi P. D. EPIPHANII SURBAN BELMONTE
Episcopi Dumaguetensis (Dumaguete)

25 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Duas litteras a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico recepi. Una ex eis die 18 iunii 1959 data fuerat ad quam responsum statim misi. Sed responsum illud fortasse perditum fuerat. Ad secundam litteram Prot. N. 1 C/59-464 bis, die 21 martii 1960 datam, hae sunt suggestiones huius novae dioecesis approbatae a consultoribus dioecesanis in conventu cui praefuit infrascriptus:

1) *a*) quod Missa in dissitis vicis celebrari possit sine acolytho.

b) quod collatio sacramenti baptismi et aliorum sacramentorum in iisdem locis etiam fieri posset sine acolytho.

2) quod adulti conversi baptizari possent more parvulorum.

3) quod dispensatio generalis a bannorum publicatione sacerdotibus qui tantum occasionaliter pagos dissitos paroeciae visitant concedi possit.

Volumus nos fidelitatem nostram Summi Pontifici renovare et suam benedictionem paternalem petere.

In Domino

✠ Epiphanius Surban Belmonte
Episcopus Dumaguetensis

7

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. CUENCO
Archiepiscopi Iarensis (Iaro)

Die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras pergratissimas Eminentiae Tuae Reverendissimae, Vaticano datas, die 18 iunii anno currente, sub Prot. N. 1 C/59-643 accepi.

Post assiduas ac diuturnas considerationes, diversas commissiones peritorum virorum utriusque cleri efformavi qui, plena cum libertate, secreto et prudentiori modo, mihi eorum vota, desideria et suggerentias

exponerent, circa res omnes quae studio vel reformatione indigerent et simul a Venerabili Commissione Pontificia Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico considerationem mereantur accipere.

Omnes in unum collectae et discussae, denuo, proprio labore castigavi et Eminentiae Tuae libentissime remitto.

Interim impensos animi sensus ex corde Eminentiae Tuae Reverendissimae profiteor cuius amplissimam ac Sacram Purpuram humiliter deosculor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus
✠ Ioseph M. Cuenco
Archiepiscopus Iarensis

1. *De Actione Catholica*: Utillimum videtur ut quam citius constituatur, in Curia Romana, *Nova Congregatio,* seu Dycasterium — quae regimen, doctrinam, disciplinam — in Universa Ecclesia imponat quoad *Actionem Catholicam.* In diversis enim Nationibus, diversimode et frequenter, oppositis propositis, frustra laboratur et fere semper cum magnis dispendiis membrorum paroeciae.

2. *De Benedictionibus*: Maxima cum instantia rogatur ut « Benedictionum Reservatio » quae sic in Rituali Romano habentur, tollantur; vel saltem concedatur Ordinariis *locorum,* cum facultate simul *subdelegandi,* potestas, valide et licite, iis utendi; praesertim quae propriae sunt Ordinum vel Congregationum.

3. *De Censuris*: Ut *censurarum* canonica legislatio et earum absolutionis reservatio *minuatur, clarius explicetur* et ampliores facultates *Ordinariis concedantur;* ad consulendum conscientiae tam confessorum quam fidelium.

4. *De lingua vernacula*: Enixe deprecatur ut in administratione — Baptismi et Matrimonii, *lingua vernacula* utatur — praeter formulam sacramentalem.

5. *De Confirmatione*: Postulatur ut Administratio Sacramenti Confirmationis, Episcopis reservata, etiam concedatur *Vicariis Generalibus et aliis sacerdotibus* in aliqua dignitate constitutis, ad prudentiam tamen Ordinarii. Attenta, innumerabili caterva puerorum, Ordinariorum pressione negotiorum, simul cum eorum aetate et distantiis percurrendis.

6. *De Confirmatione*: Valde utile videtur quod facultas *Confirmandi,* « in periculo mortis » parochis concessa, extendatur etiam ad *sacerdotem*

sacramenta infirmo praebentem, dummodo distantia a domo rectorali distet saltem quinque kilometra.

7. *De Ecclesiis*: Ad curam animarum proprie attingendam optandum est valde ut ecclesiae religiosorum — in magnis civitatibus et simul intra limites magnae paroeciae existentes — *convertantur in ecclesiis paroecialibus,* sub regimine et administratione religiosa et ad normam Iuris.

9. *De Religiosis*: Nullo pacto debent permitti *domus religiosarum habentes* idem nomen et finem ac Congregationes iam antea existentes et a Sede Apostolica erectae et approbatae.

10. *De Missa*: Petitur ut parochis concedatur licentia duas *Missas* litandi — vespere — quin *teneantur* ad Ordinarium recurrere, attento bono communi et in Dominicis et Festis de praecepto tantum.

11. *De Missa*: Petitur ut parochis concedatur facultas *tres Missas* litandi — in *eadem ecclesia* — absque onere *recurrendi* ad Ordinarium, sed unice in diebus de Praecepto, et attento bono communi fidelium.

12. *De officio divino*: Petitur ut sacerdotes iter longum et asperum facientes et simul maiorem partem diei in activitatibus religiosis occupati, *eximantur* obligatione recitationis divini *Officii.*

13. *De eodem*: Humillime deprecatur ut « reformatio Breviarii » quam citius *clarificetur et finiatur.*

14. *Iurisdictio*: Petitur ut concedatur *Iurisdictio* — in orbe terrarum — sacerdotibus, ad audiendas confessiones ab Ordinario suo approbatis — ut possint inter se *confiteri* et valide *simulque licite absolvi.*

15. *De bonis*: In bonis ab Ecclesia adquirendis — quolibet titulo — adhibeantur semper *requisita Iuris Civilis* — ita ut proprietas a nullo possit impugnari, et documenta ista proprietatis serventur in Archivo Curiae et in Archivo Civitatis Vaticanae.

16. *De bonis*: Conficiantur, quam primum, *instrumenta authentica proprietatis* — omnium bonorum ecclesiasticorum — ut ecclesiae paroeciales — domus rectorales, scholae, coementeria, seminaria, domus religiosorum, et alia huiusmodi — civilium praescriptionum munita et servanda in archivis *Dioeceseos, Nationis et Vaticani.*

17. *De bonis*: Desideranda est amplior et liberior administratio ecclesiastica in favorem tam Ordinariorum quam parochorum, intra limites tamen Iuris Canonici.

18. *De bonis*: Utillimum videtur ut Communitates vel personae morales a Iure Canonico recognitae vel erectae « *incorporentur* » seu constituant *Corporationem legalem,* ad obtinendam personalitatem, cum iure civili adquirendi, administrandi et vendendi.

19. *De bonis*: Optimum et valde conveniens erit ut singuli Ordinarii

mercedem seu salarium fixum *determinent et solvant omnibus sacerdotibus,* in Dioecesi beneficium habentibus, cum independentia absoluta a Potestate civili, a voluntate fidelium, et a taxis administrationis solvendis. Prae oculis habeatur *optima* administratio Ecclesiastica Americae Septentrionalis.

20. *De bonis*: Utillimum videtur ut nominentur « Visitatores Apostolici » in re oeconomica valde periti, qui *singulis quinquenniis,* rationem requirant ex omnibus administratoribus ecclesiasticis.

21. *De habitu*: In votis omnium Praesulum et sacerdotum est necessitas *urgens reformandi praescriptiones* quae ad habitum talarem referuntur. Si possibile fuerit, debet tantum uti in functionibus sacris — in celebratione Missae — in administrandis sacramentis... sed numquam in viis publicis — in itineribus — in publicis spectaculis, dummodo semper et in omnibus utatur romano collare.

22. *Pensiones*: Ad solamen multorum sacerdotum utillimum et necessarium videtur ut determinetur *quantitas solvenda* sacerdotibus infirmis et senibus qui ordinati fuerunt ad « Servitium Ecclesiae », ad eorum honestam sustentationem.

23. Opportunum videtur creare normam iuridicam, secundum quam vel differentes Provinciae ecclesiasticae vel saltem differentes nationes possideant *centrum* Radiophonicum, Cinematographicum et Televisivum in quo producantur sic dicta programmata radiophonica, cinematographica et televisiva.

24. *De politicis*: Ubi, in quibus et quanta adest obligatio creandi — componendi — et assistendi factiones politicas cum doctrinali et catholico agendi fundamento.

✠ IOSEPH M. CUENCO
Archiepiscopus Iarensis

8

EXC.MI P. D. FLAVIANI ARIOLA
Episcopi Legaspiensis (Legaspi)

29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Infrascriptus Episcopus Legaspiensis in Insulis Philippinis, in futuro Concilio consideranda haec sequentia submittit:

1. Iusta et congrua pensio sacerdotum infirmitatibus laborantium vel senili aetate confectorum ab Ordinariis locorum et respectivis dioe-

cesibus solvenda, administrandaque vero a Sacra Congregatione Romana ad hoc constituta.

2. Creatio Sacrae Congregationis de *Actione Catholica.* Ad hanc Congregationem spectet dirigere, opportunas instructiones dare et fovere bonas relationes et mutuam intelligentiam clericos inter et laicos *in communi exercitio Apostolatus in territoriis S. C. de Propaganda Fide non obnoxiis.*

3. Simplificatio Officii Divini more et ritu Temporis Paschalis.

4. Observantia dierum de praecepto servandorum reducatur ad auditionem Missae tantum.

5. Uniformitas in caeremoniis functionibusque sacris.

6. Creatio institutionis internationalis catecheticae ad catechistas efformandos.

7. Administratio seminariorum minorum commendetur sacerdotibus saecularibus dioecesanis qualificatis vel in docendo peritis.

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mus in Christo,

✠ Flavianus Ariola
Episcopus Legaspiensis

9

Exc.mi P. D. ALEXANDRI OLALIA
Episcopi Lipensis (Lipa)

Die 4 iunii 1960

Excellentissime Domine,

Heic, quasdam animadversiones meas de rebus quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent ad hanc Pontificam Commissionem transmitto.

Excellentiae V. Rev.mae
humillimus servus

✠ Alexander Olalia
Episcopus Lipensis

Concerning the Sacraments:

1) That the Vernacular be used in the administration of the following Sacraments:

a) baptism;

b) matrimony;

c) eucharist;

d) extreme unction;

so that the meaning of the Sacraments be easily understood and thereby received by the faithful with greater devotion.

Besides, the *Rituale Romanum* for the administration of the above-mentioned sacraments must be shortened. It happens frequently that the number of children to be baptized, specially during the town feasts in honor of the patron saints, is too large for the parish priest without helper.

2) That the Vernacular be used in the Mass of the cathecumen and the faithful be made to answer the part of the server in the form of a dialogue.

3) That the eucharistic fasting whether concerning food or drink be shortened to an hour before Communion.

4) That ordinary leavened bread be considered licit and valid matter for consecration at Mass in urgent necessities.

Concerning the Breviary:

It is hereby suggested that the whole divine office be shortened to a length similar to that of the Paschal office and be fitting and accommodated to the needs and spiritual life of the clergy with care of souls.

✠ ALEXANDER OLALIA
Episcopus Lipensis

10

EXC.MI P. D. RUFINI J. SANTOS
Archiepiscopi Manilensis (Manila)

Manilae, 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ad tenorem communicationis Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959 cum Prot. N. 1 C/59-805 circa res tractandas in futuro Concilio Oecumenico, liceat infrascripto Archiepiscopo Manilensi indicare aliqua negotia et argumenta, necnon consilia et vota quae credit ipse convenienter respicere circumstantias locorum et temporis hodierni ac videntur expedire tractari in proxima universali legislatione ut in salutem animarum administratio bonorum spiritualium ac temporalium Ecclesiae melius expeditiusque provideatur.

Adnexum mittit exemplar animadversionum praedictarum infrascriptus spe ardens quod argumenta in bonum et profectum totius Ecclesiae Sanctae Romanae redundarent.

Omni quo par est obsequio, Eminentiae Vestrae quam reverentia prosequor permaneo

Addictissimus in Christo
✠ RUFINUS J. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

1. Parochis omnibus concedatur facultas delegandi ad audiendas confessiones quemlibet approbatum ad easdem audiendas in propria dioecesi aut quemlibet alium sacerdotem documento « celebret » munitum.

Vel: Sacerdotes omnes iurisdictione ad confessiones excipiendas praediti in aliquo loco, possint ubique terrarum quoscumque fideles sibi accedentes absolvere.

2. Simplificentur caeremoniae collationis Sacramenti Baptismi.

3. Quilibet parochus gaudeat facultate adhibendi formulas benedictionis omnes reservatas quibusdam Congregationibus et Ordinibus Religiosis.

4. Decidatur quaestio de « Reviviscentia Sacramentorum » tum quoad numerum eorum quae possint reviviscere tum quoad leges quibus horum reviviscentia regatur.

5. Liceat cuilibet sacerdoti Missam litare Feria V in Coena Domini, ianuis Ecclesiae clausis.

6. In genere, simplificetur legislatio Ecclesiae, quemadmodum Ipse Summus Pontifex optandum esse iam dixerat. In specie simplificetur Sacra Liturgia, praesertim Officium Divinum clericorum, saltem Dominicis aliisque diebus de praecepto, cum Parochi, omnesque in genere sacerdotes maiori labore onerantur.

Aut saltem iisdem diebus, aliisque, quotiescumque tum ministeria sacerdotalia tum itinera eorumque causa suscepta ad quinque horas protrahantur, sacerdotes omnes facultate fruantur commutandi divinum officium in tertiam partem rosarii mariani; et haec « sub levi » tantum obliget.

7. Facilior reddatur observantia Praecepti Paschalis, ita ut illud servare liceat ea anni die quae cuique placeat.

8. Supprimantur dies omnes de praecepto quae intra hebdomadam incidant, idemque transferantur ad proximam Dominicam. Saltem hoc

fiat in nationibus illis in quibus gubernium hos dies de praecepto non agnoscit. Aut, si isti dies de praecepto intra hebdomadam retineri debeant, supprimatur in illis nationibus obligatio abstinentiae a labore servili.

9. Clarificetur relatio quam Tertii Ordines, Sodalitates Marianae et Piae Associationes habent cum Actione Catholica.

10. Relinquatur meliori iudicio Ordinariorum ut laicis conferant munera diaconatus, quin iisdem conferatur ipsum Sacramentum.

11. Praeterea, quotiescumque Sacramenta Baptismi, Matrimonii, Extremae Unctionis, Communionis et Confessionis *pluribus* (i. e. plus quam *tribus*) conferantur, forma brevior et simplicior adhiberi concedatur. Preces et caeremoniae omnes (aliquibus exceptis in Baptismo, ut infra) *semel* pro omnibus, plurali numero, peragantur; et sacramentalis formae tantum verba essentialia *singulariter singulis* iteranda sint.

In Baptismo vero, etiam *singulariter singulis* repetantur collatio salis, unctiones oleo catechumenorum et sacro chrismate, candidae vestis impositio et accensae candelae traditio: sed haec omnia immediate ante aut immediate post ablutionem ipsam baptismi peragantur. Sic procedatur: primo, preces omnes recitentur super omnes baptizandos simul, iis exceptis quae comitantur actiones supra memoratas; deinde, unumquemque baptizandum accedentem, sacerdos sale muniat, oleo catechumenorum *in fronte* tantum (non in pectore et inter scapulas) ungat, aqua lustrali baptizet, et sacro chrismate summum caput liniat. Deinde, vestem candidam et candelam accensam tradat unicuique. Sed praeter verba essentialia Baptismi quae *singulariter singulis* repetenda sunt, ceterae omnes preces et formulae, numero plurali, semel pro omnibus adhibeantur.

12. Item, facultas concessa parochis ad sacramentum Confirmationis ministrandum infirmis in periculo mortis constitutis, extendatur omnibus sacerdotibus pro omnibus fidelibus suae ditionis, in eodem periculo mortis et servatis de iure servandis.

✠ RUFINUS J. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

11

EXC.MI P. D. LINI R. GONZAGA Y RASDESALES

Episcopi Palensis (Palo)

5 de mayo de 1960

Eminentisimo Padre,

En contestacion a la comunicacion de esa Comision sobre proposiciones para el Concilio Ecumenico, respetuosamente he de informar a Su Eminencia que no he preparado ninguna proposicion. Los problemas que tengo en la Diocesis no son de materia disciplinaria ni doctrinal sino son mas bien del terreno practico. La necesidad de preceptos administrativos se ha resuelto con el Concilio Plenario que tuvimos en Manila hace algunos años.

Sin embargo durante el Concilio pienso apoyar algunas reformas en favor del movimiento liturgico que se han propuesto a esa Comision.

Con los sentimientos de mi mas alto aprecio y profundo respeto, me suscribo,

De Su Eminencia Reverendisima
atto. servidor en Cristo,

✠ LINO R. GONZAGA Y RASDESALES
Obispo de Palo

12

EXC.MI P. D. THEOPISTI ALBERTO Y VALDERRAMA

Episcopi Sorsogonensis (Sorsogón)

Die 1 septembris, 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Magnopere Nobis placet gratulari Tibi ob tantum honorem praesidendi huic Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico Tuae Eminentiae a Sua Sanctitate fiducialiter collatum. Utinam, sicut enixe precamur, iubeat Deus felicem Tuo perdifficili muneri fungendo successum.

Uti Nobis rogatum est in Tua littera diei 18 iunii, 1959, exploratis

opinionibus et consiliis virorum ecclesiasticorum peritia ac prudentia notorum, liceat mihi sequentia proponere:

1. Ad can. 339 § 2: Ut reducantur Missae « Pro Populo » ita ut celebrentur tantummodo bis in mense.

2. Ad can. 823 § 2: Ut concedatur usus *antimensii* in celebratione missarum extra ecclesiam ad exaugurationes altarium portatilium praecavendas ex fractura petrae persaepe occurrentes in itinere ad pagos.

3. Ad can. 1271: Ut permittatur pro usu communi quodcumque oleum vegetale in lampade coram Sanctissimo, similiter et cera non de cera apum confecta sed ex qualibet materia apta in Missa et coeteris aliis functionibus liturgicis.

4. Ad can. 1096: Ut, ad praecavenda innumera dubia de valore matrimonii, Vicarii Cooperatores gaudeant delegatione assistendi matrimonio, nisi Ordinarius loci pro vicario cooperatore particulari aliud expresse caveat.

5. Ad can. 1333: Ut Ordinarius loci, suo iudicio de necessitate, possit requirere auxilium religiosorum, etiam exemptorum, ad catecheticam puerorum instructionem et teneantur illam pueris tradere sive in paroecia ubi degant, sive in paroeciis propinquioribus, et praesertim in propriis ecclesiis, sine tamen regulari disciplinae detrimento.

6. Ad can. 1345: Ut sacerdotes religiosi, etiam exempti, Ordinarii loci iudicio et ab ipso requisiti, teneantur adiuvare paroeciam ubi degant et paroecias propinquiores, sive in civitatibus, sive in pagis, praesertim in missa litanda et praedicatione sacra diebus dominicis coeterisque festis de praecepto, dummodo tamen non sit in detrimentum disciplinae regularis.

7. Ad Rituale Rom., Tit. II, cap. 5. n. 16: Ut omnino eliminetur applicatio salivae ad aures et nares in baptismate.

8. Ad Rituale Rom., Tit. III, cap. 2, n. 3: Ut formula post absolutionem sacramentalem, scilicet: « Passio Domini Nostri Iesu Christi... etc. », recitetur in plurali semel pro quinque vel plus poenitentibus in magno concursu ubi desit copia confessarii.

9. Ad Missale Rom., Ritus Servandus in celebratione Missae, X, n. 5: Ut ablutiones post sumptionem Sanguinis fiant tantummodo cum aqua.

10. Ad Decretum S. C. Rit., Mar. 23, 1955: Ut reducantur ritus festorum solummodo in classicos (primi vel secundi ordinis) et simplices, ita ut tantum iuxta modum horum rituum divinum recitetur officium absque additamentis aliisve complexitatibus mechanicis quae valde detrahunt ab attentione in officio divino requisita.

Lubeat Eminentiae Tuae Reverendissimae has animadversiones su-

pra traditas excipere una nostris cum votis ac precationibus coram Domino humillimis pro Tuae Eminentiae Reverendissimae Conciliique Oecumenici faustis quibusque

Me interim profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae

Add.mus

✠ THEOPISTUS ALBERTO Y VALDERRAMA
Episcopus Sorsogonensis

13

EXC.MI P. D. CAROLI VAN DEN OUWELANT
Episcopi Surigensis (Surigao)

31 martii 1960

Eminentissime Domine,

Omni qua par est humilitate Eminentiae Vestrae nostra vota, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, subicimus:

Doctrinae Capita

Quaerendum num declarari potuerit: Dogma:

1) Beatae Mariae Virginis Co-Redemptricis, quonam sensu?

2) Beatae Mariae Virginis Mediatricis omnium gratiarum.

3) Sancti Iosephi casti Sponsi Beatae Mariae Virginis vel etiam Perpetuae Castitatis Sancti Iosephi.

De Administratione Sacramentorum

1. Permissio omnibus Sacerdotibus curam animarum habentibus, etiamsi Vicarii tantum, administrandi Sacram Confirmationem omnibus in gravi infirmitate laborantibus.

2. In administratione Sacramentorum in extrema infirmitate, in casibus in quibus Sacramentum Paenitentiae, Viaticum, Extrema Unctio et Benedictio Apostolica simul administrantur, petitur ut sufficiat « Confiteor » semel tantum recitare.

3. Petitur ut in ordine supplendi omissa super infantem iam baptizatum, eliminetur exorcismus diaboli.

Quoad linguam vernaculam

1. Petitur, ut in Sacro Missae Sacrificio retineatur lingua latina in omnibus partibus.

2. In administratione Sacramentorum petitur permissio utendi lingua vernacula in maiori parte ad aedificationem fidelium, ad libitum tamen sacerdotis administrantis, exclusa tamen semper forma sacramentorum. Nota: Ad libitum, ita ut sacerdos uti possit lingua latina, in casibus in quibus plurimi infantes simul baptizatur.

3. Insuper in ritu nuptiali quoad pertinet ad benedictionem nuptialem intra Missam, petitur permissio utendi lingua vernacula in aliqua forma abbreviata.

4. In ritu exsequiali petitur permissio utendi lingua vernacula quoad omnes partes.

De Festis de Praecepto

1. Abrogatio legis (can. 1248) abstinendi ab operibus servilibus in festis de praecepto, exclusis diebus dominicis ac festo Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, firma tamen obligatione audiendi Missam.

2. Definitio operum servilium, quae diebus festis prohibentur.

De dispensationibus, de quibus in can. 1045

1. Petitur ut in canone 1045 § 3, eliminetur restrictio: « sed solum pro casibus occultis ».

Argumentum: Numerositas casuum publicorum.

2. Ut haec facultas insuper extendatur ad omnes sacerdotes qui matrimonio assistere possunt.

Argumentum: In his regionibus casus saepe magis urget in locis a sede paroeciali dissitis, quae a vicariis visitantur.

De Institutione canonica parochorum

Petitur ut eliminetur can. 1406 § 2.

Argumentum: Institutio canonica nimis frequens in his regionibus missionum.

De Breviario

1. Petitur simplificatio breviarii pro sacerdotibus qui operibus paroecialibus valde onerati sunt, e. g. ut sufficere possit recitare Laudes et Vesperas certis diebus festis, vel diebus patronalibus, etc.

2. Valde opportunum videtur aptandi Breviarium menti nostrae aetatis.

De Architectura

1. Petitur ut a Sancta Sede dentur instructiones seu normae quoad locum altaris maioris intuitu constructionis ecclesiarum in futuro.

2. Quenam sit mens Sanctae Sedis quod attinet ad celebrationem Missae a Sacerdote verso ad populum.

De diaconis matrimonio iunctis

In controversia de adhibendo in servitio paroeciali etiam diaconos matrimonio iunctos:

a) Adsunt nonnulli etiam inter nos qui partem affirmativam fovent.

b) Maior numerus sacerdotum parti negativae (quantum ad nos spectat) adhaeret, asserens rem plenam esse periculorum, i. e.:

1) status pelliciens sacerdotes, quibus non licet matrimonium contrahere;

2) Insufficiens supervisio et regimen, quibus isti diaconi moderantur;

3) admiratio populi (saltem temporaria).

c) Adest forsan solutio, si Sanctae Sedi placebit, in quantum institutum in aliqua natione, penuria sacerdotum laboranti, experiatur.

Humiliter et omni qua par est reverentia,

* * *

15 iunii 1960

Eminentissime Domine,

Omni qua par est humilitate Eminentiam Vestram rogamus, ut elencho votorum nostrorum, quae die 31 martii 1960 subicimus, hae observationes quae sequuntur, addantur:

Character Missionalis Ecclesiae

Omnibus patet, quod numerus sacerdotum et sororum religiosarum in variis nationibus multum differt: dum abundat clericorum et sororum numerus in Neerlandia, Belgio, Irlandia, etc. adsunt aliae nationes non paucae (Francia, Brasilia, Insulae Philippinae, etc.), quae penuria cleri premuntur.

Sunt plurimi missionarii qui his temporibus vocationis causa in patriam redeunt, qui animadvertunt quod ardor missionalis paulatim de-

crescat. Superiores religiosi (religiosae), nisi fallor, nimis procurare videntur, ut omnibus necessitatibus localibus plenissime provideatur.

Optandum est, ut Patres Concilii sub Pontificis auctoritate, memores verborum « docete *omnes* gentes » his rebus occurrant, ut character *missionalis* Ecclesiae Universalis denuo innovetur.

Vocationes ad sacerdotium

In prae-eminentissimo labore ad vocationum numerum augendum, multi abusus surrepere videntur. Contentio inter clerum saecularem et religiosum, et inter ipsas societates religiosas, plerumque non tendit ad aedificationem.

Procuret etiam Concilium ut abusus arceantur.

Humiliter et omni qua par est reverentia,

✠ CAROLUS VAN DEN OUWELANT
Episcopus Surigensis

14

EXC.MI P. D. EMMANUELIS MASCARIÑAS Y MORGIA
Episcopi Tagbilarani (Tagbilaran)

18 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Humiliter Vos adprecor nobis patienter veniam impertire ob incuriam in litteris vestris respondendis, quibus rogabantur animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent. Visitationes Pastorales apud paroecias tunc a Nobis faciendae nos inde ab aedibus Curiae frequenter abduxerunt.

Omnibus quae sint alicuius beneficii pro toto orbe fidelibusque praecipue in futuro Concilio pertractandis atque acceptandis assensum et adhaesionem profiteor. Quod ad nostram Dioecesim attinet in innovatione aut reformatione consideranda, nobis saltem usque nunc praescripta legesque Ecclesiae universalis vigentes valere atque convenire adhuc videtur, simplici natura gregis nostrae rusticae spectata.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor atque profiteor

Eminentiae Tuae
add.mum
✠ EMMANUEL MASCARIÑAS Y MORGIA
Episcopus Tagbilaranus

15

EXC.MI P. D. THEODULPHI DOMINGO Y SABUGAL
Episcopi Tuguegaraoani (Tuguegarao)

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Humillime suggero ut sequentia in futuro Concilio Oecumenico tractentur, scilicet:

a) ut obligatio festorum de praecepto extra diem dominicam cadentium, in diem dominicam sequentem transferantur;

b) ut leges ferantur quibus sacerdotes dioecesani adstringantur ad modum vivendi aliquomodo similem modo vivendi religiosorum, ita ut fiant « semi-religiosi » tum quoad vitam tum quoad bona ex ministerio percepta; e contra religiosi in paroeciis et missionibus laborantes magis adsimilentur clero dioecesano, ut suum apostolatum melius satisfacere possint;

c) ut magis urgeatur potestas Ordinariorum supra religiosos in dioecesibus suis laborantes.

Eminentiae Tuae omnia fausta a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ THEODULPHUS DOMINGO Y SABUGAL
Episcopus Tuguegaraoanus

16

EXC.MI P. D. ALOYSII DEL ROSARIO
Archiepiscopi Zamboangensis (Zamboanga)

E civitate Zamboangensi, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratus accepi litteras a Vestra Eminentia die 18 iunii 1959 datas ac Prot. N. 1 C/59-1496 signatas, quibus V. E. me rogabat ut Pontificiae isti Commissioni communicare vellem animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum suggerant, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Re igitur mature perpensa ac Deo enixe commendata, en elenchus eorum quae utiliora atque urgentiora mihi videntur pro bono Ecclesiae et animarum:

De origine divina iurisdictionis Episcoporum. Quaestio in Conciliis Tridentino et Vaticano iam agitata, sed minime decisa fuit. In praesentibus autem rerum adiunctis, eadem proponi denuo potest considerationi Patrum futuri Concilii ut, si ita ipsis videatur, solutione aliqua in fontibus revelationis fundata quaestio dirimatur.

De adaptatione Sacerdotum. Quo melius, ad Dei gloriam et universale Ecclesiae bonum, Sacerdotes ex propria patria in alias regiones demigrantes adlaborare possint, necesse est ut quisque variis locorum conditionibus ac moribus sese accommodet. Optandum igitur est ut lege aut decreto aliquo provideatur ne Sacerdotes *extranei,* sive saeculares sive religiosi, propriae nationi mores cum scandalo fidelium retineant, v. gr. in vestibus laicalibus deferendis, in spectaculis publicis adeundis, etc.; sed, omnia omnibus facti, induant potius mores modumque vivendi eorum quorum cura animarum sibi committitur, ac fideliter observent leges in territorio vigentes eodem modo ac reliqui Sacerdotes dioecesani.

De lingua latina servanda. Licet nihil obstet quominus, iuxta recentiora Sanctae Sedis indulta, lingua vernacula adhibeatur in administratione quorumdam Sacramentorum et Sacramentalium; pro viribus enitendum est ut lingua latina intacta servetur in celebratione Sacrificii Missae et recitatione Officii divini, nedum ad disciplinam ecclesiasticam servandam sed etiam ad fidei puritatem tutandam.

De Breviarii emendatione. Expedit ut supprimantur officia Sancti Anacleti Papae et Martyris (die 13 iulii) aliorumque Sanctorum, de quorum realitate seu existentia solida ratio dubitandi habetur.

In lectionibus autem historicis Sanctorum, pariter supprimantur:

a) Ea quae verisimilia non apparent, devotionem non afferunt, hilaritatem in nonnullis excitant. Exempli gratia in lect. 6 Sancti Patricii (die 17 martii) « Aiunt enim... in qualibet Hora diei canonica centies se crucis signo munire. Noctem tria in spatia distribuens, primum in... et bis centies genuflectendo »;

b) Ea quae usibus hodiernis repugnant. V. gr. in lect. 5 officii Ss. Philippi et Iacobi App. (die 11 maii): « Iacobus... numquam tonsus est, nec unguento nec balneo usus »;

c) Ea quae ludibrio et irrisioni ipsorum Sanctorum cedunt. V. gr. in lectione olim recitanda Sancti Hilarionis Abbatis (die 21 octobris): « Nec vero saccum, quo semel amictus est, umquam aut lavit aut mutavit... ».

De reformatione Missalis et Pontificalis Romani. In Missali Romano

breviori forma redigendae sunt Missae dicendae in Feriis Quartis et Sabbatis Temporum, in Feria Quarta post Dominicam IV Quadragesimae, necnon in Feria Quarta Maioris Hebdomadae. Supprimantur oportet orationes pro Imperatore, additis earum loco orationibus pro res publicas moderantibus, ut in Ordine Hebdomadae Sanctae instaurato factum est.

In Pontificali Romano variationes et additiones ita sunt inducendae ut, obsoletis suppressis, novae ad manum habeantur preces novique ritus hodiernis necessitatibus accommodati.

De uniformitate in temporibus sacris observandis. Cum magna hodie facilitas omnibus praesto sit alio eundi ac de facto plurimi in quavis mundi plaga inveniantur advenae et peregrini, expedire visum est pro bono animarum ut uniformitas, quoad fieri possit, inducatur in temporibus sacris observandis. Imminuto igitur numero dierum festorum necnon dierum abstinentiae et ieiunii, ac suppressis omnibus indultis particularibus, proponitur ut una eademque disciplina *ubique* vigeat tam in festis de praecepto quam in ieiunio et abstinentia sub peccato observandis.

Atque haec sunt quae de argumento supra memorato manifestanda habeo.

Hancque nactus occasionem, sensus aestimationis meae erga Eminentiam Vestram Reverendissimam ex corde sincereque profiteor

Infimus in Christo servus
✠ ALOYSIUS DEL ROSARIO
Archiepiscopus Zamboangensis

17

EXC.MI P. D. PEREGRINI DE LA FUENTE

Episcopi tit. Mylasensis, Praelati nullius Batanensis et Babuyanensis

(Batanes e Babuyàn Islands)

31 augusti 1959

Excellentissime Domine,

Litterae Vestrae receptae fuerunt in ista segregata missione Batanense intra mensem ab eius emissione.

Frequenter sine communicatione sumus in tempore isto et aliquando caelum est valde turbatum.

Factum est quod nobis possibile est.

Responso facto et aliquibus observationibus adnotatis secundum nostram opinionem et inhabilitatem, oro pro Papa Nostro Ioanne XXIII pro bonoque exitu Concilii.

Excellentiae Tuae Reverendissimae
Addictissimus

✠ PEREGRINUS DE LA FUENTE, O. P. D. D.
Episcopus tit. Mylasensis
Praelatus nullius Batanensis et Babuyanensis

I. Quoad theologicum principium: « *Extra Ecclesiam nulla salus* », conveniens videtur ut principii doctrina clare elucideretur, et quae in illo continetur veritas explicetur in varias propositiones quibus, quatenus sit possibile, dirimantur quaestiones circa sensum enuntiati principii.

II. *Quoad absolutionem dandam poenitenti recidivo.*

Doctores theologiae morum conveniunt theoretice quoad rationem agendi quam confessarius servare debet cum poenitente *formaliter recidivo*. Sed cum e theoria ad praxim gressus fit quae cum poenitente hic et nunc servari debet, multi videntur concludere absolutionem nemini denegandam vel etiam differendam esse; immo asseritur a quibusdam huiusmodi poenitentem, qui ad confessarium libere et spontanee accedit, quotiescumque ita accedat absolvendum esse.

Huiusmodi praxis, si una ex parte arduum laborem et munus confessarii reddit ipsi facilius, aliunde videtur magnum implicare periculum nullitatis sacramenti ob defectum contritionis aut etiam vere attritionis.

Unde videtur expedire ut disciplina sacramentalis in hoc determinetur.

III. *De obligatione catholicorum frequentandi scholas catholicas, itemque parentum mittendi filios ad illas scholas.*

Facilior hodie opportunitas pro multis existens scholas superiores adeundi, pro studentibus catholicis eorumque parentibus non leve periculum attulit. Etenim, sive propter defectum catholicarum scholarum superiorum in regione, sive propterea quod catholicae, quae sunt, scholae non easdem materiales convenientias aut opportunitates praebent, sive ob alias minoris vel etiam levissimi ponderis rationes, multi catholici scholas frequentant laicas vel neutras, nulla ratione habita, vel illorum

illico ratione dimissa, sive divini praecepti fidei ac recti moris pericula vitandi, sive etiam normarum hac de re ab Ecclesia editarum.

Unde consequitur crassa ignorantia religiosa multorum catholicorum, qui alias bene exculti sunt, vel eorum indifferentismus religiosus in praxi, et certe omnimoda eorum incapacitas fidem defendendi contra impugnationes inimicorum.

IV. *In re sociali.*

Conveniens quoque videtur ut Concilium Ecclesiae in materia quaestionis socialis, quam dicunt, non solum doctrinam sed etiam rationem agendi, praesertim virorum ecclesiasticorum, aperte enucleare et determinare, praesertim habita ratione missionis Ecclesiae.

Saepe adversarii Ecclesiam accusant quod divites colat, neglectis illis qui egestate laborant; at nonnumquam etiam improbant alii quod bellum inferat in eos, qui opibus affluunt, ut iis faveat qui carent divitiis.

Quandoque videtur Ecclesiam, rectius dicam aliquos ecclesiasticos viros, cum Statu contendere ut materialium rerum abundantiam civibus procurent; ita ut ipsi sine sensu ducantur nostri temporis perniciosa et diffusa nimis aspiratione beatitudinem in hac vita acquirendi terrenam, et quasi oblitos esse quid primario sit finis Ecclesiae, atque corporalis misericordiae opera nihil aliud esse quam fructus superabundantis vitae spiritualis.

V. *Divisio Paroeciarum.*

In divisione paroeciarum debemus considerare quod est necessarium ad bonam administrationem paroeciae et bonum spirituale omnium fidelium non utilitatem paucorum cum detrimento fidei et salutis animarum.

Videtur quod aliquando paroeciae sunt valde populatae specialiter hoc est verum in magnis civitatibus parochi et sacerdotes aggregati non possunt cognoscere et curare de bona administratione paroeciae et de necessitate fidelium. Multi fideles non habent contactum cum paroecia vel sacerdote, numquam vel raro. Aliquando inveniuntur sacerdotes et religiosi qui possunt curare et administrare novas paroecias et designare domos religiosorum. Quod dictum est de divisione paroeciarum aliquando verum est etiam de divisione Dioecesium vel Praelaturarum.

VI. *Subsidium missionibus non stricte sub Propaganda Fidei.*

Iurisdictiones Ecclesiasticae quae sunt in magna necessitate sed non sub Propaganda Fide debent participare aliquo modo de subsidio Ec-

clesiae et si necessarium est formetur commissio specialis in Urbe ad curandum de istis missionibus.

In aliquibus regionibus etsi incolae omnes sint catholici vel ad maioritatem, tamen frequenter vivunt in magna paupertate, in magna ignorantia et in magno periculo perversionis quia propaganda protestantium est valde activa in istis regionibus.. Episcopus et sacerdotes non habent in multis casibus quod est necessarium ad vitam ducendam et ad conservandam fidem.

✠ PEREGRINUS DE LA FUENTE, O. P. D. D.
Episcopus tit. Mylasensis
Praelatus nullius Batanensis et Babuyanensis

18

EXC.MI P. D. GERARDI MONGEAU

Episcopi tit. Dianensis, Praelati nullius Cotabatensis (Cotabato)

9 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Ad respondendum Tuis litteris diei 18 iunii 1959 et quidem 21 martii rogantibus ut communicarem animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, nunc operam dabo.

Si non immediate responsum feci litteris diei 18 iunii 1959, Te rogo hoc non attribuere causae negligentiae, sed potius errori. Mea fuit praesumptio si nullae darentur animadversiones faciendae ex parte mea, nulla obligatio respondendi adesset.

Sincere, non ausus sum me considerare sufficienter peritum hac in re. Non dantur difficultates omnino speciales in nostra Praelatura Cotabatensi. Certe alii Principes Ecclesiae magis periti de maximis problematibus quae afficiunt Ecclesiam nostris temporibus optime tractabunt. Haec fuit causa abstinendi a responsione facienda Tuis primis litteris.

Quamvis, adhuc post secundas litteras Tuas acceptas, sentio profundam meam incompetentiam his in materiis, sequentes animadversiones humillime scriptis mando.

1. In privata recitatione Officii Divini ut optio concedatur legendi idem aut in lingua latina aut in lingua vulgari.

2. Adhuc lingua latina in Sacrificio Altaris celebrando retenta, ta-

men illae partes Missae pertinentes maxime ad christifidelium instructionem legantur in lingua vulgari, et quidem cum facie versa ad populum.

3. Ut benedictiones et ritus Sacramentorum, prout in Rituali Romano, recitentur aut latine aut lingua vulgari.

4. Ut caeremoniae sponsalium casu matrimonii mixti locum teneant in Ecclesia, etsi minore cum pompa quam in matrimoniis inter catholicos. Si sponsa sit catholica, benedictio nuptialis danda erit.

5. Ut obligatio publicandi bannos sit minus stricta.

6. Ut vestis talaris, propria clericis, adhibenda sit tantum in Ecclesia et domi sed ut vestis aliqua saecularis, atque conveniens quando exeunt clerici. Aliqua uniformitas deberet tamen existere ubique in mundo.

7. Ut nulla foemina, ne quidem mulier aut soror sacerdotis, habitetur in eadem domo cum sacerdotibus.

8. Ut omnes congregationes Sacerdotum, Fratrum atque Sororum religiosarum obligentur mittere numerum quemdam determinatum membrorum in missiones infidelium ad propagandam Fidem Catholicam.

9. In aliquibus patriis ubi vere desunt cleri, quaestio sat delicata permittendi Matrimonium candidatis sacerdotii, vel saltem diaconati, deberet prudenter considerari ut satisfierent necessitates spirituales horum populorum iam catholicorum.

10. Ut vocationes indigenae omnino diligenter curentur ab omnibus in terris missionum, praesertim ubi spiritus nationalismi atque anti-colonialismi adeo fortis est. Ad bonum Ecclesiae vocationes deberent admitti tam in clero regulari quam in clero saeculari.

11. Ut educatio Catholica, praesertim superior, nempe Universitaria, favenda sit in nationibus ubi evolutio civilizationis nondum plene pervenit. Non sufficit educatio primaria et secundaria, quia maxima mala efficiuntur durante hoc ultimo stadio educationis.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ GERARDUS MONGEAU, O.M.I.
Episcopus tit. Dianensis
Praelatus nullius Cotabatensis

19

Exc.mi P. D. HENRICI BYRNE

Episcopi tit. Lamiani, Praelati nullius Ibani (Iba)

August 8, 1959

Most Holy Father:

The forthcoming General Council of the Church, happily announced by Your Holiness, has evoked joy and enthusiasm throughout the Catholic world. The invitation to all Christian groups to join in the Council, has given rise to the hope that the dissident Christian churches, and particularly our separated brethren of the East, may be encouraged to return to union in the One True Church, through acceptance of the divinely constituted authority of the Bishop of the See of Rome.

Because of the general acceptance, in both East and West, of devotion to Our Mother of Perpetual Succour, it has been suggested that the forthcoming General Council of the Church be placed under the patronage of the Mother of God, invoked under that title. The common love uniting both East and West in devotion to the Mother of Perpetual Succour, may well be the bond to draw our dissident Eastern brethren back to the shelter of the True Fold, whose earthly Shepherd is the Successor of St. Peter, the Vicar of Jesus Christ.

Prostrate, therefore, at the feet of Your Holiness, I humbly petition that the Mother of God, invoked under the title of " Mother of Perpetual Succour ", be proclaimed special Patroness of the forthcoming General Council of the Church.

In presenting this petition, I renew my profession of loyalty and obedience to the Holy See, and humbly kissing the feet of Your Holiness, I declare myself,

Your Holiness' devoted servant in Christ,

✠ Henricus Byrne
Episcopus tit. Lamianus
Praelatus nullius Ibanus

20

EXC.MI P. D. PATRICII SHANLEY

Episcopi tit. Sophenensis, Praelati nullius Infantensis (Infanta)

Infanta, die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Epistula tua, Prot. N. 1 C/59-1527 sub die 18 iunii 1959 e Civitate Vaticana data, valde sero Infantam pervenit, propter nimiam distantiam quae humilem locum istum a magnis humanae communicationis arteriis longe separat.

Ideo habeas me excusatum si praesentes litterae cum aliqua mora Urbem petant.

Valde gaudeo de inusitata opportunitate quam mihi offers ut libere ac sincere mentem meam pandam circa quaedam ecclesiasticae disciplinae puncta quae meo iudicio reformatione aliqua indigent. Opiniones meas humiliter ac reverenter Patribus proximi Oecumenici Concilii propono ac submitto, ut ipsi, opitulante Dei Virtute, easdem attente considerent et examinent, ad maiorem Dei gloriam necnon ad incrementum Mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia toto orbe diffusa.

1. Nihil antiquius Ecclesia Dei habuit quam ut Christifideles ad Redemptionis fontes accedant ut ibi novas vires hauriant ad spiritualium hostium insidias propugnandas ac debellandas.

Omnino compertum est fideles ad fontes Redemptionis accedere per devotam participationem Sacrificio Crucis quod in dies super altaria totius mundi renovatur per ministerium sacerdotum in celebratione Missae atque per fructuosam receptionem Sacramentorum Novae Legis.

Tamen similiter compertum est linguam latinam, quae hodie a maxima parte fidelium plane nescitur aliquod impedimentum afferre devotae fidelium participationi sacrificio Missae necnon fructuosae receptioni Sacramentorum. Ideo in votis est ut usus linguarum localium seu vernacularum, quae a fidelibus bene intelliguntur, permittatur ac foveatur in administratione omnium Sacramentorum atque etiam in oblatione Missae, saltem in iis pericopis quae natura sua ad instructionem fidelium sunt destinatae, ut exempli gratia, antiphonae Introitus, Gradualis, Offertorii, Communionis, necnon Epistulae ac Evangelia.

Huiusmodi concessiones nullum nocumentum afferent dignitati linguae latinae quae semper erit lingua officialis universalis Ecclesiae et simul erit symbolum unitatis omnium Christifidelium.

2. Uniformitas in habitu ecclesiastico deferendo et extra templa et

citra functiones religiosas (in quibus habitus talaris praescribitur) maximam habet influentiam in animos fidelium.

Revera talis uniformitas in Ecclesia nondum viget, quia in differentibus nationibus, traditiones et observantiae differentes vigent.

In votis est, ut istis temporibus quibus peregrinationes usque ad longinquas regiones frequentes et faciles evaserunt, pro omnibus clericis universae Ecclesiae aliqua forma seligatur habitus ecclesiastici extraliturgici et ab omnibus stricte induendi ac gestandi in publicis viis et in omnibus itineribus arripiendis. Simul in votis est ut talis forma habitus ecclesiastici sit valde simplex, dignitati clericorum consona ac usibus communibus revera accomodata.

3. Valde dolendum est quod in quibusdam regionibus numerus sacerdotum sive saecularium sive regularium insufficiens sit ad animarum curam cum fructu exercendam. E contra, in aliis regionibus sacerdotes utriusque cleri reapse abundant.

In votis est ut in Sancta Ecclesia aliqua institutio seu organum quoddam condatur, cuius officium erit sacerdotes saeculares vel ad societates status perfectionis pertinentes aequaliter et accurate distribuere per universum orbem terrarum, ita ut omnes homines ad agnitionem veritatis possint venire et sacramenta salutis recipere.

4. Sancta Mater Ecclesia Regulares Ordines et complures Religiosas Congregationes ac Societates vitae communis, privilegio exemptionis prudenter honestavit ad monasticam disciplinam fovendam et ad nocivas innovationes a religiosis domibus avertendas et fugandas.

Tamen in practica applicatione huius privilegii, obscuritates vel incertitudines quaedam inveniuntur, speciali modo quando sacerdotes exempti ad curam animarum exercendam sunt deputati sub directione Ordinarii locorum. Maximae difficultates praeterea inveniuntur in administratione et distributione bonorum immobilium vel mobilium vel pecuniarum in iis paroeciis et missionibus quae religiosis exemptis creditae sunt.

In votis est ut opportunae leges condantur quae, privilegio exemptionis integro remanente, administrationem ecclesiasticam in paroeciis et missionibus exemptis religiosis concreditis simpliciorem et clariorem reddant pro bono pacis fidelium, religiosorum et Ordinariorum locorum.

5. Codex Iuris Canonici lucide enumerat dies et tempora quibus fideles ieiunium et abstinentiam observare debent.

In praxi tamen, propter graves rationes, complures dispensationes, derogationes, mitigationes passim elargiuntur sive permanenter, sive per modum actus, ab Apostolica Sede et ab Ordinariis cuiuscumque gradus,

linguae et nationis, ad normam Iuris, ita ut cum omnimoda certitudine dici potest leges Codicis nullibi integre vigere.

In votis est, ut dies abstinentiae et ieiunii numero minuantur, ad dispensationis causas abigendas. Necnon dies abstinentiae et ieiunii clarissime enuntientur et numquam mutentur, ita ut fideles dies illos facile dignoscant et in praxi nullo dubio agitentur et confundantur.

6. In quibusdam locis consuetudo invaluit pueros confirmandi immediate post susceptum Baptismum, ut in Insulis Philippinis, in America Latina et in Ecclesia Orientali.

Melius esset ut consuetudo ista supprimeretur in favorem praescriptionis Codicis Iuris Canonici ita ut pueri confirmentur post adeptum usum rationis, ad uberiores fructus sacramenti recipiendos.

Enimvero rationes quae afferri solebant in favorem praedictae consuetudinis nullam vim prae se ferunt praesentibus temporibus. Numerus episcoporum valde auctus est sive in Insulis Philippinis sive in America Latina. Visitatio Episcoporum praesenti tempore non tam rara est sicut anteactis saeculis. Praeterea itinera faciliora evadunt in dies, et pueri possunt confirmari ad normam Iuris.

7. Privilegium a Pio XII concessum sacramentum Confirmationis administrandi a parochis iis qui in articulo mortis versantur, quando Episcopus advocari commode nequit, valde opportunum est.

Tamen in votis est ut istud privilegium extendatur omnibus sacerdotibus qui legitime ad ultima sacramenta administranda vocantur. Enimvero in quibusdam paroeciis quae late patent et extraordinario numero fidelium ditantur, valde difficile est vocare parochum singulis vicibus quibus eius praesentia et ministerium requiritur pro conferendo sacramento Confirmationis.

Ista sunt puncta quae considerationi Patrum Oecumenici Concilii humiliter propono. Et Deus qui omnipotenti Sua virtute Ecclesiam suam multiplici protectione per saecula inter varias vicissitudines tutavit, gratia illuminationis Suae mentes nostras dignetur illustrare ut possimus cogitare quae recta sunt et quae ad aedificationem Corporis Christi quod est Ecclesia maxime congruunt.

Ad osculum sacrae Romanae Purpurae devote inclinatus, benedictionem tuam enixe imploro pro me et pro universo grege Infantensi mihi commisso.

Eminentiae tuae devotus in Christo servus.

✠ PATRICIUS HARMAN SHANLEY, O.C.D.
Episcopus tit. Sophenensis
Praelatus nullius Infantensis

21

Exc.mi P. D. PATRICII H. CRONIN

Episcopi tit. Ubazensis, Praelati nullius Ozamisani (Ozamis)

Ozamis, die 26 augusti 1959

Emin.me ac Rev.me Domine,

Libenter agnoscimus litteras a Vestra Eminentia missas die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-537) quibus desideravistis cognoscere opiniones et vota nostra circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Re mature perpensa, nobis non sine dolore fatendum est quod non possumus praesentare ullum argumentum quod nobis visum sit dignum ut in Concilio Oecumenico tractari possit.

Attamen, circa quasdam res minoris momenti profitemur aliquot animadversiones quae, si inveniunt gratiam apud Commissionem Eminentiae Vestrae, includi possint tamquam articuli in argumentis latius patentibus. Quamobrem includimus infrascriptum elenchum earum mutationum in disciplina Ecclesiae quae nobis optandae videntur.

1. Reductio numeri dierum festorum de praecepto et quae par sit augmentatio emphasis circa observationem diei dominici tamquam diei ad cultum divinum et requiem reservatae, et fortasse aliqua liturgica celebratio pridie vesperi (e.g. recitatio divini officii « ad Vesperas ») ut praeparatio ad diem dominicum.

2. Restauratio missae matutinae Feriae V in Coena Domini; restauratio quoque Solemnis Adorationis a mane usque ad vesperas; denique Missa in Coena Domini ut conclusio liturgiae huius diei.

3. Restauratio Missae matutinae die Sabbato Sancto ut olim fiebat, et conclusio temporis Quadragesimae ad meridiem Sabbati. Inter gentes minus cultas et in locis longinquis, non parva cum difficultate fiunt nocturnae celebrationes Sacrae Liturgiae. Huiusmodi celebrationes requirunt pacem et tranquillitatem rerum, vias idoneas et lucem in viis; inter quas conditiones multae desunt in regionibus remotis et ruriculis.

4. Immutatio et emendatio vestis clericalis ut melius accommodetur ad necessitates aetatis nostrae.

5. Nullae additiones ad ius ieiunii et abstinentiae nisi eae quae, ratione tempestivae promulgationis, includi possunt in « ordo » et « calendarium » loci pro anno in quo additiones instituuntur. In locis ruricu-

lis et longinquis, huiusmodi additiones instituuntur nonnisi cum praelonga promulgatione et praeparatione.

6. Mutatio iuris ieiunii Eucharistici in ordine ad favendum sacerdoti qui bis vel ter in die Sacrum celebrat. Quod fieri potest si sacerdos in talibus adiunctis solvitur ab obligatione ieiunandi per spatium unius horae ante Missam.

7. Denegatio iuris bibendi, post mediam noctem, potiones alcool continentes, in casu sacerdotis qui crastina die ante meridiem Sacrum celebrabit.

Suprascriptas animadversiones submitto ad considerationem Commissionis Antepraeparatoriae et Eminentiae Vestrae.

Interim etc.

✠ PATRICIUS H. CRONIN, D.D.
Episcopus tit. Ubazensis
Praelatus nullius Ozamisanus

22

EXC.MI P. D. SALVATORIS SIINO

Archiepiscopi tit. Pergensis, Nuntii Ap. in Ins. Philippinis

Manila, 30 marzo 1960

Eminenza Reverendissima,

Insieme alla venerata Lettera Circolare N. 1 /59-1664, ho avuto l'onore di ricevere a suo tempo il pregiato Dispaccio dell'Eminenza Vostra Reverendissima pari numero in data 13 luglio u. s. relativo allo storico avvenimento del Concilio Ecumenico annunziato dal Sommo Pontefice gloriosamente regnante.

Domando venia alla Eminenza Vostra se non mi è stato possibile di compiere prima questo dovere. Il recente mio arrivo a questa Repubblica ed il non poco lavoro della Nunziatura Apostolica mi hanno impedito di dare opportunamente una risposta in proposito.

Mi sono per altro messo all'opera studiando l'oggetto dell'importante documento, prendendo al riguardo dei discreti contatti con Ecc.mi Vescovi e dotti sacerdoti.

Mi affretto ora di inviare alla Eminenza Vostra quegli argomenti che mi sono sembrati utili di sottomettere alla illuminata considera-

zione della « Pontificia Commissio Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico ».

Chino al bacio della Sacra Porpora con i sensi del mio più profondo ossequio, ho l'alto onore di professarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima
umil.mo dev.mo ed obblig.mo

✠ Salvatore Siino
Arcivescovo di Perge
Nunzio Apostolico nelle Isole Filippine

Quaedam doctrinae capita

Exoptatur, et quantum in nobis est, humillime postulamus ut, si opportunum videatur, tanquam divinitus revelata dogmata sollemniter definiantur:

I. Beatam Virginem, Dei Genitricem, sub uno Mediatore Christo, vere fuisse Corredemptricem adeoque factam esse omnium gratiarum Mediatricem, cum Ipsa in revelatione divina arctissimo nexu cum Filio suo Salvatore nostro coniuncta exhibeatur.

II. Ecclesiam Catholicam Romanam esse Mysticum Christi Corpus in quo, secundum Beati Pauli Apostoli doctrinam, Christus est Caput fideles vero membra, quae tam inter se quam cum Christo vinculis arcanis et mysticis, veris tamen et realibus vinciuntur.

De clericis

1. Habitus ecclesiasticus moribus et regionibus tropicis magis accommodari possit.

2. Pro clericis expressae statuantur in Codice normae practicae ad moderandam consuetudinem pelliculas cinematographicas videndi, ne pietas sacerdotum eorumque ministeria propter nimiam frequentiam detrimentum patiatur.

De parochis

1. Detur quaedam norma ne quidam parochi divitias accumulent, dum eorum coadiutores aliique parochi egestate laborent.

2. Ordinarii locorum curare deberent ut paroeciae divitiores aliquod auxilium oeconomicum stabile paroeciis pauperioribus praestent.

3. Nonnulli parochi, qui soli regunt paroecias plus quam viginti milia incolarum, practice non sinunt ut sacerdotes operam suam apo-

stolatui paroeciae dent, neque permittunt ut paroeciae dividentur, in magnum detrimentum animarum. Quapropter, oportet ut maioris momenti paroeciae quibus non sufficienter providetur, ulterius dividantur, atque sacerdotes, etiamsi iuniores, zelo animarum peramantes, parochi potius quam coadiutores constituantur.

De religiosis

1. Uti maior efficacia obtineri possit in apostolatu, optatur reductio privilegiorum religiosorum quae speciatim referuntur ad vitam ecclesiarum paroecialium etc.

2. Attentis conditionibus hodiernis, necessarium videtur ut religiosis etiam mulieribus, educationi intermediae et superiori puellarum addictis, concedatur singulis diebus aliquod tempus a superioribus determinandum, ut ephemeridem quamdam perlegant.

3. In Monasteriis religiosarum, nostris temporibus, opportunum et utillimum videtur ut singulis religiosis parvum cubiculum assignetur, ab aliis separatum, ut omnes maiore libertate in legendo, studendo et decumbendo gaudeant.

4. Optandum foret ut religiosi exempti etiam subsint episcopis quoad disciplinam externam extra domus suas v.g. quoad obligationem vestem talarem gerendi, theatra publica et cinema adeundi etc.

5. Videtur esse necessarius consensus Ordinarii loci, *in scriptis datus,* pro omnibus et singulis ecclesiis et oratoriis publicis aedificandis, etiam domibus religiosorum pertinentibus. Non sufficeret per se facultas generalis ingrediendi in territorium dioecesanum, sed specialis, in scriptis data, pro unaquaque ecclesia et oratorio publico. Iudicium pertinere debet ad Ordinarium loci, qui iudicare debet in casibus de utilitate in bonum fidelium: hoc ad evitandum ut in territorio uniuscuiusque paroeciae, speciatim in urbibus, agglomerentur plures ecclesiae et oratoria et deficiant in aliis locis. Haec dispositio videtur summi esse momenti pro meliore assistentia spirituali et morali fidelium.

De associationibus

Introducatur in Codice Iuris Canonici titulus « De Associationibus Saecularibus », inclusa Actione Catholica et Sociali, conditionibus et circumstantiis hodiernis adaptatus.

De sacramentis

1. In collatione Baptismi, adhibeatur unica simplex formula tum pro infantibus tum pro adultis, praecipue in regionibus missionum.

2. Quoad Sacramentum Confirmationis, amplior facultas concedatur Ordinariis locorum delegandi alios sacerdotes in dignitate stabili constitutos (v.g. praelatos domesticos) ad hoc sacramentum conferendum, praesertim in pagis dissitis a sede episcopali vel quando nimia sit dioeceseos incolarum multitudo.

3. Canones Codicis aptentur novae disciplinae ieiunii eucharistici: eadem autem norma adhibeatur (scil. tres horas ante ipsam Communionem) tum pro laicis tum pro sacerdotibus celebrantibus.

4. Faciliores reddantur normae quoad bannorum proclamationem in aliena paroecia, atque quoad testimonia baptismatis pro nupturientibus reficienda. Hodie haec praestanda sunt de parochis ad parochos per Curiam Episcopalem. Attenta mora et tarditate communicationum (« posta ») practice nupturientes his in casibus vix umquam expectare possunt nec volunt, ita ut matrimonium civile vel acatholicum persaepe attentent.

De cultu divino

1. Officium divinum necessitatibus clericorum in apostolatu incumbentium reducatur.

2. Perutile videtur ut quam primum compleantur novae regulae liturgicae praenuntiatae circa Breviarium et Sanctam Missam.

3. Concedatur Ordinariis locorum facultas ex latino in vulgarem sermonem (tagalo etc.) vertendi preces liturgicas, speciatim in Oriente.

4. Ritus et Caeremoniae in Baptismo Adultorum, in consecratione Ecclesiarum et Altarium etc. forsan aliquantulum abbreviandae essent ad fovendam fidelium devotionem et assistentiam.

De seminariis

1. Seminaristarum feriae extra domum singulis annis non protrahantur ultra mensem vel quadraginta quinque dies, ita ut minor pars concedatur occasione novi anni, altera pars diuturnior durantibus feriis aestivis.

2. Domus ad rusticandum provideatur ab Ordinariis locorum ubi seminaristae honestae recreationi indulgere valeant.

3. Dispositiones a Sancta Sede datae ne seminaristae transeant de uno ad alterum seminarium vel e religione ad seminarium saeculare, et versa vice, ne applicentur seminariis *Minoribus*. Pro his prudenter iudicent Ordinarii locorum et Superiores religiosi, absque recursu ad Sanctam Sedem. Sed regulae istae Sanctae Sedis urgeantur quam maxime pro seminariis *Maioribus*.

4. Ad promovendam disciplinam et educationem discipulorum in seminariis, singulis saltem biennis habeatur conventus Rectorum seminariorum maiorum et minorum eiusdem Reipublicae, praeside Nuntio vel Delegato Apostolico.

Bona ecclesiastica

Cum pecuniae ad beneficia et fundationes pias pertinentes, attentis circumstantiis hodiernis, iam vix collocari possint in bonis immobilibus, statuantur conditiones sub quibus istae pecuniae collocari possint in negotiis commercialibus, prout necessitates praesentes id ubique requirunt. Simul statuantur quae in his operationibus cautelae sumendae sint ne iacturae fiant in detrimentum religionis vel operationes perficiantur in scandalum populi.

Censurae ecclesiasticae

In quantum fieri potest, ad numerum aliquem minimum reducantur censurae ecclesiasticae reservatae, quae a fidelium plerumque ignotae, perennem crucem constituunt confessariis tantum.

✠ SALVATOR SIINO
Archiepiscopus tit. Pergensis
Nuntius Apostolicus in Insulis Philippinis

23

EXC.MI P. D. FRANCISCI J. McSORLEY

Episcopi tit. Sozuseni in Palaestina, Vicarii Ap. Joloënsis (Jolo)

Jolo, augusti 1959

Suggestiones ad Commissionem Pontificiam « Antepraeparatoriam » Concilii Oecumenici.

1. Ut officium divinum, ab omnibus qui ad recitationem eius tenentur, in vernaculo recitari debeat.

2. Ut celebratio S. Missae in vernaculo esse debeat saltem illae partes quae voce alta dicuntur vel leguntur.

3. Ut constituatur ratio et via amovendi officio episcopos qui propter incapacitatem vel causas quas ipsi non cognoscunt aut quae cognosci nequeunt.

4. Ut ad sustentationem missionum, dioeceses quae opes habent, has adoptent. Item dici possit de ceteris paroeciis et locis in terris missionum.

5. Ut consideratio sit ad roborandam ecclesiam ubi administrative debilis, i. e. nationaliter, et in urbibus quae duas vel plures paroecias habent.

✠ FRANCISCUS J. MCSORLEY
Episcopus tit. Sozusenus in Palaestina
Vicarius Ap. Joloënsis

24

EXC.MI P. D. GULIELMI BRASSEUR
Episcopi tit. Agathoniciani
Vicarii Ap. Montani (Mountain Province)

Baguio, die 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Foliis separatis inclusis, consilia et vota uti in litteris die 18 iunii 1959 Nobis missis rogantur, Pontificae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico humiliter submitto et offero.

Interim omnia fausta Tuae Eminentiae et felicia a Deo O. M. enixe adprecor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ GULIELMUS BRASSEUR
Episcopus tit. Agathonicianus
Vicarius Ap. Montanus

I. DOCTRINA

Optatur aliqua revisio Commissionis Biblicae decretorum cum nonnulla in explicanda S. Scriptura practice ignorentur.

II. IUS CANONICUM

1. *Liber Secundus*

A) Pars secunda: *de Religiosis.*

1. Ad maiorem cum activitatibus cleri saecularis concordiam efficiendam, exemptio Ordinum religiosorum aliquatenus coarctetur.

2. Tum clerus saecularis, tum religiosus Ordinarii loci decretis pro bono communi editis, subsint.

3. Cum non raro congregationes religiosae ordinesque amborum sexuum rebus peculiariis satis abundent, libenter taxam ad sustentanda opera apostolatus et seminaria accipiant.

B) Pars tertia: *de Laicis.*

1. Institutiones laicae, quae ad diversa opera apostolatus hodierni aptiores sunt, magis promoveantur.

2. Consentientibus congregationibus religiosis maiores fiant conatus ad efficaciam apostolatus laicalis propagandam quam ad confraternitates piasque uniones multiplicandas et intensificandas.

2. *Liber Tertius*

A) Pars prima: *de Sacramentis.*

1. Abrogetur can. 796 § 1 de necessitate diversorum patrinorum in baptismate et confirmationis sacramento.

2. Abrogetur can. 794: de patrinis in confirmationis sacramento.

3. Tempus utile ad celebrandam S. Missam (can. 821): inchoatio S. Missae cum consensu Ordinarii Loci a media nocte permittatur.

4. Ieiunium eucharisticum uti in Motu Proprio 18 martii 1957 proponitur, non ultra mutetur.

5. Tempus utile communionis Paschalis implendae (can. 859): si possibile est, includatur tempus festi Nativitatis D. N. I. C. cum sit tempus a multis selectum pro S. Eucharistia accipienda.

6. De matrimonio:

a) Can. 1075, § 1: impedimentum criminis uti in § 1 non amplius ut dirimens imponatur.

b) Can. 1076, § 2: impedimentum consanguineitatis in linea collaterali non ultra secundum gradum protrahatur.

c) Can. 1102: in matrimoniis catholicorum cum acatholicis forma cum sacris ritibus ordinariis, exclusa S. Missae celebratione benedictioneque nuptiali, permittatur: secus celebratio talis matrimonii vix differt a matrimonio civiliter inito.

d) Can. 1125: in unum redigantur et clarius exponantur ea quae in diversis Constitutionibus de quibus in can. 1125 continentur.

e) Sanatio in radice: Facultas XXIV a S. Congregatione de Propaganda Fide concessa extendatur etiam ad casum formae in matrimoniis secundum morem antiquorum paganorum initis.

B) Pars secunda: *de Locis et temporibus sacris.*

1. Can. 1247: De diebus festis: consideratis conditionibus vitae hodiernae, praeter dies dominicos, dies festi ad duos (Nativitatis D. N. I. C. et Assumptionis) vel ad summum ad quatuor (festum Ascensionis et Omnium Sanctorum) reducantur.

2. Can. 1248: Diebus festis, praeter dies dominicos, abstinentia ab operibus servilibus, saltem in regionibus in quibus festum a gubernio civili non agnoscatur, non urgeatur, cum de facto operarii ad opus servile perficiendum urgentur.

3. Can. 1251: De ieiunio: ieiunium relativum pro omnibus admittatur.

4. Can. 1252: Lex abstinentiae et ieiunii diebus vigiliae ante festum Nativitatis D. N. I. C. et Immaculatae Conceptionis abrogetur, cum a permultis non adimpletur.

5. Can. 1265: Custodia Eucharistiae: extendatur facultas Ordinarii loci in permittenda custodia S. Eucharistiae in oratorii publicis et semipublicis, etiam non solemniter benedictis: quia tum sacerdoti, praesertim missionario, tum ipsis fidelibus valde utilis est praesentia S. Eucharistiae quandocumque parochus vel missionarius pagos per aliquot dies visitet.

3. *Liber Quintus*

Pars secunda: *de Poenis.*

Tota sectio de poenis ad formam simpliciorem reducatur.

✠ Gulielmus Brasseur
Episcopus tit. Agathonicianus
Vicarius Ap. Montanus

25

Exc.mi P. D. GREGORII ESPIGA E INFANTE

Episcopi tit. Aphnaeteni, Vicarii Ap. Palavanensis (Palawan)

Palawan, die 24 novembris 1959

Excellentissime Princeps,

Pergratum mihi est communicare Vobis cuncta his foliis exarata cum omni libertate atque sinceritate circa postulata imminenti Concilio Oecumenico a me proposita, meque suggerente circa res et argumenta in futuro Concilio tractanda.

Quod ad me attinet, puto omnia supra conscripta Vobis placere posse.

Vestrae benevolentiae committo quod supra exposui, ut suppeditare Vobis valeam, quantum fieri possit.

Tibi addictissimus in Domino
✠ Fr. Gregorius Espiga e Infante
Episcopus tit. Aphnaetenus
Vicarius Ap. Palavanensis

I. *De Doctrina*

1. Declarentur puncta fundamentalia de « theologia laicorum » in Ecclesia. Scilicet, clarificetur notio theologica sacerdotii spiritualis fidelium necnon conceptus missionis apostolicae eorum in saeculo.

2. Declaretur conceptus genuinus et catholicus inspirationis Sacrarum Scripturarum, ne confusio fidelium in hac re ulterius in dies crescat.
In specie, evolvantur normae directivae et tutae, statui scientiarum hermeneuticarum hodiernarum accommodatae, de ratione tractandi lectiones in scholis catholicis et seminariis ecclesiasticis.

3. Exhibeantur, in compendium auctoritative exaratum, puncta principalia sic dictae socialis doctrinae Ecclesiae, quae iam passim fuit exposita in Litteris Encyclicis necnon in concionibus ultimorum Summorum Pontificum.

4. Definiatur universalis mediatio omnium gratiarum Beatae Mariae Virginis. Qua in definitione accurate indicetur de qua mediatione agatur, utrum ad gratias distribuendas omnes tantum an ipsas etiam merendas in cruce cum Christo Domino, et quidem proxime et immediate.

5. Quantum oporteat et fieri possit decidantur saltem praecipuae dogmaticae quaestiones hucusque hinc inde inter theologos disputatae de sensu doctrinae iam in praeteritis Conciliis expositae, Verbi gratia, de causalitate Sacramentorum eorumque reviviscentia, de sacrificio Missae, de gratia, etc.

II. *De Re Liturgica*

1. Extendantur universali Ecclesiae facultates circa administrationem Sacramentorum, eorum simplificationem, usum linguae vernaculae, aliaque huiusmodi, quae iam concessae sunt aliquibus dioecesibus, ita ut cuique Ordinario, pro necessitate et convenientia suae dioecesis iis uti liceat sine ulteriori recursu ad Sanctam Sedem, Ea tamen opportuno tempore admonita.

2. Concedatur Ordinariis locorum, sine recursu ad Sedem Apostolicam facultas vertendi in linguam vernaculam, preces liturgicas in ritibus Sacramentorum aliarumque benedictionum, eaque versione utendi in administratione eorum.

3. Simplificatio rubricarum et vestimentorum, v. gr., nulla oscula in Missa sollemni; vestimenta simpliciora ad temperiem uniuscuiusque regionis accommodata.

4. Idem de vestimentis et ritibus in caeremoniis episcoporum.

5. Officium divinum diurnum magis accommodetur ad necessitatem sacerdotum in apostolatu dedicatorum.

6. Provideatur rationabilis modus obtinendi dispensationem ab obligatione divini officii recitandi, causaeque definiantur pro excusatione ab ea.

III. *De Re Sacramentaria*

1. Facultas audiendi confessiones, ab Ordinario proprio concessa, valeat ubique terrarum donec sacerdos a divinis suspendatur.

2. Saltem in regionibus nimia sacerdotum paucitate gravatis, instituantur diaconi vinculo matrimoniali ligati, qui numquam stante matrimonio ad sacerdotium pergant. Horum officia erunt:

a) Minister ordinarius sacrae communionis;

b) Minister ordinarius baptismatis;

c) Instructor catecheseos in scholis publicis;

d) Minister ordinarius in benedictione defunctorum, aliisque ordinariis benedictionibus.

IV. *De Re Pastorali*

1. Concedatur omnibus confessariis facultas habitualis dispensandi in lege de lectione librorum prohibitorum, graviter onerata uniuscuiusque conscientia de avertendo periculo fidei personae dispensatae.

2. Episcopi omnes procedant fortiter contra sacerdotes concubinarios, ita ut si post monitionem non resipiscant, immediate degradentur.

3. Nulli mulieri, ne matri quidem parochi in domo paroeciali pernoctare liceat quovis tempore, quantumvis festivo.

4. Habitus ecclesiasticus magis accommodetur moribus populi et temperiei tropicae uniuscuiusque regionis. Item usus vel abolitio tonsurae relinquatur prudenti iudicio Ordinarii loci.

5. Cum his temporibus inter homines gradus academici magni fiant, immo pro muneribus quibusdam etiam civilibus exigantur, eorum acquisitio, saltem baccalaureatus et licentiae in sacris disciplinis et philoso-

phia, facilior reddatur opportet. Hinc facultas eosdem gradus elargiendi facilius concedatur seminariis et institutis quae tali facultate digna se praebeant. Pro eadem facultate obtinenda Sancta Sedes condiciones normasque instituat.

✠ Fr. Gregorius Espiga e Infante
Episcopus tit. Alphnaetenus
Vicarius Ap. Palavanensis

26

Exc.mi P. D. VINCENTII REYES
Episcopi tit. Asponitani, Auxiliaris Manilensis

Manilae, die 1 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Communicationi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 18 m. iunii 1959 humiliter conformans, infrascriptus Episcopus Titularis Asponitanus Vincentius P. Reyes, Auxiliaris Manilensis ac Vicarius Generalis reverenter transmittit Commissioni supradictae adnexa argumenta et negotia quae ipse credit convenire tractari ac proponi in futuro Concilio Oecumenico.

Omni quo par est obsequio, Eminentiae Vestrae permaneo

✠ Vincentius Reyes
Episcopus tit. Asponitanus
Auxiliaris Manilensis

De Religiosis

Nulli Congregationi vel Ordini religiosorum eleemosynas colligere licet nisi aut statuta permittant aut necessitas postulet et loci Ordinarii consensus accedat ac servetur forma ab eodem praescripta non obstantibus privilegiis quibuscumque contrariis.

Can. 497 § 2, et sequentes emendentur:

Requiritur permissio Ordinarii loci pro omnibus religionibus clericalibus ad habendam ecclesiam vel oratorium publicum, etc.

Can. 627 § 1. Religiosus, renunciatus Cardinalis aut Episcopus sive residentialis sive titularis aut etiam parochus vel vicarius manet etc.

§ 2. Eximitur tamen a potestate Superiorum et vi voti obedientiae,

Romano Pontifici vel Ordinario loci, si sit parochus vel vicarius manet obnoxius.

Nota: Haec mutatio can. 627 secumfert modificationem cann. 629, 630 et 631.

Baptismus

Can. 744: supprimatur.

Can. 753: supprimatur.

Can. 755, § 2: Caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium possunt adhiberi in baptismo adultorum.

Can. 756, § 2: Si alter parentum pertineat ad ritum latinum alter ad orientalem, proles ritu patris vel matris baptizetur.

Can. 776, § 1: In domibus autem privatis baptismus solemnis administrari non debet.

N. 1: supprimatur.

N. 2: supprimatur.

Can. 823, § 2: Deficiente lapide altaris fas est sacerdoti celebrare super antimensiis.

Eucharistia

Can. 805: Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto.

Can. 813, § 1: Sacerdos etiam sine ministro qui eidem inserviat et respondeat Missam celebrare potest.

Can. 821, § 1: Missae celebrandae initium ne fiat citius quam hora tertia ante meridiem vel serius quam una hora post meridiem.

Can. 759: Omnis fidelis utriusque sexus, quum ad annum discretionis pervenerit, tenetur confiteri et Paschalem obligationem adimplere intra annum civilem.

§ 2: supprimatur.

§ 3: supprimatur.

§ 4: supprimatur.

Extrema Unctio

Can. 940: Extrema Unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem gravem vel senium versetur.

Sacra Ordinatio

Can. 1006, § 2: Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum solemnia sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, Sabbato Santo et quolibet die dominico aut festo de praecepto.

§ 3: supprimatur.

Matrimonium

Can. 1030, § 1: Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat antequam omnia documenta necessaria receperit.

§ 2: Si intra tres menses matrimonium contractum non fuerit publicationes repetantur nisi aliud loci Ordinario videatur.

De Actione Catholica

1. In singulis paroeciis et missionibus constituatur Actio Catholica, sive forma unitaria, sive foederativa, secundum diversas loci et temporis circumstantias et necessitates.

Forma unitaria consistit in quadruplici cumulatione pro viris, matronis, et utriusque sexus iuventute.

Forma foederativa iungit seu coalescit associationes catholicas iam existentes.

2. Actio Catholica in utraque forma supradicta constituta sub omnimoda iurisdictione Hierarchiae et directa dependentia ab Ordinario loci apostolatum suum exercet.

3. Instituantur Concilia Nationale, Dioecesanum et Paroeciale quae coordinationem perficiant in plano nationali, dioecesano et paroeciali inter diversos coetos seu unitates actionis Catholicae.

4. Omnes consociationes Actionis Catholicae foederativae quocumque titulo designentur quamvis in sua directione interna propriam autonomiam retinent, mandatum speciale ab Hierarchia datum requirunt iuxta normas ab ipsa Hierarchia statutas.

5. Sacra Hierarchia regimen actionis Catholicae per Episcopalem Commissionem trium Episcoporum una cum Directore nationale exercet.

6. « Director Nationalis Actionis Catholicae a Sancta Sede designatur. Ipse Concilium Nationale moderatur et statutorum observantiam urget ».

Director nationalis uniuscuiusque associationis quae mandato Hierarchiae gaudet a Commissione Episcopali nominetur.

« In unaquaque dioecesi vel missionaria iurisdictione Ordinarius loci Directorem Dioecesanum nominat, qui Concilium Dioecesanum moderatur singulis saltem mensibus convocandum ».

7. Pernecessarium sane ducimus Actionem Catholicam discriminari in Concilia magis particularia, ita ut constituantur separatim, v. g. pro studiosa iuventute, pro ruricolis, pro operariis, pro consultis iuris aliisque, quo efficacius singularum classium difficultatibus provideatur in tota Societate Civili.

8. In universitatibus et Collegiis Catholicis atque praesertim in Seminariis cursus Actionis Catholicae instituatur saltem pro theologis.

9. Sumptus Actionis Catholicae Cancellariae Nationalis a sacra Hierarchia provideantur.

10. Quo in universo terrarum orbe, Actio Catholica melius coordinetur et promoveatur, liceat nos humile exprimere votum ut etiam Romae erigatur Commissio Pontificia Actionis Catholicae ad instar Congregationum Romanarum.

De Actione Sociali

1. In singulis nationibus Episcoporum Commissio instituatur, rebus socialibus proposita, cuius erit in unaquaque dioecesi Consilium Actionis Socialis erigere.

2. Propterea quod ubique terrarum opificinae ac res oeconomicae in dies vehementius augescunt, optandum videtur ut apud singulas nationes unum dumtaxat institutum aut scholas etiam complures, si ita feret necessitas, instituantur, regimini Hierarchiae plane subiectas.

3. Scholas suas Actioni Catholicae promovendas quaeque natio habeat.

I. *Constituantur Commissiones Pontificiae* (apud Sacras Congregationes quibus referant):

1) ad uniformem Catechismi Doctrinae Christianae textum redagendum ad usum:

a) puerorum ante Primam Sacram Synaxim,

b) puerorum post Primam Sacram Synaxim,

c) puerorum 12-16 annorum aetatis;

2) ad uniforme curriculum redagendum ad usum adolescentium et adultorum ad laborem *catechistarum* praeparandorum;

3) ad uniforme schema materiae sermonum et homiliarum pro singulis diebus dominicis et festis quotannis redagendum (hoc schema in mense novembris cuiuslibet anni currentis mitti debet unicuique Ordinario loci pro distributione).

II. *Instituatur qualibet in natione vel provincia ecclesiastica officium* pro studio modi agendi cum haereticis, schismaticis et infidelibus.

III. Unaquaeque dioecesis, praelatura et vicariatus in loco convenienti ab Ordinario electo *Seminarium Minus* seu *Collegium* habeat. Rector et caeteri moderatores et professores (in quantum fieri potest) sint e clero indigena.

IV. *Cathedraticum a canone 1507* Codicis Iuris Canonici *impositum summam fixam habeat.*

✠ Vincentius Reyes
Episcopus tit. Asponitanus
Auxiliaris Manilensis

27

Exc.mi P. D. VITI CHANG TSO-HUAN
Episcopi tit. Cyanitani

Die 14 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Prius non potui me exprimere coram Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, quia hodie tandem ad me pervenit epistola tua.

Cum natus sim Sinensis, specialem sollicitudinem gerere pro Ecclesia in Sinis mihi licitum est.

1. Velim libentissime Concilium Oecumenicum futurum de quaestionibus ad Ecclesiam in Sinis pertinentibus, Sinensium, fidelium, Sacerdotum, maxime utique Episcoporum sententias attendere, non tamen admittere sententias Episcoporum *Missionariorum* uti absolute rectas vel normales, nisi auditis prius Sinensibus Episcopis.

2. Quod nunc attinet, ardentissimum habemus desiderium Sinensibus nostris Sacerdotibus iuvenibus, qui iamiam studium suum in regnis Europae vel Americae feliciter absolverint, magis idoneam occupationem procurandi, ut ipsi qua Sinenses etiam extra ambitum ditionis Sinicae quam fructuossime Ecclesiae ipsi in Sinis prodesse valeant. Etsi quaestio ista iam urgeat ab annis pluribus, revera tamen nondum, ni fallor, est agnita a potestate specialiter talibus quaestionibus destinata uti necessitas valde urgens. Velim opportunitatem habere etiam hac de non minima quaestione Ecclesiae in Sinis necessaria me exprimendi, sed hucusque nondum inveni.

Ne prolixiore scripto meo tempus Eminentiae Tuae maxime pretiosum teram, sincero animo cuncta fausta alto ex pectore optans profiteor me in Christo Eminentiae Tuae

Addictissimum servulum esse et manere
✠ Vitus Chang Tso-Huan
Episcopus tit. Cyanitanus

28

Exc.mi P. D. LEONIS A. OLANO Y URTEAGA
Episcopi tit. Laginensis

De re theologica

Illae omnes veritates quae in Concilio Vaticano ad definitionem dogmaticam paratae erant, definiantur.

Tractetur de aliquibus veritatibus mariologicis, ut de Corredemptione, et si possibile sit, Maria Mediatrix omnium gratiarum definiatur.

Tractatus de Sancto Iosepho (Iosephologia) ut pars Theologiae Dogmaticae in seminariis theologicis tradatur.

Tollantur Ordines Minores; et alii novi Ordines, ad hodierna tempora accommodati, laicis sive viris sive mulieribus conficiantur, v. gr. membris Actionis Catholicae, Legionis Mariae et aliarum associationum. Sic laici gratiam status habebunt ad suum ministerium adimplendum.

De Iure Canonico

Ius canonicum secundum hodierna adiuncta accommodetur. Sic, omnes illae quaestiones disputatae provenientes ex dubio legis expurgentur, taxative determinando legem (praesertim cum de *validitate* actionum agatur).

De praecepto audiendi Missam: Ut praeceptum hoc adimpleri possit non tantum diebus dominicis, sed quacumque die intra hebdomadam et in quocumque loco, etiam in oratoriis privatis. Inculcetur tamen ut adimpleatur, si possibile sit, dominicis diebus.

De praecepto laborandi: Determinetur quid pro « *operibus servilibus* » (can. 1248) intelligi debeat.

De iurisdictione audiendi confessiones: Omnes sacerdotes, a momento sacrae Ordinationis, iurisdictione polleant ad audiendas confessiones cuiuscumque personae, sive viri sive mulieris, et in quocumque loco. Quando quis ordinatur sacerdos tales virtutes et scientiam habere censetur ut ad omnes confessiones audiendas sit capax.

De confirmatione: Omnes sacerdotes iurisdictionem habeant ad confirmationis sacramentum conficiendum saltem cum agatur de periculo mortis aut episcoporum penuria.

De matrimonio: Impedimenta « impedientia » tollantur et inter

« dirimentia » saltem consanguinitas secundi et tertii gradus in linea collaterali, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis et legalis.

Et cum tot sint sacerdotes qui tam indigne vivant, agatur etiam de convenientia et disconvenientia impedimenti ordinis.

De festis diebus: Praeceptum abstinendi a labore diebus festis, excepta dominica, tollatur; et praeceptum audiendi Missam talis diebus abrogetur. Attamen inculcetur devotio audiendi Sacrum illis festis. Ad hoc, numerus missarum sit maior quam ordinariis diebus et si adiuncta exigant, tot sint quot in dominicis.

Praeceptum Paschale: tollatur et maneat tantum praeceptum communicandi semel in anno.

De ieiunio et abstinentia: Aut tollantur, aut mutentur in alias poenitentias, aut facultas relinquatur Ordinariis locis ad dies ieunii et abstinentiae determinandos.

De Officio Divino: Reformetur et minuatur, et tantum minima pars Officii sit sub praecepto gravi. Hodierna adiuncta de activitate in paroeciis, praesertim diebus dominicis, attendantur.

De indulgentiis et benedictionibus: Omnes sacerdotes possint ordinarias indulgentias conferre; et omnes benedictiones reservatae et cuiuscumque scapularis imposito unicuique sacerdoti sint communes, ut benedictio et erectio Stationum Viae Crucis, impositio scapularis Beatae Mariae de Monte Carmelo...

Tandem in Iure Canonico distinguatur pars essentialis, quae ad universam Ecclesiam attingat, a parte directiva quae accommodari possit secundum diversa loca (praesertim cum de tribus primis libris Iuris Canonici agatur).

De studiis ecclesiasticis

Alumni non admittantur in Pontificiis Universitatibus qui nondum expleverint cursum theologicum in seminariis dioecesanis. Ratio est ut tales universitates non sint « unum ex seminariis » et scientia tradatur accommodata ad « specialistas ».

Ut omnes ephemerides quae de rebus ecclesiasticis agunt, editentur si possibile sit, lingua latina ut doctrina peritorum omnibus clericis cuiuscumque loci proficiat.

Oeconomia ecclesiastica

Officium et Beneficium supprimantur. Bona ecclesiastica dividantur in:

a) *Bona ecclesiae* (bona fabricae ecclesiae), ad cultum divinum et instructionem catecheticam membrorum ecclesiae paroecialis. Col-

lectae ad bona ecclesiae (paroecialis aut conventualis) destinentur, praeter duas collectas ad missiones, tertiam partem collectae Feriae VI Maioris Hebdomadae ad Sacra Loca (Terra Santa) si necessarium sit, duas intra annum ad seminarium dioecesanum et non plus quam quattuor ad Ordinarii loci necessitates.

b) *Bona cleri*: ad necessitates ordinarias et extraordinarias cleri dioecesani, sive saecularis sive regularis. Non nominetur salarium neque fixanda est quantitas ut vitetur taxatio vel intromissio auctoritatis civilis.

c) *Bona Curiae,* ad mensam episcopalem et necessitates ordinarias et extraordinarias Officialium Curiae.

d) *Bona Seminarii*: ad necessitates eiusdem.

Quando de pauperrimis dioecesibus agatur, Nuncius cum iudicio Consilii Episcopalis facultate polleat tales dioeceses cum bonis aliarum adiuvandi.

Canonici

Supprimantur. In eorum loco *a*) ad cultum divinum et sacramentorum administrationem in ecclesia cathedrali aliqua sit communitas religiosa aut Sacerdotum Dioecesanorum Regularium (S.D.R.); *b*) ad Adsessores Dioecesanos et Sedem Vacantem nominetur Consilium Dioecesanum compositum a Vicario Generali (praeside), Secretario, aliquibus Officialibus curiae et Vicariis foraneis et tandem Rectore Seminarii Maioris (in suo defectu, Rectore seminarii minoris). Vicarii Foranei nominentur praeviis oppositionibus, nisi de iis qui gradus academicos acquisiverint aut aliquod notabile opus publicaverint, agatur.

Cleri

Instituatur in unaquaque dioecesi Societas Sacerdotum Dioecesanorum Regularium (S.D.R.) cum votis et vita communi. Sit noviciatus pro talium Sacerdotum formatione. Vota sint privata cum iuramento vitae communis ad determinatum tempus. Ius habeant ad conservanda bona usque ad professionem acquisita. Eorum bona inamovibilia ab aliis administrentur durante obligatione vivendi in societate. Eorum remuneratio clericalis et stipendia Missarum sint ad bonum communitatis. Superior Maior sit Episcopus, qui Societatem gubernabit mediante Vicario. Hic Vicarius a superioribus localibus Societatis nominetur et ab Episcopo confirmetur.

Paroeciae

Paroeciae illae, quae maiorem clericorum numerum exigant, commendentur ad Societatem (S.D.R.) aut clerum Regularium.

Diaconi-Coadiutores sine celibatu

Eorum formatio sit eadem ac sacerdotum iisdemque seminariis. Munus sit adiutorium praestandi sacerdotibus in omnibus illis quae non exigant potestatem sacerdotalem. Matrimonium non contrahant usque ad 25 aetatis annum. Defuncta muliere non novum contrahant nisi post annum; et si tunc ad sacerdotium accedere velint, admittantur.

Ministri protestantes ad Diaconatum admittantur, praevia preparatione.

Laici

Vocentur ad Concilium Oecumenicum aliqua membra Actionis Catholicae, Tertii Ordinis, etc.

✠ LEO A. OLANO Y URTEAGA
Episcopus tit. Laginensis

29

EXC.MI P. D. ALAPHRIDI OBVIAR Y ARANDA
Episcopi tit. Linoënsis, Administratoris Ap. Lucenensis

Die 1 mensis septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Acceptis litteris diei 18 iunii 1959, Eminentiae Tuae (Prot. n. 1 C/59-2639) circa celebrationem proximi Concilii Oecumenici, sequentia humiliter proponere velim:

1. Introducatur in Codicem I. C. novus titulus « De Associationibus Saecularibus » inclusa Actione Catholica, adaptatus conditionibus et circumstantiis hodiernis.

2. Proponitur ut Episcopi suis clericis praescribant integram horam adorationis Sanctissimi quotidianae, tempore ab Ordinariis praescripto ita ut durante hoc tempore peragere valeant magnam partem exercitiorum spiritualium, quae secus saepissime oblivioni dantur.

3. Ad simpliciorem statum reducantur procedura et formalitates pro causis matrimonialibus, uti antea aliquatenus statutum fuit pro Sinis. Etenim propter paucitatem sacerdotum, saepissime sacerdotes apti laboribus animarum nimis gravantur.

4. In quantum fieri potest, ad numerum aliquem minimum reducantur censurae ecclesiasticae reservatae, quae a fidelibus plerumque ignotae, perennem crucem constituunt confessariis tantum.

5. Rogatur ut quamprimum compleantur novae regulae liturgicae praenuntiatae circa Breviarium et Sanctam Missam.

Me profiteor Eminentiae Tuae humilem servum in Christo,

✠ ALAPHRIDUS OBVIAR Y ARANDA
Episcopus tit. Linoënsis
Administrator Apostolicus Lucenensis

30

EXC.MI P. D. THEOPHILI CAMOMOT BASTIDA
Archiepiscopi tit. Marcianopolitani, Coadiutoris c. s. Cagayani

Balingasag, 18 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Bene consideratis petitionibus tuis expositis in epistola Eminentiae Tuae data 18 iunii huius anni, ut exponam suggestiones circa res magni momenti Ecclesiae Insularum Philippinarum, praesentandas Commissioni Pontificiae Pro Concilio Oecumenico, quae tractari possint in eo, placita sunt mihi sequentia:

1. Subdivisio magnarum Dioecesium extensione, quibus sunt decies centena millia hominum plus minusve.

2. Melius magisque utilius Episcopum vel Ordinarium ponere in unaquaque provincia. Insularum Philippinarum unaquaeque provincia plus minusve habet quingenta millia hominum; minima autem earum plus minusve habet centena millia hominum.

Utilitas huius subdivisionis:

a) Administratio fit facilis.

b) Cura animarum fit facilis et efficax.

c) Pastores Protestantes et Secta Haeretica localis Aglipayana difficile possunt prosperitate frui ante intimam Pastoris vigilantiam.

d) Adsociationes Actionis Catholicae magis magisque propagentur et formatio interna membrorum attendatur melius proxima cura Ordinarii loci.

3. *Congregatio sacerdotum dioecesanorum*: Huius finis:

a) Ad provehendam securitatem materialem in aegritudine magnaque necessitate eorum vitae temporalis.

b) Ad provehendam etiam maiorem curam vitae spiritualis sa-

cerdotis quae possit provenire e communi vita quam possit significare huiusmodi Congregatio unicuique sacerdoti.

Constitutiones huiusmodi Congregationis communes sint omnibus Dioecesibus; attamen unaquaeque Dioecesis possit esse independens ab aliis praecipue in administratione quae potest esse sub cura et sollicitudine Ordinarii loci.

4. *De Habitu Ecclesiastico Clericorum iter facientium*:

Modificatio huius habitus videtur opportuna nostri temporis praecipue quando sacerdos sit in itinere. Modificatio huiusmodi relinquatur universis iudiciis Patrum Concilii.

Ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui omne bonum a Domino precor.

Eminentiae Tuae Rev.mae addictissimus

✠ THEOPHILUS CAMOMOT BASTIDA
Archiepiscopus tit. Marcianopolitanus
Coadiutor Cagayanus

31

EXC.MI P. D. IOANNIS C. SISON

Archiepiscopi tit. Nicopsitani, Administratoris Ap. s. pl. Novae Segobiae

7 octobris 1960

Eminentissime Domine,

Obsequioso animo mihi pergratum est praesentare sequentia proposita pro Concilio Oecumenico Vaticano II:

I. Ut pro omni natione, si nondum existit, erigatur « *Nationale Centrum Pastorale* », cuius sit:

1) Procurare Catechismum nationalem secundum principia psychologica, paedagogica, catechetica moderna.

2) Studere modernis principiis psychologicis, paedagogicis, catecheticis.

3) Suggestiones dare pro actuosa populi christiani participatione in sacra Liturgia.

4) Praeparare directores et professores pro « Instituto Pastorali Liturgico-Catechetico » (cf. sub II) necnon pro Seminariis Maioribus.

5) Edere ephemeridem pastoralem pro tota natione.

II. Ut in omni Dioecesi erigatur « *Institutum Pastorale Liturgico-Catecheticum* », cuius sit:

1) Dirigere et inspicere applicationem directionum *Nationalis Centri Pastoralis* in paroeciis.

2) Praeparare Catechistas pro singulis paroeciis.

3) Praeparare auxilia catechetica pro Catechistis.

4) In unione cum *Nationali Centro* exhibitiones librorum et auxiliorum pro catechesibus praeparare.

5) Dirigere cooperationem Seminaristarum Maiorum.

III. Ut annus quintus Sacrae Theologiae, cui studium et intensior exercitatio practica modernae Theologiae Pastoralis reservatur, etiam pro clero dioecesano introducatur, attamen non nisi postquam neo-sacerdotes, curriculo quadrienni Sacrae Theologiae absoluto, iam per biennium aliquam saltem practicam, licet imperfectam, experientiam hauserunt in diversis negotiis curae animarum, necnon ut pro huiusmodi anno duarum vel trium ecclesiasticarum provinciarum sacerdotes co-adunari possint.

IV. Ut legislatio ecclesiastica in re matrimoniali simplificetur, praesertim facilior reddatur potestas dispensandi.

V. Ut stricta obligatio sanctificandi dies Dominicos et festivos per devotam Missae assistentiam commutetur ita, ut fideles huic obligationi pluries tantum in anno, sed quavis die, satisfacere debeant.

VI. Ut praescriptum canonis 822, n. 1 ita immutetur, ut fideles suae obligationi audiendae Missae etiam ex iure communi satisfacere valeant, ubi iuxta canonem 822, nn. 3, 4 Missam celebrare licet.

VII. Ut legislatio, agens de prohibitione librorum, ita relaxetur, ut viri ecclesiastici, vi muneris sui maiorem responsabilitatem habentes sive in scholis sive in Seminariis, ipso iure communi acceptent facultatem legendi libros etiam illos, quorum lectio ab eis requirebat permissionem Ordinariorum, cum canon 1405, n. 1 periculum sufficienter removere appareat.

Haec omnia Eminentiae Vestrae, si forte digna sint, quae mereantur aliquam considerationem, interim devota oboedientia in caritate Christi remanens,

addictissimus in Domino

✠ IOANNES C. SISON
Archiepiscopus tit. Nicopsitanus
Administrator Ap. s. pl. Novae Segobiae

INSULA PHORMOSA

1

EXC.MI P. D. IOSEPHI KUO

Archiepiscopi Taipehensis (Taipeh)

Taipei, die 23 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honori mihi duco sapienti iudicio Eminentiae Tuae Rev.mae subicere vota Concilio Oecumenico proponenda, postquam viros ecclesiasticos peritos et prudentes ex diversis regionibus ac nationibus heic nobiscum collaborantes audiverim.

Haec dum humiliter propono, summa qua par est veneratione et observantia, Sacram Purpuram deosculans, me profiteri gaudeo

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum in Christo servum
✠ IOSEPH KUO, C. D. D.
Archiepiscopus Taipehensis

Res et argumenta Concilio Oecumenico proponenda

1. Definiantur veritates in Concilio Oecumenico Vaticano iam discussae, praesertim quaestiones de Fide, de Magisterio vivo et de Episcopis.

2. Definiatur et explicetur doctrina de Ecclesia, quae est Corpus Mysticum Christi.

3. Definiatur et explicetur doctrina de B. M. V. quae est Corredemptrix, Mediatrix et Advocata.

4. Condemnentur errores moderni secundum Encyclicam *Humani Generis* v. g. communismus, humanismus atheus, existentialismus.

5. Definiatur et explicetur momentum legis naturalis ac reiciantur relativismus moralis et theoria moralis circumstantiarum.

6. Definiatur et explicetur natura et finis matrimonii.

7. Definiatur et explicetur doctrina de divortio, de limitatione nativitatum et de sterilizatione.

8. Definiatur et explicetur natura Actionis Catholicae et Apostolatus laicorum.

9. Augeatur numerus Cardinalium ut plures in Curia Romana laborare possint.

10. Statuantur poenae contra catholicos, qui modo libero communistis nomen dant et suffragia vel qui quoquo modo eos adiuvant.

11. Definitiva sit reformatio Breviarii.

12. Definitive adprobetur reformatio caeremoniarum Hebdomadae Sanctae a Pio XII instituta.

13. Lex ieiunii et abstinentiae usibus modernis adaptetur.

14. Festa de Praecepto in diem Dominicam transferantur, exceptis tamen festis Nativitatis et Ascensionis Domini.

15. Festum Paschatis fixum sit e. g. prima Dominica aprilis.

16. Stabiliantur regulae fundamentales formationis cleri et seminaristarum secundum necessitates et circumstantias hodiernas.

17. Codificetur Ius Missionum; determinetur regimen iuridicum in Missione, ubi iam constituta est hierarchia.

18. Definiatur et explicetur verus conceptus Missionum.

19. Stabiliantur principia directiva a Summis Pontificibus inde ab initio Ecclesiae saepe saepius inculcata et praesertim in Encyclicis *Maximum illud* et *Rerum Ecclesiae* manifestata.

20. Omnia quantum possibile adaptentur usibus localibus, qui non offendunt legem divinam aut ecclesiasticam, licet discrepent forte ab usibus civilizationis graeco-latinae.

21. Missionarii ne immisceant se negotiis politicis et oeconomicis nationum exterarum neque pro negotiis propriae Missionis ad Auctoritates exteras recurrant.

22. Missionarii ne confundant suam Congregationem cum Ecclesia (non datur ecclesia intra Ecclesiam).

23. Missionarii evitent exclusivismum congregationum.

24. Missionarii abstineant a publicationibus rerum, quae forte displicent civibus cum quibus laborant.

25. In evangelizando eradicentur ultima vestigia antiquae colonizationis.

26. Clare delineatur distinctio bonorum Missionis et Religionis, sicut factum est in Primo Concilio Plenario Sinensi.

27. Stabiliatur verus sensus motus liturgici; reiiciantur exaggerationes et indisciplina cleri et laicorum.

28. Stabiliantur conditiones requisitae ut lingua vernacula adhiberi possit in Missa celebranda, in sacris ritibus peragendis et in Breviario recitando.

29. Codificentur dispositiones liturgicae.

30. Permittatur Missa vespertina qualibet hora post meridiem.

31. Permittatur receptio Sacrae Communionis post meridiem etiam extra tempus celebrationis Missae.

32. Permittatur infirmis cibum solidum sumere una hora ante Communionem.

33. Statuantur tres series diversae epistularum et evangeliorum per tres annos continuos in Missa legendae.

34. Clare statuantur principia et methodi (adhibendae vel prohibendae) in opere Unionis Ecclesiarum.

35. Invitentur clerici diversarum regionum in administratione centrali Ecclesiae.

36. Clare statuantur principia, quibus facilis sit distinctio inter actiones civiles socialesve et actiones superstitiosas.

37. Concedatur Ordinariis locorum facultas permittendi ter offerendi Eucharisticum Sacrificium.

✠ Ioseph Kuo, C. D. D.
Archiepiscopus Taipehensis

IORDANIA

1

EXC.MI P. D. MICHAËL ASSAF

Archiepiscopi Petrensis et Philadelphiensis

(Petra - Filadelfia)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH

Patriarcha Antiocheno Melchitarum [1]

---

[1] Cf. pp. 452-462.

IRAN

1

Exc.mi P. D. IOANNIS B. APCAR
Episcopi Hisphaaniensis Armenorum (Ispahan)

Gulfa Isfahan, die 23 iulii 1959

Eminentia Reverendissima,

Pergratum et honori est Nobis properare responsum Venerandae Tuae Epistulae, N. 1 C/59-630 diei 18 iunii 1959.

Vere admirandum est iudicium Summi Pontificis Papae Ioannis XXIII de Convocatione Concilii Oecumenici, ad efficiendam unitatem omnium Ecclesiarum, vel saltem ad corroborandam animorum coniunctionem omnium fidelium qui extra Ecclesiam Catholicam inveniuntur.

Hodiernis temporibus cum irreligio, contemptio sacrae liturgiae, morumque corruptio libere dominari ubique videntur, et singulari modo in regionibus ubi doctrina atheistica a Dei negatoribus propugnatur, maximi momenti est, unitis viribus, contentionem adhibere et fortiter laborare ne impune propagetur et ut depositum fidei incolume servetur.

Concilium Oecumenicum a Summo Pontifice cogitatum mirabiliter adiumento erit ad hoc propositum assequendum. Ideo, summopere, gratissimoque animo gratias rependimus Augusto Pontifici, preces effundimus et exoptamus faustum felicemque exitum ut Excellentissimi et Reverendissimi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Adiutores hoc opus praeclare perficiant et absolvant.

Fateor rem maximi ponderis et laboris esse, in quibusdam fidei summis cum episcopis acatholicis convenire, praesertim cum graecis et armenis.

Liceat mihi ideo notare:

1. Apud Ecclesias dissidentes, longo iam tempore, mos invaluit suam considerandi Ecclesiam unam paremque nationi, indivisibili modo, aliis verbis religio christiana aequiparatur nationi et vocatur « Nationalis Ecclesia ». Religio aequiparatur nationi; est propugnaculum tutam servandi nationalem autonomiam. Quamobrem quidquid est extraneum religioni, ipso facto obnoxium videtur bono publico et capax refringendi libertatem et fundamentum nationis.

2. Istae Ecclesiae apostolicam sibi postulant originem per predicationem v. gr. S. Marci in urbe Antiochia, vel S. Thaddaei in Armenia;

hinc eodem pari iure gaudere putant ac Ecclesia Romana per S. Petri predicationem et institutionem.

Oportet igitur ut tempore Concilii Venerabiles Patres et valentes Theologi firmam explanationem, argumentis ex S. Scriptura et fontibus theologicis sumptis corroboratam, dilucidare conentur, ita ut acatholici Legati penitus animo praesumere valeant unionem cum S. Sede, obsequium ac obedientia Summo Pontifici, ut Capiti Supremo totius Ecclesiae Christi, a iure divino oriri, cuius officium est confirmare salutem et incolumitatem totius Ecclesiae, non autem afferre detrimentum civili eorum libertati, aut coercitionem eorum nationali potestati.

Imo Ecclesia Catholica, ex omnium saeculorum memoria se propugnaculum libertatis omnium nationum exhibuit atque tutamen dignitatis ac splendoris Rituum Orientalium qui, veluti pulchri et varii coloris flores, Ecclesiam Christi adornant et ornamentum decusque eius efficiunt.

Sunt autem aliae quaestiones, omnibus dissidentibus communes, v. gr. Primatus Romani Pontificis, dogma de Infallibilitate etc. Hae quaestiones in controversiis ac disputationibus lucebuntur.

Interim, omnia adprecor fausta Eminentiae Tuae Reverendissimae atque Commissioni Pontificiae ut hic magni momenti eventus prospere perficiatur ac felici successu in exitum perveniat ad honorem Dei, ad exaltationem Santae Matris Ecclesiae et ad gloriam Pontificatus Papae Ioannis XXIII, fel. regn.

S. Anulum Excellentiae Tuae maxima cum reverentia deosculamur benedictionem implorantes.

Tuae Eminentiae Reverendissimae
Addictissimus
✠ IOANNES B. APCAR
Episcopus Hisphaaniensis Armenorum

2

EXC.MI P. D. IOSEPHI CHEIKHO
Archiepiscopi Sehnaensis Chaldaeorum (Sehna)

Tehran, le 15 septembre 1959

Eminence Illustrissime et Révérendissime,

La Communication de la Commission antépréparatoire au Concile Oecuménique, datée du 18 juin dernier Prot. n. 1 C/59-1223 m'est parvenue assez tard. Mon absence de Tehran, comme encore de mon

Vicaire Général a causé le retard de ma réponse, retard dont je m'excuse infiniment auprès de Votre Eminence.

Après mûre réflexion, invocation du St. Esprit et recours au conseil d'ecclésiastiques avisés et prudents, j'ai l'honneur de remettre à Votre Eminence, en toute franchise, les quelques remarques et vœux que j'estime, en conscience, dignes d'être pris en considération par les Pères du prochain Concile Oecuménique, pour le bien de l'Eglise et des âmes.

I. *Point dogmatique*

Déclaration de la Virginité de St. Joseph, le Père adoptif de Jésus et gardien de la Vierge Marie; vérité dont les fidèles attendent la définition depuis de longues années.

II. *La discipline du mariage*

a) Considérer *comme empêchement diriment,* l'apostasie, la folie incurable, l'absence du conjoint plus de cinq ans, sans donner aucun signe de vie, etc... etc... à l'instar de l'ancienne discipline de l'Eglise d'Orient.

b) Considérer le *Sous Diaconat Ordre Mineur* pour l'Eglise orientale, comme c'était le cas avant le promulgation du « motu proprio » du 22 février 1949. Les sous diacres laïcs sont de grand secours au clergé, dans les différentes paroisses, pendant les solennités liturgiques.

c) La *Bénédiction nuptiale* doit revenir, *de droit, au rite du mari,* quand il y a mariage entre conjoints de différents rites catholiques.

III. *Concernant la discipline ecclesiastique*

a) Faciliter les moyens d'attirer les acatholiques au Catholicisme: p. ex. baptiser les enfants des non-catholiques, leur faciliter le moyen de communier dans les églises catholiques, bénir leur mariage, quand ils manquent le prêtres, ou les assister au dernier moment avec enterrement. Ceci ne constitue pas la « Communicatio in Divinis », dans le sens propre du mot, puisqu'on attire de la sorte les schismatiques et hérétiques à l'Eglise catholique et ne donne pas lieu aux catholiques de *communiquer in divinis* avec les hérétiques.

b) Diminuer la centralisation excessive à Rome de l'administration de l'Eglise universelle.

c) Faire éviter l'ingérence des Représentants du St. Siège dans l'administration propre des différents diocèses de leur territoire.

d) Dans le choix des Représentants, prendre en considération non

seulement la capacité diplomatique de la personne; mais surtout et avant tout sa vertu et son désir de servir l'Eglise, avant de chercher à faire carrière propre.

Tels sont, Eminence, les quelques points des plus importants que j'ai cru, en toute conscience, dignes d'être exposés à l'examen des Pères du prochain Concile Oecuménique, qui, j'aime à croire, sera de la plus grande utilité à la Sainte Eglise, notre Mère, et à la Propagation de son enseignement à travers le monde.

Entre temps, profitant de l'occasion, je me déclare, de Votre Eminence Ill.me et Rév.me, le très dévoué serviteur en Notre Seigneur.

✠ JOSEPH CHEIKHO
Archevêque Chaldéen de Sehna

3

EXC.MI P. D. ZAYA DACHTOU

Archiepiscopi Urmiensis et Ep. Salmasiensis

(Urmya - Salmas)

Rezaieh, 7 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Ho avuto il piacere di ricevere la pregiata 1 C/59-1167-bis del 21 marzo 1960, riguardo al « Concilio Ecumenico » che Sua Santità il Padre Comune Giovanni XXIII f. r. ebbe l'iniziativa di annunciare; dichiaro che sia io che i fedeli di queste due diocesi (Rezaieh e Chahpour, Iran) osserviamo le antiche norme e le moderne della disciplina cristiana che sono ordinate o confermate dal Vicario di Cristo in terra. Mentre la dottrina è chiara ed è determinata dai Concili confermati dai Sommi Pontefici. Mi sforzo di mettere in pratica quello che abbiamo come tesoro immenso ed infinito che ci ha lasciato il Divin Redentore. La cristianità che vive in queste pianure montagnose è circondata dai villaggi e dall'ambiente maomettano tutto differente da quello d'Europa e vive quasi una vita cristiana strettamente Apostolica dei tempi primitivi. Siamo tutti lieti e contenti di quello che abbiamo come disciplina e dottrina. Certamente i tempi moderni domandano una disciplina un poco modernizzata, ma non qui, poichè i maomettani sono fanatici nella loro religione, noi dobbiamo essere più fanatici per non perdere il tesoro prezioso della Fede

Cattolica ed Apostolica Romana, e dobbiamo mantenere quello che abbiamo.

Intanto aderisco e mi sottometto a tutte le norme e decisioni proposte dagli EE. e RR. Arcivescovi e Vescovi miei confratelli, sia nel campo dottrinale sia anche nel campo disciplinare, aspettando però il *Confirmatur* del Vicario di Cristo in terra nostro Santo Padre il Papa Giovanni XXIII f. r.

Devotissimo servitore in Cristo Gesù
✠ ZAYA DACHTOU
Arcivescovo di Urmya
e Vescovo di Salmas

4

EXC.MI P. D. VICTORIS H. RIGHI
Internuntii Ap. in Iran

Tehran, 11 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Humiliter mihi ignoscas rogo si hodie tantum tuis litteris 18 iunii 1959 (Prot. 1 C/59-1673 bis), quibus me rogabas communicare cum libertate et sinceritate animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, respondeo.

Experientia nisus viginti quattuor annorum, quibus Apostolicae Sedis legationibus operam navavi, praeclarae prudentiae tuae quasdam animadversiones submitto.

I. ROMANA CURIA
(*C. I. C.,* can. 242-264)

Saepe Episcopi de Romanae Curiae responsis queruntur quod lenta sint.

Utillimum esset Curiam Romanam, ministris exteris frequentius adhibitis, re internationalem simulque efficientiorem efficere; cumque gravia mala ex tardis responsis, maxime cum de matrimoniis agatur, oriantur, opera danda ut S. Romana Rota expeditior sit. Cuius iurisdictio haud videtur ad alias nationes — ut Hispaniam — extendendam; sed, quamvis Tribunal Romanum permaneat, pluribus iudicibus uti deberet,

quo causae quae in dies, pro Catholicae Fidei dilatatione, frequentiores fiunt, celerius dirimantur.

Pluribus Episcopis recte duae Congregationes instituendae videntur:

1. *Congregatio Actionis Catholicae*

Cum S. C. Concilii de cleri saecularis disciplina deque dioecesium administratione agat, *Actio Catholica,* quae in dies magis necessaria fit, uniformiter fortiterque ordinanda est, ut contra novas haereses et pravas doctrinas sociales, SS. Sacramentorum frequentia et laicorum catholicorum disciplina, efficaciter contendat.

2. *Congregatio operum socialium*

Haec Congregatio peropportuna videtur quae opera socialia dioecesium et paroeciarum, operaque auxilii socialis, ad mentem S. Sedis dirigat, sicque re vera ostendat Christum, per caritatis opera, sicut primitivae Ecclesiae quae copias divitum pauperibus largiebatur, nostri temporis Ecclesiae adesse.

II. De Potestate Episcopali deque iis qui eadem participant

Titulus VIII Codicis Iuris Canonici (cann. 329-349) retractandus videtur. Per viginti quattuor annos cum Excellentissimis Ordinariis egi, qui de angusta auctoritate queri solebant. Optandum Episcopos, sicut in primitiva Ecclesia, triplicem potestatem magisterii, ministeri et gubernii re ipsa exercere posse. Quae potestas si ad normam principiorum theologicorum extendatur, Episcopi vere Apostolorum successores viderentur, dioecesesque efficientius gubernare possent.

III. Clerus saecularis

Iuvenes clerici cura nos afficiunt quippe qui disciplinam negligant vimque noxiam saecularis vitae tarde repellant; ac morem gerendo saeculo quoad habitum, locorum publicorum frequentiam, itinera, haud semper laicis exemplo sint.

Seminariorum disciplina rigidius, ac cleri saecularis actio clarius ordinandae essent. Cumque necesse sit episcopum in paroeciis assignandis plene liberum esse, beneficia inamovibilia abolenda, beneficiaque ecclesiastica iure exclusivo ab officio dioecesano administrata in unum cogenda essent, eorumque proventus paroeciis prout necessarium fuerit distribuendi essent. Clericis inopibus annua pecunia si detur, sacerdotes aetatis aut valetudinis causa non idonei facile amoveri possent.

IV. Clerus regularis et Congregationes Religiosae

Cum dioeceses religiosorum opera indigeant, cumque haud raro graviter inter episcopalem administrationem et Congregationes religiosas discrepet, statuendum esset qua ratione clerus regularis religiosique — interni regiminis libertate plena servata — Episcopo in clero saeculari auxiliando subesse debeant.

Divinus cultus personis eo officio dicatis indiget. Aeditui iuste retribuendi, *ordinesque minores* non tantum candidatis sacerdotii reservandi, sed iis etiam qui, quamvis nubant, altari inservire velint.

V. Disciplina Sacramentorum

Christifideles in nationibus musulmanis vitam degentes die dominica laborare diemque festum feria sexta celebrare debent. Cum grave ipsis sit sacro adesse et a carne abstinere, cumque religio christiana detrimentum grave pateretur si ab iis nationibus christiani abirent, praeceptum Missae die dominica audiendae ad feriam sextam, et praeceptum abstinentiae ad feriam quartam transferri posse videtur, quod etiam nostris scholis catholicis utile foret.

In iis nationibus orientalibus catholici cum haereticis et schismaticis coniuncte vivunt qui, si ad Petri cathedram redire vellent, in contumeliam formulas abiurationis accipere possent. Christianis a Petri grege seiunctis facilior esse deberet frequentia sacramentorum, iis praesertim schismaticis qui bonae fidei sint aut ignorantia laborent.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum humillimum

✠ Victorius Hugo Righi
Internuntius Ap. in Iran

IRAQ

1

Exc.mi P. D. RAPHAËLIS BIDAWID
Episcopi Amadiensis (Amadiyah)

24 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Nuntium Concilii Oecumenici, in Urbe Roma proxime convocandi, itemque Eminentiae Tuae Rev.mae Litteras Prot. n. 1 C/59-112, die 18 iunii conscriptas, ad inquirendum animadversiones, consilia et vota Patrum ex iure in Concilio vocandorum, laeto animo accepi.

Attentis temporibus nostris, mihi visum est, Pontificiae Commissioni examini, capita quae sequuntur exponere:

1. Errores moderni in re dogmatica, morali et sociali.
2. Doctrina Ecclesiae de re sociali.
3. Quaestiones aetate nostra exortae circa Matrimonium, praesertim quae circa usum et conceptionem disceptantur.
4. Relationes inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias Dissidentes, et problemata inde exorientia, praesertim circa Communicationem in divinis et matrimonia mixta.
5. Praeterea, pergratum est cordi fidelium, Coelestem Matrem, B. M. V., omnium gratiarum Mediatricem proclamare, secundo omine, hanc veritatem, fidei dogma ab Ecclesia definiri, ad maiorem Dei gloriam et ad honorem B. M. V.

Omnes Christifideles in mea Eparchia, precibus petunt et vota faciunt ut, hunc Concilium Oecumenicum, unitati Ecclesiae praesto sit, ut sint unum ovile et unus pastor.

Multa cum veneratione, Eminentiae Tuae Rev.mae salutem dico, et divinum auxilium, Pontificiae Commissioni eiusque dignissimo Praesidenti, invoco, ut opus susceptum ad finem gloriosum perducant, ad exaltationem Sanctae Ecclesiae, et ad animarum salutem.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus in Christo

✠ Raphaël Bidawid
Episcopus Amadiensis

2

Exc.mi P. D. ANDREAE SANA
Episcopi Akrensis (Aqra)

13 aprilis 1960

Eminentia Reverendissima et Illustrissima,

Honoratus sum de litteris vestris prot. N. 1 C/59-139, diei 18 iunii 1959, quibus Eminentia Vestra Reverendissima desiderabat habere sententias meas circa quaestiones tractandas in futuro Concilio Oecumenico.

Quaeso in primis excusationem ob responsi retardationem; cum sim iuvenis episcopus, non audebam praesentare sententias, attamen, cum Eminentia Vestra Reverendissima desiderat eas, ecce ergo aliquae sententiae quas honor est mihi Eminentiae Vestrae praesentare:

1. Dogmatica definitio Maternitatis spiritualis Beatae Mariae Virginis.
2. Quomodo refrenandus sit vehemens communismi fluctus.
3. Facere propagandam contra capitalismum, sicut illa quae facta est ab Ecclesia adversus communismum, ut bene in hoc ostendatur aptitudo Ecclesiae false accusatae de capitalismo.
4. Urgere formationem pastoralem seminariorum secundum scientias contemporaneas, v. g. scientias sociales, medicinales, psychologicas, etc.
5. Remedium invenire penuriae presbyterorum, studere causis desertionis candidatorum et aliquando ipsorum presbyterorum.
6. Quantum ad appropinquitatem inter ecclesias, iterum videre: « Communicatio in sacris » cum aliqua laxitate.

Hae sunt sententiae quas honor est mihi subicere Eminentiae Vestrae Reverendissimae.

Dignetur denique Eminentia Vestra Reverendissima acceptum habere obsequium animi mei.

Eminentiae Vestrae Rev.mae et Ill.mae
humilissimus et oboedientissimus servus

✠ Andreas Sana
Episcopus Akrensis

3

B. P. D. PAULI II CHEIKHO
Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum (Bagdad)

Eminence, Le 17 août 1959

J'ai l'honneur de vous accuser réception de votre lettre du dix huit juin 1959. M'étant adressée comme évêque chaldéen d'Alep, elle a passé par cette ville et a subi du retard pour me parvenir à Baghdad.

Le grand intérêt que la chrétienté attache au Concile œcuménique projeté par le Saint-Père est incontestable. Il existe en effet plusieurs question d'une haute importance pour l'union des Eglises séparées. Nous espérons que le Concile indiquera des voies practiques pour réaliser cette union et qu'il résoudra certains problèmes qui entravent le progrès de la vie catholique en Orient.

Selon le désir de Votre Eminence, je viens lui soumettre quelques remarques qui auront peut-être leur utilité si les sujets qu'elles concernent sont traités au cours du Concile. En voici le résumé:

1. Traiter de la communion avec les hérétiques, surtout en ce qui regarde les mariages mixtes. De même, des mariages avec les non chrétiens qui sont très nombreux dans le pays.

2. Coordinations des juridictions catholiques dans un même pays. Cette coordination donnera un élan à la vie catholique, surtout dans les centres ou coexistent plusieurs rites.

3. Principes de collaboration.

4. Unité de discipline quant aux fêtes chômées et à l'assistance à la messe.

5. La vie religieuse en Orient où les congrégations purement contemplatives sont inexistantes. Les congrégations religieuses orientales, quel que soit par ailleurs le but de leur fondation, doivent donner à la contemplation la part qui lui revient pour exprimer la pleine signification de la vie religieuse.

6. Organisations des biens ecclésiastiques, surtout de ceux qui appartiennent aux couvents.

Voici, Eminence, les points que j'ai jugés les plus importants relativement à notre pays et aux pays voisins.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage des sentiments très respectueux avec lesquels j'ai l'honneur d'être de Votre Eminence.

L'humble serviteur
✠ PAUL II CHEIKHO
Patriarche de Babylone des Chaldéens

4

Exc.mi P. D. NERCÌS TAYROYAN
Archiepiscopi Babylonensis Armenorum (Bagdad)

Qui responsum dedit una cum

Em.mo P. D. GREGORIO P. XV AGAGIANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum [1]

5

Exc.mi P. D. ARMANDI S. BLANQUET DU CHAYLA
Archiepiscopi Babylonensis Latinorum, Delegati Ap. in Iraq (Bagdad)

St. Amand les Eaux. (Nord). - France, 17-8-1959

Eminentia Reverendissima,

Hoc est responsum Tuis Litteris Prot. N. 1 C/59-176 et N. 1 C/59-1695 de diebus 18 iunii 1959 et 13 iulii 1959, a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico.

Mihi videtur optandum incarnationem Ecclesiae magis esse efficientem in diversis locis et diversis societatibus quae attingunt Missionarii.

Secundum traditionem Ecclesiae, puto liturgicam expressionem precum — quoad linguam et ritus non essentiales — magis adaptandam esse comprehensioni diversarum nationum et diversarum societatum fidelium.

In eodem sensu, pastoralis adaptatio posset magis se conformari evolutioni civilizationis praecipue quoad evangelizationem mundi operariorum.

In his rebus, legislatio specializata definiretur pro tota Ecclesia, concedens maiorem latitudinem prudentiae Episcoporum, sicut olim factum est pro Sanctis Cyrillo et Methodio.

Forsitan, « communicatio in sacris » cum Orthodoxis posset esse revisenda et definienda, ad facilitandas fraternas relationes cum eis.

In regionibus ubi coexistunt plures Ritus Orientales, celebratio festorum praecepti et obligatio ieiuniorum posset laudabiliter uniformari.

---

[1] Cf. pp. 394-400.

In celebratione Missae, utilisatio hostiarum cum fermento (similium hostiis azimis) posset esse licita pro sacerdotibus latinis, degentibus in medio fidelium orientalium, et vice versa.

Offerens Tuae Eminentiae Reverendissimae obsequium profundae venerationis et amplectata Sacra Tua Purpura, me profiteor

Tuae Eminentiae Reverendissimae
humillimum servum in Domino
✠ ARMANDUS S. BLANQUET DU CHAYLA
Archiepiscopus Babylonensis Latinorum
Delegatus Babylonensis Latinorum

6

EXC.MI P. D. ATHANASII I. D. BAKOSE
Archiepiscopi Babylonensis Syrorum (Bagdad)

Qui responsum dedit una cum

EM.MO P. D. IGNATIO G. TAPPOUNI
Patriarcha Antiocheno Syrorum [1]

7

EXC.MI P. D. IOSEPHI GOGUÈ
Archiepiscopi Basrensis Chaldaeorum (Bassorah)

Basrah, 27 luglio 1959

Eminentissimo Principe,

Con grato animo ho letto e ben capito la stimatissima lettera Circolare n. 1 C/59-203, che Vostra Eminenza Illustrissima e Reverendissima si è degnata d'inviarmi intorno le materie da preparare e trattare nel progettato Concilio Ecumenico, divinamente ispirato a Sua Santità Nostro Sommo Pontefice Giovanni XXIII felicemente Regnante.

Il sottoscritto, l'ultimo, ed anche indegnamente, nella lista della Gerarchia Cattolica prega umilmente Vostra Eminenza Illustrissima e Reverendissima di voler prendere in buona considerazione le seguenti osservazioni:

1. In Oriente, vi sono, nello stesso territorio delle Comunità di differenti Riti con differenti Superiori.

---

[1] Cf. pp. 390-392.

2. Oggi più di una parte del Diritto Canonico è stata promulgata per la Chiesa Orientale. Tuttavia, la Disciplina e l'Amministrazione lasciano molto a desiderare, non solo per gli Orientali ma anche per il Clero e la Comunità di Rito Latino.

Per dare vita spirituale a tutto l'Oriente e ridurre, al minimo possibile, le discordie e le accuse di una parte contro l'altra, credo, anzi, *cum libertate et sinceritate,* dichiaro, con coscienza convinta da una lunga esperienza, essere necessario mettere definitivamente in esecuzione quanto segue:

1) Istituire un Consiglio composto dai Superiori Maggiori di tutti i Riti, avendo per sede la Capitale del Paese di cui si tratta. Le norme emanate da detto Consiglio sarebbero per tutto il Clero e tutte le Comunità di tutti i Riti, incluso il Latino.

2) Il Clero Orientale deve essere considerato e trattato senza preferenza di un Rito all'altro, anzi come il Rito Latino stesso, e questo non solo nei Paesi dell'Oriente, ma in tutto il mondo.

3) Credo essere di una grande utilità istituire nella S. Congregazione Orientale una Commissione speciale con membri scelti da tutti i Riti. Essi, vivendo in tale ambiente, ed avendo tutti un solo scopo potrebbero più facilmente intendersi tra di loro, e con più grande fiducia, arrivare alla più desiderata e possibile uniformità in tutta la Chiesa Orientale.

Prego Vostra Eminenza Illustrissima e Reverendissima di voler benignamente scusare la mia franchezza e gradire i miei profondi rispetti e credermi

di Vostra Eminenza Illustrissima e Rev.ma
devoto servo in Gesù Cristo

✠ GIUSEPPE GOGUÈ
Arcivescovo Caldeo di Bassorah

8

EXC.MI P. D. RAPHAËLIS RABBAN
Archiepiscopi Cherchensis (Kerkūk)

2 aprilis 1960

Eminence,

En réponse à la haute lettre de Votre Eminence N. 1 C/59-673, de la date de 18 juin 1959, réitérée le 21 mars 1960, j'ai l'honneur d'exposer à Votre Eminence, en toute liberté et en toute franchise, mes humbles

remarques à propos des sujets à traiter dans le futur Concile Œcuménique.

On parle déjà de ce Concile comme étant le Concile de *l'Union*. A dire vrai, les âmes et le monde chrétien entier sont extrêmement et plus que jamais fatigués de la division actuelle des membres du Christ! Il est temps, par conséquent, d'étudier à fond, dans le futur Concile, les moyens concrets et aptes à réalisé cette Union, tant désirée. Le bien des âmes et les intérêts de la religion, si fortement et si diaboliquement menacés, aussi bien que l'esprit même de la religion, rendent cette Union extrêmement pressante. Tous la réclament et personne comme le St. Siège n'a le droit de la traiter « ex professo », ni les moyens de la réaliser! et les sacrifices qu'une telle Union impose sont des Riens si l'on considère le bien des âmes, rachetées par le Précieux Sang, qui en résulterait!

Des difficultées, d'ordre doctrinal et disciplinaire, pourraient s'y opposer:

I. *Les difficultés d'ordre doctrinal*

Certes, il est impossible d'aborder la question de l'Union avec le faux espoir d'apporter quelque changement dans les articles de Foi. Toutefois, je crois que l'on pourrait, si la réalisation de l'Union l'exige, apporter quelques changements dans les *expressions et terminonologies* adoptées jusqu'à présent dans ces articles, pour n'en choisir que celles qui, tout en laissant « integrae » les vérités professées dans ces mêmes Articles de Foi, pourraient être bien accueillies par la théologie traditionnelle des Eglises séparées. Un bon nombre de ces expressions, scandaleuses à nos chers frères séparés, se trouvent dans les traités de la Sainte Trinité, de l'Incarnation, de la Rédemption et du Purgatoire, etc.

II. *Les difficultés d'ordre disciplinaire*

Tout le monde est témoin de l'attachement, trop fort, de nos frères séparés aux droits et privilèges de leurs Eglises, d'origine apostolique ou presque, comme le montrent les discussions qui eurent lieu à travers les siècles, chaque fois que l'on voulait envisager la question de l'Union. A mon humble avis:

1) le Code de droit Canon oriental, que le St-Père a l'intention de publier, devrait éviter toute expression qui pourrait signifier quelque « inégalité » dans les effets des canons sur les membres de l'Eglise Catholique. Les canons publiés jusqu'à présent pour l'église Orientale, portent, hélas! quelques unes de ces inégalités!

2) les origines de l'institution dans l'Eglise des deux dignités écclésiastiques, le Patriarcat et le Cardinalat, montrent clairement comment et pourquoi le rang du Patriarcat devrait tenir place, dans les Préséances, *immédiatement après le Pape.* Les Eglises Orientales séparées continuent à la penser et, croyons-nous, à l'exiger. D'après eux, aucune personne ne devrait précéder le Patriarche, sinon le Pape et Ses Légats qui « Patriarchis praecedunt si explicitum mandatum cum praecedentia pro particularibus actibus iis a Summo Pontifice commissum fuerit ».

3) Pour les mêmes raisons, il est souhaitable d'accorder aux Patriarches les mêmes privilèges que les Cardinaux, y inclus le droit de prendre part à l'élection du « Père Commun », le Souverain Pontife, *sans que les mêmes Patriarches soient créés Cardinaux.* De cette manière, la dignité Patriarcale conservera ses prérogatives, dont les Orientaux sont tellement jaloux, et les Eglises Orientales seront convenablement représentées dans l'élection du chef Suprême de l'Eglise, en même temps que les préjugés enracinés dans la mentalité de nos chers frères séparés perdront toute justification.

Note: N'est-il pas utile, Eminence, d'étudier la question de l'élection du Souverain Pontife d'une manière qui accorde le droit d'y participer à toutes les nations dans lesquelles la Hiérarchie est canoniquement et légitimement constituée? La plus haute dignité ecclésiastique de la nation pourrait en représenter la Hiérarchie! Quelle bonne impression ne pourrait apporter une telle décision de la part du futur Concile!

4) enfin, il est à souhaiter de restreindre dans les limites du minimum possible les exigences du droit canon en ce qui regarde les relations avec les frères séparés et la « *Communicatio in divinis* ».

En offrant mes humbles prières pour la Conservation de Sa Sainteté et pour la bonne réussite du futur Concile, je prie Votre Eminence de daigner agréer l'expression des sentiments de ma meilleure et profonde vénération avec lesquels j'ai l'honneur d'être

de Votre Eminence
le plus humble et obéissant
serviteur

✠ Raphaël Rabban
Arch. Chald. de Kerkuk

9

Exc.mi P. D. EMMANUELIS BENNI

Archiepiscopi Mausiliensis Syrorum (Mossul)

Mossoul, le 15 avril 1960

Eminentissime Seigneur,

Il y a une vingtaine de jours, j'ai reçu l'honorée lettre de la commission pontificale antépréparatoire au Concile Œcuménique Prot. N. 1 C/59-880 bis datée du 21 mars 1960. Etant donné que ma promotion à l'épiscopat a eu lieu au mois d'octobre et que j'ai été sacré évêque le 8 décembre 1959, il est naturel qu'aucune lettre précédente concernant le sujet ne m'a été adressée. Par ailleurs je sais que les Prélats de notre Communauté Syrienne, réunis sous la présidence de notre Vénéré Patriarche, ont adressé à Votre Eminence Révérendissime une réponse collective dont j'ai été mis au courant. Je trouve tout naturel donc d'unir ma voix à celles de mes confrères dans l'épiscopat et de faire tout à fait miennes leurs suggestions.[1]

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, l'hommage de mon religieux respect et l'expression sincère de ma profonde vénération avec laquelle, vous baisant humblement les mains, j'ai l'honneur d'être

de Votre Eminence Illustrissime
L'humble et très dévoué serviteur
✠ Cyrille Emmanuel Benni
Archevêque Syrien de Mossoul

10

Exc.mi P. D. THOMAE REIS

Episcopi Zachuensis (Zaku)

Zakho, le 26 avril 1960

Eminence Révérendissime,

En référence à votre honorée datée le 21 mars 1960, No. 1 C/59-1495-bis, voici quelques suggestions que j'ose faire humblement, pour la discipline des fidèles, et pour un meilleur Apostolat auprès des hérétiques dans nos contrées orientales.

---

[1] Cf. pp. 391-392.

1. Dans chaque diocèse, nous avons, outre les Orthodoxes, trois ou quatre évêques catholiques qui sont indépendants l'un de l'autre, parce que de Rite différent. Chacun gouverne une portion du peuple catholique, d'une manière indépendante et avec des lois différentes. Cela rend ce pauvre peuple comme un corps tiraillé moralement et matériellement par plusieurs têtes autonomes. Le corps en souffre violence. Les fidèles aussi bien que les dissidents en sont scandalisés, car on y remarque souvent l'esprit malsain d'égoïsme et de rivalité, quitte à l'apostolat de devenir presque nul auprès des Orthodoxes.

Ne faudrait-il pas mieux organiser la vie catholique en unifiant, malgré la diversité des rites, les fêtes, les jeûnes et le gouvernement ecclésiastique des Diocèses, et faire en sorte qu'il y ait, dans chaque diocèse, un seul chef ou évêque, de l'autorité duquel dependraient clergé et fidèles, malgré la différence de leurs rites. On travaillerait ainsi pour la cause catholique, et non pas pour le propre intérêt égoïste de son groupe rituel ou de la nationalité.

2. Les vocations sacerdotales devenant chez nous très réduites, des dizaines de nos communautés catholiques, dans de vastes contrées, sont privées de pasteurs, et par suite, de tout aliment spirituel. On y retombe petit à petit dans l'ignorance religieuse et dans beaucoup d'erreurs.

Ne faudrait-il pas que les évêques, successeurs des Apôtres et trésoriers du Christ, puissent, comme dans les premiers siècles, recruter eux-mêmes parmi les bons fidèles, le nombre suffisant de prêtres et de diacres, quoique mariés et de peu de culture, pour obvier à une nécessité fatale, et assurer ainsi le ministère du salut des âmes dont ils ont la charge et la responsabilité. Les dissidents le font et c'est ainsi qu'ils maintiennent l'organisation de leurs communautés; tandis que chez nous, en exigeant rien que des prêtres célibataires et bien instruits, nous perdons au lieu de gagner.

Nous constatons, en effet, que par manque de prêtres, nos populations catholiques, surtout les nouvelles générations, passent à l'indifférence religieuse et aux mœurs païennes, si ce n'est au communisme ou à la Maçonnerie.

De plus, l'apostolat auprès des dissidents est non seulement très faible, mais même beaucoup de convertirs sont revenus au Nestorianisme, par exemple, parce qu'on n'a pas pu leur assurer un prêtre catholique.

D'ailleurs dans notre grande Nation chaldéenne d'autrefois, l'histoire nous dit que le clergé célibataire et marié ont travaillé de pair pour maintenir la Foi et la Morale parmi les fidèles, et pour propager la Reli-

gion chrétienne jusque dans les régions lointaines de la Chine, de l'Inde et de l'Afrique.

Daignez, Eminence Révérendissime, agréer l'expression d'hommage et de respect religieux en Notre Seigneur.

Humblement devoué
✠ Thomas Reis
Evêque Chaldéen de Zaku

11

Exc.mi P. D. SOLIMANI SAYEGH

Episcopi tit. Paleopolitani in Asia, Auxiliaris Babilonensis Chaldaeorum

Mossoul, li 12-8-1959

Eminenza,

Ho l'onore di rispondere alla Sua lettera del 1-6-1959 Prot. N. 1 C/59-2264, nella quale mi chiede di suggerire le mie osservazioni per il futuro Concilio.

In quanto riguarda l'ambiente ecclesiastico nel quale viviamo suggerisco, in sunto, quello che segue:

1. Gli errori nascono dalla debolezza della fede, che si estende in questi giorni più che mai, e il solo rimedio per ostacolarla sta nell'aprire delle scuole private, una almeno per i ragazzi e un'altra per le ragazze, in ogni diocesi, sotto la direzione immediata dell'autorità ecclesiastica locale, solo così il Vescovo oppure il sacerdote potrebbe arrivare al cuore dei suoi diocesani e guadagnare i fedeli. Con questo mezzo si può conservare il tesoro della fede, però tre ostacoli possono sorgere innanzi al Vescovo prima di effettuare l'apertura di simili scuole: 1) l'ottenimento dell'autorizzazione da parte del Governo; 2) i fondi; 3) i maestri e le maestre.

Qui in Mossoul abbiamo una sola scuola privata nominata « la madre di perpetuo soccorso » sotto la mia responsabile direzione, la quale avanza sempre bene dal 1946 sorpassando tutti gli ostacoli. Da ciò si conclude che si potrebbe contare sopra simili scuole se noi potessimo allontanare le difficoltà sopra menzionate.

2. Ottimo mezzo per il successo della missione tra i Nestoriani è la scuola. I Nestoriani che chiamano loro stessi « la vecchia chiesa » sono numerosi a Bagdad ed a Mossoul specialmente al nord di questa città, sono fanatici, lontani dalla Chiesa e non si può convincerli che per

mezzo di scuole ben ordinate, perchè il loro clero ignorante li ha abbandonati nei villaggi, dove mancano le scuole alle quali aspirano con l'unica condizione che queste scuole siano dirette da sacerdoti nazionali senza l'intervento dei missionari stranieri i quali sono sempre sospettati.

3. Attirare gli acattolici all'unità per mezzo della buona intelligenza.

Nel nostro ambiente si sono mescolati i cattolici con gli acattolici e sono uniti per vincoli di amicizia, di visite, di formalità sociali e soprattutto di parentela in seguito ai matrimoni misti contratti nel passato. Nello stesso tempo non bisogna ignorare che i cristiani da noi sono dei compatrioti, cioè figli di una stessa patria e perciò devono essere legati da una carità perpetua, invulnerabile, che sia praticata pure nei matrimoni misti, rendendo responsabile delle obbligazioni richieste la parte cattolica sola.

4. I missionari stranieri a servizio del Vescovo.

L'opera dei missionari di qualunque ordine e nazionalità, deve essere limitata alle scuole secondo la loro specializzazione e non deve essere loro permesso l'intervento nella direzione delle anime che indirettamente e per desiderio dell'Ordinario, come pure l'accettazione nelle loro chiese di convento, dei fedeli delle altre comunità, avendo il loro proprio rito e la loro propria chiesa, salvo il caso in cui li chiami lo stesso Vescovo locale perchè il nostro Oriente diventa sospettoso.

5. L'ordinamento della vita del sacerdote.

La nostra città ha bisogno di scuole tecniche per la sua erudizione, il progresso e la garanzia del futuro; il cristiano dell'oriente è incline piuttosto alle opere manuali e dunque le migliori scuole per noi sono quelle che insegnano mestieri ed arti ed imprimono nello stesso tempo nel cuore del giovane pietà e religione.

Da noi la maggior parte dei sacerdoti abitano dai loro parenti, perciò la loro vita non è sempre ben ordinata, a danno delle stesse anime loro e di quelle affidate alle loro cure. Quanto al rimedio di questo stato anormale si deve ordinare che:

1) i sacerdoti stiano in un presbiterio sotto la guida del proprio Vescovo;

2) il Vescovo badi a procurare una bastante rendita al suo sacerdote perchè possa vivere onorevolmente e risparmiare per le sue malattie, per la vecchiaia, per i poveri.

Si sono visti dei sacerdoti indigenti, miseri, perchè non hanno guadagnato il necessario oppure perchè lo zelo non li ha lasciati accumulare.

Spero di poter con questa mia umile lettera recar un piccolo servizio al Concilio prossimo che sta per riunirsi sotto l'augusto auspicio e la prudente guida del Sommo Pontefice il Papa Giovanni XXIII f. r., per

la gloria di N. S. G. C. ed il benessere e l'avanzamento della Santa Chiesa da per tutto.

Prima di chiudere questa mia lettera aggiungo il mio più profondo rispetto unito alla fraterna sincerità e dichiaro di essere il più umile servitore in Nostro Signore.

✠ SOULEYMAN SAYEGH
Vescovo tit. di Paleopoli di Asia
Ausiliare per Mossoul del Patriarca di Babilonia dei Caldei

LAOS

1

EXC.MI P. D. IOANNIS ARNAUD

Episcopi tit. Tentyritani, Vicarii Ap. Thakhekensis (Thakhek)

Thakhek, le 18 septembre 1959

Eminence Révérendissime et Illustrissime,

J'ai l'honneur de vous faire savoir que j'ai bien reçu la lettre du 18 juin (1 C/59 N. 1877) que Votre Eminence a bien voulu m'adresser au sujet des vœux et suggestions à émettre en vue de la Commission Antépréparatoire du Concile Œcuménique.

J'ai bien reçu également le télégramme que Votre Eminence m'a envoyé le 1er septembre afin de transmettre les vœux et la Bénédiction Apostolique du Saint-Père à deux missionnaires de ce Vicariat de Thakhek, les Révérends Pères Odilon Malaval et Prosper Alazard qui viennent de fêter leur jubilé sacerdotal, l'un pour ses soixante ans et l'autre pour ses cinquante ans.

Les missionnaires du Vicariat Apostolique de Thakhek se sont réjouis quand ils ont appris la décision du Souverain Pontife de réunir un Concile Œcuménique. Ils sont persuadés qu'il contribuera à l'honneur et à la gloire de la Sainte-Eglise et au bien de beaucoup d'âmes.

Dans la feuille jointe à cette lettre, je note quelques vœux ou suggestions pour les travaux du futur Concile Œcuménique. Notre mission de Thakhek, est toute petite (du moins quant au nombre de Baptisés) et se trouve enfermée dans l'intérieur des terres, il nous est donc difficile d'argumenter et de donner des avis ou des opinions justes sur les grands problèmes de l'Eglise.

Pour les missions du Laos, le point le plus important de l'heure actuelle, c'est le danger communiste représenté par ses puissants voisins la Chine et le Vietnam du Nord. Ces deux pays communistes qui ont des frontières communes avec le royaume du Laos, s'emploient a mettre le désordre et la division partout dans ce pays et à y faire pénétrer l'idéologie communiste.

La lettre que Votre Eminence m'a envoyée à la date du 18 juin ne m'est parvenue qu'au début du mois d'août. Ce retard explique un peu celui que je mets à répondre à cette lettre.

Veuillez agréer, Eminence, l'assurance de mes remerciements pour votre télégramme du 1[er] septembre apportant les félicitations et la Bénédiction du Saint-Père à deux de nos vieux missionnaires fêtant leur jubilé de diamant et d'or, et l'assurance de mes hommages respectueux et dévouées.

✠ JEAN ARNAUD
Vicaire Apostolique de Thakhek

Vœu général de simplification dans le Culte, la Liturgie, le Bréviaire, la Pastorale, l'Administration etc.

Autrefois on avait laissé les Eglises et chapelles s'encombrer de statues, de tableaux, d'ex-votos, de lampadaires, etc. etc. ... Tout cela nuissait aux lignes et à la beauté de l'edifice, et surtout cela distrayait de la vue de l'autel et de la présence du Christ en son tabernacle. Aujourd'hui on réagit, avec raison sans doute, contre cet encombrement hétéroclite, encore qu'il eut été fait, dans le cours des âges, avec les meilleures intentions, de même il semblerait qu'il serait bon d'élaguer, à bon escient, dans le Culte, la Liturgie, le Bréviaire et en beaucoup d'autres chapitres afin de mieux mettre en évidence la figure du Christ, l'essentiel de son enseignement, sa présence vivante et agissante dans les âmes et dans l'Eglise, et aussi de mettre mieux en évidence la personne du Souverain Pontife, Vicaire de Jésus Christ, et les enseignements et directives de l'Eglise.

Vœu général d'adaptation plus réelle de l'Eglise catholique, aux divers pays et milieux de la planète. Si l'Eglise catholique se dépouillait un peu de sa forme et de sa présentation européenne pour lui permettre de prendre un visage ayant quelque ressemblance avec les différents milieux de race, de climat, de culture, de langue dans les pays où elle s'est implantée à travers le monde, elle s'y trouverait moins étrangère, mieux acceptée et de ce fait aurait plus de facilités pour s'y développer.

Tout le monde est d'accord pour admettre et prôner qu'il faut s'adapter au milieu où l'on vit, mais en pratique cette adaptation n'est très souvent que partielle et superficielle... donc insuffisante.

Vœu d'intensification et de coordination des moyens pour lutter plus efficacement contre le Communisme qui est toujours, semble-t-il, le plus grand ennemi de l'Eglise et de la civilisation chrétienne.

Vœu particulier au sujet des Missions. Bien que les Œuvres Pontificales Missionnaires aient fournis les plus précieux secours qui ont permis la création, le maintien et le développement des missions catholiques dans les pays extrêmement pauvres comme le Laos, il serait à souhaiter

que l'aide des vieux pays chrétiens soit intensifiée, non seulement en ressources pécuniaires mais aussi en personnel et en objets nécessaires ou utiles aux missionnaires. La mission de Thakhek, comme beaucoup d'autres missions, ne pourrait se développer que si les ouvriers apostoliques et les ressources matérielles vont en augmentant.

Jumelage ou parrainage des bons diocèses d'Occident avec des territoires de Mission serait, semble-t-il, une bonne formule pour aider les missions.

Un vœu ardent des missionnaires de Thakhek c'est de voir la création d'une Œuvre Pontificale des Catéchistes, auxiliaires des missions.

Le nombre des missionnaires et des prêtres du pays est très insuffisant pour le travail d'apostolat dans cette mission de 100.000 kmq. La formation d'un clergé autocthone est très difficile, d'autant plus difficile qu'on veut imposer les programmes et les disciplines d'études des pays évolués d'Occident à des séminaristes de pays sous-évolués.

Il en résulte que ces séminaristes se découragent et abandonnent les études, et donc que le nombre des prêtres ne peut augmenter que très lentement.

C'est donc par la multiplication des Catéchistes que pourra se développer l'Apostolat dans cette mission de Thakhek et d'autres qui lui ressemblent.

Quelques suggestions particulières des missionnaires de Thakhek.

Missel: Pour le bien des fidèles on souhaiterait d'avoir la permission d'user de la langue qu'ils comprennent, en dehors du Canon ou au moins jusqu'à l'Offertoire.

Les missionaires qui doivent porter une chapelle portative, surtout quant ils vont à pied ou à cheval à travers la brousse, désirent que soient un peu réduit le nombre des objets actuels d'une telle chapelle (il y en a plus de vingt) afin de ne conserver que ceux qui sont vraiment indispensables.

Rituel: On désirerait que la langue vulgaire y ait une grande place.

Bréviaire: On désirerait la suppression des répons et des antiennes, que les leçons ne soient pas coupées et que les Matines soient un peu abrégées.

✠ JEAN ARNAUD
Vicaire Apostolique de Thakhek

LIBANUS

1

B. P. D. PAULI P. MEOUCHI

Patriarchae Antiocheni Maronitarum (Antiochia dei Maroniti)

Bkerké, le 31 août 1959

Eminence Révérendissime,

L'exposé que nous avons l'honneur d'adresser à la Commission antépréparatoire du Concile, en réponse à la Lettre Circulaire de Votre Eminence, Prot. I C/59 en date du 18 juin 1959, se présente comme une série de problèmes, centrés, tous, sur le thème: « La présence de l'Eglise Catholique au monde contemporain ».

Les indications sont sommaires. Elles soulignent certaines questions qui sont susceptibles de retenir l'attention des membres de la Commission et de figurer ultérieurement à l'ordre du jour du Concile. Ce sont des titres d'orientation pour des études préparatoires possibles.

Par ailleurs, comme Chef d'une église particulière qui entretient constamment des rapports avec les églises orthodoxes et le monde musulman, nous joignons, en annexe, quelques réflexions touchant les problèmes qui se font sentir au sein de notre Communauté.

Le tout est soumis à l'examen des vénérables membres de la Commission antépréparatoire pour qui nous formons les meilleurs vœux de succès, accompagnés des prières de toute l'église maronite et des miennes propres.

Daigne Votre Eminence agréer l'hommage de notre religieux dévouement et de notre profond respect.

Le Patriarche Maronite d'Antioche
et de tout l'Orient
✠ Paul Pierre Meouchi

Introduction

Le Pape a défini comme suit le but du prochain Concile:

« Le but principal du Concile consistera à promouvoir le développement de la foi catholique, le renouveau moral de la vie chrétienne des

fidèles de notre temps. L'Eglise toute entière, et en elle tout baptisé, est invitée à réfléchir en face du monde moderne, à faire un pas en avant ».

L'exposé que nous donnons ci-après se présente comme une série de problèmes axés sur le thème:

« présence de l'Eglise Catholique au monde moderne ».

Dans cet exposé, nous commençons par regarder notre époque. Nous y découvrons les traits suivants:

1. Notre époque se veut de plus en plus *profane et laïque*. Le temporel tend à prendre son autonomie. C'est le phénomène connu de la *sécularisation,* d'une part, et de la *déchristianisation,* d'autre part.

2. Notre civilisation est de plus en plus façonnée par la *technique*. Les conséquences en sont connues dans le domaine de la connaissance, comme dans celui de l'action. Elles se font sentir dans la vie religieuse elle-même.

3. Le monde contemporain *souffre de divisions*. Elles sont de tous les ordres. Elles ont engendré deux guerres mondiales. Elles menacent continuellement la paix.

4. Enfin, la société contemporaine est entraîné dans un mouvement collectif de paganisation. Cela se traduit par *l'absence du sens chrétien du péché*.

Il serait pertinent que l'Eglise, qui a la charge de sauver l'humanité, se penche, lors de la tenue du Concile, sur ces questions générales qui ressortent de près à sa mission dans le monde.

I. *Un monde qui se laïcise*

1. Dans tous les pays du monde, on assiste à une *laïcisation poussée des institutions civiles*. L'Eglise y a contribué, dans le passé, avec son enseignement relatif à la distinction entre l'ordre temporel et l'ordre spirituel.

2. Cela pose deux questions importantes, l'une relative aux hommes d'église, l'autre aux chrétiens laïques:

A) *Les hommes d'église.*

Les tâches temporelles passent progressivement de leurs mains propres, dans celles des laïques. D'où l'importance primordiale de confier ces tâches à des laïques chrétiens professionnellement et chrétiennement qualifiés.

B) Comment préparer les chrétiens à occuper des places dans les institutions séculières et laïques?

L'action temporelle est multiforme, sociale, économique, culturelle, politique etc. Elle appelle nécessairement un *laïcat qualifié et spécialisé.*

La préparation d'un tel laïcat doit être étudiée par un comité spécial avant le Concile.

C) A un *niveau plus élevé,* se posent les problèmes de la *science profane* dans l'Eglise et conséquement celui de l'Humanisme chrétien. Dans quelle mesure il faut encourager les prêtres et les religieux indépendamment des laïcs, à se spécialiser dans les disciplines de la science profane?

D) Enfin, le *problème de l'Ecole chrétienne* mérite une étude spéciale avec toutes les nuances que demande l'articulation du droit de l'Eglise et celui de l'Etat. C'est un problème qui se pose à l'Eglise dans tous les pays. Nulle part, il n'a reçu une solution satisfaisante.

II. *Le monde de la technique*

1. La civilisation technique tend à devenir universelle et mondiale. Elle surmonte tous les obstacles, fait tomber toutes les barrières.

2. Elle pose des problèmes:

a) *Au niveau de la foi,* par le matérialisme sous toutes ses formes.

b) *Au niveau de la connaissance,* avec les sciences techniques généralisées.

c) *Au niveau de l'action,* par une soif du luxe, du confort et du lucre.

d) *Au niveau social,* par une méconnaissance de la dignité de la personne humaine, par les loisirs, par les agglomérations urbaines etc.

3. L'Eglise qui n'ignore pas ces transformations du monde se trouve en présence de deux grands problèmes:

a) *Le premier* est le rôle que les *techniciens* sont appelés désormais à jouer dans les pays évolués, comme dans les pays sous-développés.

Les pays manquent de techniciens. Il faut en préparer. Que peut faire l'Eglise dans ce domaine? Va-t-elle rester passive devant un besoin universellement ressenti? Va-t-elle laisser la civilisation technique se constituer sans elle? Dans le passé, avec l'humanisme gréco-latin, l'apport de l'Eglise fut considérable. Dans le domaine scientifique, il est sensiblement réduit.

b) *Le second,* est celui de *l'action sociale de l'Eglise.*

Dans le secteur social, les conséquences de l'industrialisation se font sentir dans la vie familiale, d'abord, dans le domaine du travail, ensuite. Les enseignements de l'Eglise ont eu une grande répercussion. Sont-ils encore au point. Ce problème s'impose à l'attention du Concile.

III. *Le monde divisé*

Les divisions dans le monde ont un caractère massif saillant.

I. *Divisions matérielles.*

Il y a *les pays riches et les pays pauvres.* Les pays riches et évolués sont, généralement, des pays chrétiens. Les pays pauvres sont les pays non-chrétiens.

Ceux-ci forment les deux tiers de l'humanité. Ils vivent dans la misère matérielle, dans la maladie et dans l'ignorance.

Le Concile ne peut pas méconnaître cette situation tragique dans le monde. *L'action missionnaire s'en ressentira beaucoup.*

2. *Divisions politiques.*

Les *divisions politiques* sont connue. Elles menacent *la paix* dans le monde.

Une étude approfondie des conditions modernes de la paix devra être entreprise. La doctrine chrétienne de la paix devra être complétée par une recherche sur les conditions de ce bien inestimable. Elles sont d'ordre politique, économique, social et idéologique.

Cette étude manque encore. Elle sera d'un apport très grand, à notre époque.

3. Les *problème de la solidarité humaine* sera, donc, posé au Concile. Et avec ce problème, celui de la Charité et de l'assistance.

C'est un domaine très vaste. *L'Organisation internationale de la Charité Catholique* devra être étudié avec une certaine priorité.

L'Eglise ne donne pas assez, dans ce siècle, le témoignage de la Charité, surtout sous sa forme humaine de l'assistance.

C'est peut-être, ici, que se manifeste l'attente du monde par rapport à l'Eglise. (Cfr. le dernier discours de Jean XXIII à l'Action Catholique italienne).

IV. *Un monde où règne le péché*

1. Les structures du monde moderne sont des occasions prochaines de péché. Le péché n'est plus seulement personnel; il est institutionnel. Il faut demander aux *sociologues chrétiens* d'étudier ce thème avant la tenue du Concile. Ces études projetteront une lumière nouvelle sur les problèmes de la théologie morale, notamment, dans les domaines de la justice sociale, et de la chasteté chrétienne.

2. La vie chrétienne est en étroite dépendance des structures modernes. Il suffit de rappeler les grands problèmes familiaux, ceux de la pastorale et de le pratique religieuse dans le monde.

Les responsabilités pastorales au niveau des évêques et des prê-

tres devront ici être largement étudiées. Il s'agit, en effet, du domaine essentiel de l'Eglise. N'est-elle pas l'institution universelle chargée, seule, de continuer dans le monde le mystère de la Rédemption. Elle a pris en charge le salut des âmes.

3. Dans ce cadre de la vie spirituelle de l'Eglise, le Concile devra se pencher sur les grands mouvements qui surgissent dans la Communauté Chrétienne: le mouvement catéchistique, le renouveau liturgique, la recherche pastorale, les problèmes de structures paroissiales, le gouvernement collégial au niveau des diocèses, comme à celui de l'Eglise elle-même. L'unité de l'Eglise et sa vitalité s'en trouveront renforcées.

Conclusion

Ce schéma fait apparaître le besoin vital qu'a de l'Eglise le monde contemporain. C'est elle qui va assurer à ce monde en gestation, sa résistance intérieure et sa survivance.

L'Eglise a, certes, besoin de tout un appareil de soutiens extérieurs et d'aides de tous genres. Il lui appartient, en exclusivité, de refaire son propre appareil, de l'adapter, de le rajeunir, pour en faire un instrument, en mesure de porter aux hommes de notre temps le salut de Jésus-Christ.

La pièce maîtresse de l'appareil est *le sacerdoce*. Nous ne faisons que le mentionner. L'Eglise connait le problème du sacerdoce catholique dans tous ses détails, au plan de l'épiscopat, comme à celui de la prêtrise. Ils sont ministres de la parole et ministres des sacrements. Le Concile devra se pencher longuement sur ce problème dont dépend la vie spirituelle du monde.

Annexe

L'Eglise Maronite

1. L'Eglise maronite qui vit en union étroite avec le Siège de Pierre, depuis toujours, compte 885.000 fidèles. Ils sont répartis en deux fractions importantes. La première, celle qui, depuis des siècles est enracinée dans le Liban. La seconde, celle qui depuis un siècle, ne cesse de se développer, sur le continent américain.

2. Les problèmes qui se posent à l'une et à l'autre fraction, ne sont pas identiques. S'ils ne peuvent pas être étudiés, pour eux-mêmes, au sein du Concile, ils trouveront certainement place dans les études qui seront menées, d'une part sur les relations des églises unies avec les églises séparées, et de l'autre sur la situation des chrétiens orientaux dans les diocèses latins, en Europe et dans les deux Amériques.

I. *Les maronites au Liban*

Pour ce qui est de la fraction libanaise de l'Eglise maronite, il convient de rappeler:

A) *Le rôle du Patriarcat.*

La structure séculaire de la Communauté repose sur l'institution patriarcale qui en assure l'unité intérieure et la représentation extérieure vis-à-vis des églises, séparées, de l'Islam et des pouvoirs civils en Orient, comme en Occident. C'est un rôle historique dont on ne saurait méconnaître aujourd'hui l'importance. Il est toujours actuel.

Plusieurs questions se posent, ici. Nous serons très disposés à présenter au Concile et dans le cadre du Gouvernement de l'Eglise une étude sur ce point, si la Commission antépréparatoire la juge nécessaire.

B) *En collaboration avec le Patriarche.*

L'action des évêques appelle un nouvel examen, à la lumière des transformations politiques et sociales du Liban et des pays voisins.

Il s'agit notamment de:

a) *L'Action Catholique,* qui, de nos jours, ne peut plus être conduite sur le *plan diocésain,* ni *interdiocésain.* A notre avis, elle doit être placée au niveau national et, donc, Patriarcal, et être confié à un membre de la Hiérarchie, qui n'a pas charge d'âmes, et qui s'y consacre entièrement. Il y va de tout *l'avenir du laïcat chrétien,* dans un Liban dont les institutions se sécularisent progressivement. Il importe, en effet, que la préparation des laïcs à leur rôle dans la Cité soit conduite sur le plan général communautaire ou intercommunautaire, et de ce Chef, être rattachée au Patriarcat.

b) *L'Organisation de toute la formation sacerdotale.*

Dans un séminaire central, unique, avec la contribution financière des évêques et des Ordres religieux, sur une base proportionnelle, établie, après accord avec le Saint-Siège, par le Patriarche, en union avec les Evêques et les Supérieurs généraux.

c) *Les Biens de l'Eglise.*

Une étude approfondie et sur une base également communautaire des biens de l'Eglise, appartenant aux Ordres religieux et aux diocèses avec la possibilité d'organiser l'assistance et la charité à cette même échelle générale.

d) *Création de vicariats patriarcaux.*

La création de diocèses, ou au moins de vicariats patriarcaux, dans des pays arabes, comme Bagdad, le Koueït, Damas, Amman etc. où

le nombre des Maronites va en augmentant. La pénétration de notre Communauté dans le monde arabe et l'influence qu'elle y exerce dans les différents domaines, surtout culturel et économique, la prépare à une action missionnaire qui s'avère opportune et efficace. Avec l'établissement d'une hiérarchie Maronite dans ces pays, l'Eglise Catholique s'assure une présence vivement souhaitée par les gouvernements eux-mêmes. Ce souhait nous a été exprimé par plus d'un gouvernement arabe.

e) *L'école Chrétienne au Liban,*

tant *nationale qu'étrangère* appelle une organisation générale du genre de celle suggérée pour l'Action Catholique.

f) *Dans les rapports avec les églises séparées.*

Il devrait appartenir au Patrairche d'étudier avec les évêques, les formes de rapprochement et les cas concrets de collaboration avec ces églises, dans le cadre des dispositions générales du Droit Canonique.

Nous citons, ici, quelques exemples où l'approche est souhaitée:

La faculté de prêcher dans les églises orthodoxes, après autorisation des évêques.

La « Communicatio in sacris », à caractère civil.

La fréquentation des sacrements dans nos églises par des orthodoxes de bonne foi, surtout des enfants et des adolescents.

La faculté de fréquenter nos séminaires.

Les questions relatives à la validité du mariage mixte etc. etc.

II. *Les Maronites en Amérique*

La moitié de la Communauté maronite se trouve en Amérique. Beaucoup gardent des relations étroites avec le pays d'origine, parents, représentations diplomatiques, gouvernement national. Par contre leurs relations avec le Patriarcat se relâchent de plus en plus. Les prêtres maronites qui sont à la tête des églises de la Communauté, en Amérique, relèvent directement des Ordinaires des Lieux. Les fidèles eux-mêmes n'ont que des rapports lointains avec le siège patriarcal. Cette situation conduit fatalement à l'intégration progressive des Maronites dans les groupes latins des pays où ils se trouvent. La Hiérarchie locale elle-même, en plus d'un lieu, encourage positivement cette intégration.

Nous suggérons des moyens modestes pour remédier, en partie, à cet inconvénient.

a) La nomination d'évêques maronites en Amérique est une nécessité qui se fait sentir vivement. Elle a souvent été envisagée. Elle

n'a jamais reçu la moindre exécution. Le préjudice est très grand. Nous attirons, une fois de plus, l'attention du Saint-Siège sur ce problème.

b) Le problème de la langue liturgique dans les deux Amériques devra être sérieusement étudié. Il doit en être de même du recrutement sacerdotal dans ces pays et de la nécessité d'envisager pour les prêtres formés sur place, l'opportunité de passer un certain temps dans nos institutions maronites du Liban et de Rome.

Conclusion

L'Eglise maronite au Liban et en Orient n'est pas une construction artificielle. Elle joue un rôle temporel reconnu de tout le monde. Ce rôle est en étroite connexion avec le Patriarcat. *L'institution patriarcale n'est aujourd'hui ni superflue, ni secondaire.*

Il importe, pour la vie de l'Eglise en Orient, de lui reconnaitre la place, les privilèges, les prérogatives et la Fonction qu'historiquement elle a toujours remplies. Elle est, dans le vocabulaire thomiste, *la Forme* qui donne cohésion et vie au *Tout*.

✠ B. P. D. Paulus P. Meouchi
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

2

Em.mi P. D. IGNATII G. Card. TAPPOUNI
Patriarchae Antiocheni Syrorum (Antiochia dei Siri)

Una cum Em.mo Patriarcha responsum dederunt:

Exc.mus P. D. DIONYSIUS A. HAYEK, *Archiepiscopus Aleppensis Syrorum* (Alep).

Exc.mus P. D. ATHANASIUS I. D. BAKOSE, *Archiepiscopus Babylonensis Syrorum* (Bagdad).

Exc.mus P. D. GEORGIUS STÉTÉ, *Archiepiscopus Damascenus Syrorum* (Damas).

Exc.mus P. D. IACOBUS KARROUM, *Episcopus Spinensis Syrorum* (Hassaké).

Exc.mus P. D. IOSEPH RABBANI, *Archiepiscopus tit Nacolensis, Administrator Ap. Hemesenus Syrorum* (Homs).

Exc.mus P. D. IOSEPH BAKHACHE, *Archiepiscopus tit. Edessenus in Osrhoëne, Vicarius Patriarchalis Antiochenus Syrorum.*

EXC.MUS P. D. GREGORIUS E. JARJOUR, *Episcopus tit. Larissensis in Syria, Auxiliaris Patriarchalis Antiochenus Syrorum.*

EXC.MUS P. D. IOANNES GANDOUR, *Archiepiscopus tit. Bostrenus.*

Charfé, le 6 octobre 1959

Eminentissime Seigneur,

En réponse à la lettre de Votre Eminence Révérendissime Prot. N. 1 C/59 en date du 18 juin 1959, nous soussignés, Archevêques et Evêques de la Communauté Syrienne Catholique, réunis à la résidence patriarcale de Charfé au Liban, sous la présidence de Son Eminence Réévérendissime le Cardinal Ignace Gabriel I. Tappouni, notre vénéré Patriarche, avons l'honneur de soumettre les suggestions suivantes concernant le futur Concile Oecuménique:

1. Dénoncer, réfuter et condamner toutes les doctrines modernes erronées.

2. Affirmer et rehausser, contre l'attrait excessif des biens matériels, la vocation spirituelle et surnaturelle de l'homme.

3. Renforcer et resserrer l'unité de l'Eglise Universelle contre la tendance à la constitution d'églises nationales indépendantes.

4. Etudier les nécessités de la vie et du ministère du prêtre, en particulier l'apostolat ouvrier pour organiser et promouvoir, en conformité avec les exigences modernes, une activité pastorale efficace en vue de l'évangélisation du monde.

5. Le problème de la paix du monde et celui des armes nucléaires dont la puissance destructive jette la conscience humaine dans le désarroi exige, par la voix du Concile, une réponse décisive de l'Eglise, gardienne infaillible de la morale.

6. L'Unité de l'Eglise doit demeurer parfaite. Il faut pour cela, entre autres, que les Patriarcats des Sièges Apostoliques des rites orientaux, dans l'entière discipline de l'Eglise, conservent, et cela est naturel, toute leur personnalité. Aussi, il est souhaitable que le statut de cette personnalité soit précisé et reconnu afin de maintenir l'harmonie et la bonne entente et de sauvegarder le prestige traditionnel de ces Patriarcats aux yeux de nos frères séparés.

7. Reconnaitre aux Patriarches orientaux l'entier droit de pourvoir au service religieux de leurs fidèles en dehors du territoire patriarcal.

8. Une certaine décentralisation dans l'administration de l'Eglise concorderait davantage avec son développement actuel et aussi avec l'esprit d'émancipation qui se propage partout.

9. Reconnaître l'égalité entre orientaux et occidentaux acatholiques dans le choix du rite en cas de conversion.

10. Vus les graves inconvénients rencontrés dans nos pays d'Orient, il est opportun de trouver une solution pour la question de l'invalidité des mariages « mixtae religionis » bénis par les orthodoxes.

11. Limiter dans la mesure du possible et mitiger la loi sur la « communicatio in sacris » surtotut dans les régions orientales.

12. Eliminer des livres liturgiques et des professions de foi, tout de qui pourrait offenser les acatholiques et les éloigner de l'Eglise.

13. Examiner la douloureuse et pitoyable situation des malheureux prêtres défroqués-mariés,

14. Enfin qu'il nous soit permis de suggérer à la Commission Antépréparatoire: la nécessité de l'emploi de plus d'une langue vivante dans les sessions du Concile; et l'opportunité de l'admission dans les commissions ou les sous-commissions, de membres des différentes communautés orientales.

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, l'expression de notre profonde vénération avec laquelle, Vous baisant humblement les mains, nous avons l'honneur de nous déclarer

de Votre Eminence Révérendissime

les très humbles et très dévoués serviteurs

✠ J. G. CARDINAL TAPPOUNI
Patriarche Syrien d'Antioche

3

EXC.MI P. D. ABDALLAH NUJAIM

Archiepiscopi Heliopolitani Maronitarum (Baalbek)

Aramoun, li 19 aprile 1960

Con tutta la sottomissione filiale agli ordini e desideri del Sommo Pontefice per ciò che riguarda il mio povero parere sui mezzi che possono facilitare l'unione delle chiese separate alla Chiesa Cattolica Romana e facilitare la buona intesa fra tutti i cristiani del mondo intero e così diffondere lo spirito di Cristo fra le genti ancor nelle tenebre giacenti e fare regnare la sua carità nei cuori degli uomini e fare in modo che trionfi lo spirito sulla materia, ho il dovere ed il piacere d'attirare l'attenzione della Venerabile Commissione sopra i seguenti punti:

1. Per affrontare le forze infernali che attaccano la Santa Chiesa di Cristo bisogna arrivare ad unire tutte le forze della Chiesa e dirigerle contro le forze materialiste del comunismo internazionale e del capitalismo insaziabile.

2. Per riunire le Chiese bisogna cercare di evitare gli ostacoli, ora siccome il più grande ostacolo è il clero e più precisamente la gerarchia, sarebbe bene di non abolire le gerarchie attuali e fare in modo di lasciarle con le loro giurisdizioni possibilmente con le loro tradizioni e riti e non obbligarle a disparire. Non credo che sarà difficile d'avere due Patriarchi Greci Cattolici col titolo d'Antiochia con un modus vivendi fra di loro, come del resto vi sono parecchi patriarchi di differenti riti attualmente. In ogni modo la Grazia di Dio, la saggezza della Chiesa ed il tempo faranno il resto per la completa ed intera unità delle gerarchie dopo avere ottenuto l'unità dei fedeli cristiani e del loro spirito.

3. Affrontare gli accaniti nemici della Chiesa di Dio con armi adatte alle loro tattiche cioè usare una stampa di propaganda morale e attraente contro la loro stampa immorale e allettante, creare dei films interessanti contro i loro films osceni e pericolosi, creare delle stazioni potenti radio-televisive che possano interessare il pubblico mondiale di qualunque categoria per alleggerire il danno che producono le radiodiffusioni e televisioni dannose.

4. Curare molto le vocazioni religiose e specialmente quelle sacerdotali per potere sostenere la lotta accanita del mondo contro i sani principi religiosi e morali per il bene e la pace dell'umanità.

5. In breve veda la Venerabile Commissione Pontificia di non contentarsi di porre dei principi teoretici e speculativi, ma dia anche delle direttive pratiche ed efficaci e così affrontare i problemi crudeli e reali della vita.

Questi sono i problemi della vita reale su cui ho creduto opportuno attirare l'attenzione della Pontificia Commissione per il Concilio Ecumenico per affrontare l'offensiva atea e materialista scatenata contro la Santa Chiesa Apostolica e Romana e mi si voglia credere membro attivo della Nostra Madre Chiesa Cattolica, Apostolica e Romana.

Vostro dev.mo Servitore vero

✠ ABDALLAH NUJAIM
Arcivescovo di Baalbek

4

Exc.mi P. D. IOSEPH MAALOUF

Episcopi Heliopolitani Melchitarum (Baalbek)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH

Patriarcha Antiocheno Melchitarum [1]

5

Exc.mi P. D. PHILIPPI NABAA

Archiepiscopi Berytensis et Gibailensis Melchitarum (Bairut et Gibail)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH

Patriarcha Antiocheno Melchitarum [2]

6

Exc.mi P. D. ATHANASII EL-CHAER

Episcopi Paneadensis (Baniyas)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH

Patriarcha Antiocheno Melchitarum [3]

7

Em.mi P. D. GREGORII PETRI XV Card. AGAGIANIAN

Patriarchae Ciliciae Armenorum (Cilicia degli Armeni)

Una cum Em.mo Patriarcha responsum dederunt:

Exc.mus P. D. NERCÉS TAYROYAN, *Archiepiscopus Babylonensis Armenorum* (Bagdad).

---

[1] Cf. pp. 451-462.
[2] Cf. l. c.
[3] Cf. l. c.

Exc.mus P. D. PAULUS KIREDJIAN, *Archiepiscopus Constantinopolitanus Armenorum* (Istanbul).

Exc.mus P. D. IOSEPH GENNANGI, *Episcopus Kamechliensis Armenorum* (Kamichlié).

Exc.mus P. D. CYRILLUS I. ZOHRABIAN, *Episcopus tit. Acilisenus.*

Exc.mus P. D. ALOYSIUS BATANIAN, *Archiepiscopus tit. Coloniensis in Armenia, Auxiliaris Patriarchalis Ciliciae Armenorum.*

Exc.mus P. D. SAHAG L. KOGUIAN, *Episcopus tit. Comanensis in Armenia, Vicarius Patriarchalis Ciliciae Armenorum.*

Exc.mus P. D. GREGORIUS HINDIÉ, *Archiepiscopus tit. Pedachtoënus.*

Exc.mus P. D. RAPHAËL BAYAN, *Episcopus tit. Tauitanus, Coadiutor c. s. Alexandrinus Armenorum.*

Beyrouth, le 14 août 1959

Eminence Révérendissime,

Nous soussignés, Patriarche, Archevêques et Evêques du Patriarcat Arménien de Cilicie, avons l'honneur de porter à la connaissance de Votre Eminence Rév.me que, réunis en Synode au Siège du Patriarcat, nous nous sommes occupés aussi des questions qui semblent pouvoir être utilement traitées par le futur Concile Oecuménique.

Le résultat de notre modeste travail se résume dans les points suivants, que nous avons l'honneur de soumettre au jugement de la Commission Pontificale Antépréparatoire, présidée par Votre Eminence, en réponse à la vénérée lettre du 18 juin 1959, Prot. N. C/59-14:

I. La Doctrine

A) *Oecumenisme*

Dans l'apostolat, que l'on appelle « Oecuménisme », il se dit, s'enseigne et se publie beaucoup de choses qui semblent troubler les esprits, au sujet de la notion de la véritable Eglise, de sa constitution, de son unité, de la Primauté et juridiction du Pontife Romain.

Tout ceci laisse concevoir la véritable union des chrétiens autrement que « par le retour des chrétiens séparés à l'unique véritable Eglise du Christ ».

Cet état de choses risque de créer de l'indifférentisme auprès des

catholiques, qui peuvent être portés à croire qu'il y a plusieurs églises et qu'elles se valent.

Il risque aussi de consolider davantage les dissidents dans leurs positions, en les confirmant dans leur opinion ou conviction que « leur église » est au moins une église comme toutes les autres, y compris l'Eglise Catholique.

Certains, parmi ceux qui travaillent dans ce champ d'apostolat, semblent souvent finir par être hantés par cette idée fixe: « Pour faciliter la voie de l'union, il faut à tout prix gagner les bonnes grâces des dissidents ».

Ils aboutissent ainsi à un faux « Irénisme » qui, au détriment de la vérité, prétend agir selon la charité, et qui, pour ne pas troubler un état de fait, se tait parfois sur le principe de la constitution divine de l'Eglise.

Des documents officiels du Saint Siège ont déjà signalé ce danger.

Il semble, toutefois, très utile et même nécessaire qu'une remarque solennelle soit faite:

a) pour réprimer les abus;

b) pour donner des directives qui invitent à s'en tenir aux sains principes.

B) *Vérités éternelles*

Ces vérités semblent, de nos jours, peu exposées dans les livres, que l'on publie, ou dans la prédication en chaire.

Il faut leur redonner l'importance qu'elles doivent avoir dans la vie chrétienne.

II. Discipline du Clergé

A) *Tendances a réfréner*

Le clergé tend aujourd'hui:

1. à exercer une activité extérieure exagérée, au détriment de sa vie intérieure;

2. à s'occuper de commerce et d'industrie, sous prétexte d'assurer sa vie et de fonder et maintenir des œuvres.

Ceci le détourne souvent de son idéal religieux et sacerdotal, et lui attire la haine et le mépris des laïques, auxquels il semble faire concurrence;

3. à aller au peuple, en s'abaissant au niveau de sa mentalité profane ou mondaine, au risque de lui faire perdre de vue sa destinée surnaturelle;

4. à fréquenter les lieux publics de spectacles, cinéma, etc., dans le

but d'être renseigné pour éclairer les fidéles. Ceci a cependant lieu, souvent, au détriment de la vertu, de la vie intérieure, de la renommée du clergé, et au scandale des fidèles.

B) *Apostolat missionnaire*

Le missionnaire répondra toujours mieux à sa vocation, en se rappelant qu'il doit toujours travailler comme auxiliaire de la Hiérarchie locale et se soumettre à ses directives.

Plus que jamais il doit complètement se libérer du nationalisme.

III. Discipline des fidèles

A) *Pénitence*

La loi du jeûne et de l'abstinence a été bien mitigée ces derniers temps, surtout à cause des difficultés créées par l'état de guerre.

Passé l'état de guerre, ces mitigations durent encore presque dans leur totalité.

Dans un siècle si porté au matérialisme et au culte du corps, il semble utile de faire sentir d'avantage au peuple chrétien la nécessité de la pénitence et de la mortification par le jeûne et par l'abstinence.

B) *Dispenses matrimoniales*

Dans un grand nombre d'empêchements — empêchants ou dirimants — la dispense est devenue tellement ordinaire et presqu'inévitable, qu'on se demande s'il n'y a pas lieu de réduire autant que possible ces empêchements.

C) *Mariage mixtes*

La forme éxigée pour la validité du mariage, dans le Code de Droit Canonique Oriental, a créé une situation très pénible en Orient, où les mariages mixtes sont nombreux et inévitables, à cause du petit nombre des catholiques submergés par l'élément acatholique.

Il y a, en Orient, une mentalité qui n'arrive presque pas à concevoir que l'homme puisse suivre la femme dans la célébration du mariage.

Y'aurait-il moyen de faire cesser cette situation bien pénible?

La faculté de la « sanatio in radice », accordée aux Patriarches par le Saint Office, n'atteint que de très rares cas. Et là aussi, il reste à voir si la garantie donnée par la femme — qui ne pourra généralement rien faire contre la volonté du mari dissident — est moralement sûre.

Ajoutez à cela que parfois la jeune fille catholique elle-même ne

veut pas profiter de cette faculté, désirant laisser une porte ouverte à la libération, aux yeux de l'Eglise Catholique, en cas où les choses n'iraient pas bien dans ce mariage.

IV. Activité de l'Eglise

A) *Ecole catholique*

Il faut réfréner sa tendance à former des hommes de science et des diplômés, en oubliant parfois son but principal et sa raison d'être, qui consistent à « former des chrétiens ».

Lorsqu'elle reçoit des élèves non-catholiques, ceci ne doit pas être au détriment des élèves catholiques.

B) *Vie contemplative*

Plusieurs des personnes adonnées à cette vie ne trouvent pas facilement, de nos jours, les moyens qui assurent leur subsistance matérielle.

De là nait une tendance ou une nécessité à modifier cette vie.

Il faut à tout prix conserver, encourager et multiplier les centres de vie contemplative.

C) *Question sociale*

Il faut diffuser et chercher à faire mettre en pratique, par tous les moyens, la doctrine de l'Eglise et les enseignements des Souverains Pontifes à ce sujet, surtout:

a) en revendiquant une plus juste distribution des biens de la terre entre les nations;

b) en généralisant la condamnation de l'exploitation de l'ouvrier par le patron, et en insistant sur les devoirs de l'ouvrier.

D) *Paganisme menaçant*

Il y a une vague générale de matérialisme, qui tend à paganiser même le monde chrétien.

Il faut mobiliser toutes les forces pour conjurer les méfaits de cette vague.

E) *Union des chrétiens*

L'appel lancé par le Saint Père en faveur de l'union a généralement été bien accueilli par les dissidents, qui l'ont cependant compris et interprêté à leur manière.

Pour ce qui est du Concile Oecuménique, en général:

1. Ils s'attendent à être invités officiellement.

2. Leurs Patriarches acceptent une présidence de la part du Pape, mais comme « primus inter pares ».

3. Ils excluent toute question doctrinale: les uns exigent que l'on s'en tienne aux trois premiers Conciles Oecuméniques, les autres aux sept premiers.

4. Ils cherchent et rêvent une espèce de confédération, qui ne toucherait point l'autonomie et la souveraineté de chaque église.

Le Catholicos arménien dissident d'Antélias (Liban), Mgr Zareh Payaslian, dans un entretien avec un évêque catholique, a manifesté sa satisfaction à l'annonce du Concile et à l'union des chrétiens, qui, d'après lui, auront leur grand avantage, dans ces deux buts:

a) La formation d'un front uni entre les chrétiens contre le matérialisme menaçant.

b) Les contacts entre les chefs chrétiens, qui aideront à renforcer leurs positions dans le monde.

HASH, revue officielle du Catholicossat d'Antélias, dans son numéro d'avril 1959, intitule son article de fond « Concile Oecuménique », et, après y avoir exposé son point de vue, conclut:

« Avec le même esprit de l'ONU, il est possible d'obtenir une collaboration entre les églises, en respectant l'indépendance de chacune. C'est avec cet esprit que le " Concile Oecuménique " devient une possibilité et une collaboration nécessaire pour la vitalité de l'Eglise Universelle et pour ses intérêts supérieurs ».

Il est bien consolant de constater que les déclarations bien claires et nettes du Saint Père, dans sa première Lettre Encyclique, sont de nature à mettre un terme à des interprétations phantastiques et à des illusions, de la parte des dissidents en général, et de quelques catholiques aussi.

Que faut-il alors penser de l'attitude des dissidents au point de vue « union »?

Humainement parlant, il semble qu'il n'y ait pas grand chose à attendre de leurs chefs religieux.

Le mouvement leur plairait, en tant qu'il offrirait à chacun d'eux l'occasion de paraître, sur un plan universel et mondial, comme chef d'une église, et de consolider leurs positions.

De la part du laïcat, il est possible de s'attendre à quelque résultat.

L'appel à l'union, lancé par le Saint Père, a le mérite d'avoir éveillé la conscience chrétienne sur ce problème angoissant; d'avoir fait comprendre aux hommes de bonne volonté en quoi consiste exactementl l'union des chrétiens; d'avoir invité le monde chrétien à des prières dans ce but.

Il est à espérer qu'au Concile même on arrive à fixer les directives et les moyens les plus efficaces pour aborder les chrétiens dissidents, afin de les intéresser à la question de l'union dans son vrai sens, et à la recherche de l'unique véritable Eglise du Christ.

Au terme de cet exposé, nous prions Votre Eminence Rév.me de bien vouloir déposer devant le Trône de notre Saint Père le Pape Jean XXIII, glorieusement régnant, l'hommage de notre parfaite soumission et indéfectible attachement à Sa Personne Sacrée, ainsi que l'assurance de nos ferventes prières pour que Son Pontificat soit vraiment prospère, dans un monde pacifié par l'obéissance générale aux préceptes du Christ notre Dieu et aux directives de Son Vicaire sur la terre.

En union avec tout le monde catholique nous avons accueilli, avec une filiale et très profonde gratitude, l'annonce du Concile Oecuménique, qui a rempli nos cœurs d'une joie extraordinaire.

Nous prions et nous faisons prier pour que le Seigneur bénisse abondamment les augustes intentions de Sa Sainteté et accorde à Son noble Cœur de Pasteur Suprême de l'Eglise la douce consolation de présider le Concile Oecuménique, d'en constater l'heureux succès et d'en cueillir les fruits salutaires pour la Sainte Eglise et pour toute l'humanité.

Daignez agréer, Eminence Révérendissime, l'hommage de notre profonde vénération, avec la quelle nous avons l'honneur de nous professer

de Votre Eminence Révérendissime
les très humbles et très obéissants serviteurs
OMNES SEQUUNTUR SUBSCRIPTIONES

8

EXC.MI P. D. BASILII KHOURY

Archiepiscopi Sidoniensis Melchitarum (Saida)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH

Patriarcha Antiocheno Melchitarum [1]

---

[1] Cf. pp. 451-462.

9

Exc.mi P. D. ANTONII 'ABED
Episcopi Tripolitani Maronitarum (Tripoli)

Tripoli, die 10 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Eminentiae Tuae Rev.mae responsionem tarde mitto, eo quod interim absens a territorio eram.

Praeteritis enim mensibus iulii, augusti et septembris Romam petivi ubi honoratus sum devotionem meam edicere Summo Pontifici feliciter regnanti, Sanctitatemque Suam de rebus nostris informavi quas et Eminentia Tua bene novit in audientia mihi quoque illo tempore concessa.

Patriae iterum feliciter revolutus omni quo par sum zelo propositiones petitas pro futuro Concilio Oecumenico studui congregandas et enucleandas discrete quidem utendo consilio theologorum et iurisperitorum Dioecesis meae.

Hinc inde ea consilia et vota quae mihi in Domino videntur proponenda inter argumenta Concilii futuri apparanda, iuxta erogata omni cum sinceritate et libertate summatim foliis adiunctis Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae per Eminentiam Tuam communico.

Interea omni qua par sum devotione ex corde in Christo Iesu me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum

✠ Antonius 'Abed
Episcopus Tripolitanus Maronitarum

a) *Generalia*

1. Elaboratio completa theologiae Episcopatus, iuriumque eiusdem officii, ita ut iuste et clare pateant relationes episcopi residentialis cuiusquam erga Summum Pontificem et Sanctam Sedem in genere, at praesertim erga Patriarcham et Nuntium aliosque Legatos aut Episcopos forte vel permanenter in territorio.

2. Anathema Conciliare contra doctrinam communistam et omnes qui eidem adhaerent aut eamdem fovent cogitatione (=activitate intellectuali), verbo et opere (=activitate practica).

3. Tempestiva institutio Pontificiae cuiusdam Commissionis pro reformatione et definitione librorum liturgicorum — saltem Missalis et Breviarii — in Ecclesiis Orientalibus; ita tamen ut componentes hanc Commissionem refulgeant quidem scientia liturgica occidentali et orientali, attamen non sint tantummodo ideis latinizantibus moti (sive ipsi sint latini sive etiam orientales), neque falsis conceptibus imbuti quaerant cursus monasticos subiectis ecclesiasticis (clericis vel laicis) imponere, sed omni qua pollere possunt caritate et aestimatione erga res liturgicas, proprie christianas et primitivas easdem conservare et ordinare conentur iuxta cursum suum ecclesiasticum naturalem, hodiernis conditionibus vitae et historiae ac verae scientiae liturgicae principiis adaptatum.

Labor huius Commissionis urgeri deberet, si possibile, ante Concilium et durante Concilio, ita ut conclusiones obtentas iuxta dicta et sub lumine praxis iam ab annis admissae in Pontificia Commissione similari pro Liturgia Latina, tempestive elucidari possint meliori modo in sessionibus specialibus Concilii futuri, unde vitari queant quae passa sunt circa res liturgicas in praecedenti Concilio Vaticano.

4. Elaboratio cuiusdam theologiae laicatus christiani ubi iura et officia, statusque christianae vitae in coelibatu aut in matrimonio veram suam positionem obtineant in tractatu de Ecclesia Christi, et in correspondenti titulo Codicis Iuris Canonici Universalis.

b) *Specialia* -

5. Ne aliter orthodoxi videantur favorem assumere ex propria separatione a Sancta Sede, permittenda est Orientalibus Catholicis institutio hierarchiae propriae in Americis coeterisque continentibus ubi numerus orientalium momentosus consideretur. Relationes cum hierarchis loci bene determinari possunt legislatione canonica apta.

Haec plura beneficia haberent pro bono animarum fidelium nostrorum sed etiam et imprimis pro Ecclesia in loco: ubi enim difficulter sacerdotes latini ritus ex origine americana vel europea agere possunt, candidati orientales oriundi et ordinandi pro servitio animarum in regionibus illis bene crisim vocationalem solvere possunt. Quod si canonico modo et spiritu vere sacerdotali exsequetur non impedit ullo modo collaborationem et harmoniam administrativam et disciplinarem.

6. Omnibus consideratis, obligatio creandi et prosequendi libros « de statu animarum orientalium » in unaquaque paroecia latina, praesertim americana et africana, urgenda esset absolutis verbis in futuro Concilio, et quidquid sit de voto praecedenti.

Ea enim quae in can. 406 et can. 432, in *Cleri Sanctitate* edicta

fuerunt, non videntur sufficere eo magis quod pluribus in locis Americae neque legitur neque auditur quidquam de istis Litteris Apostolicis, quanto minus exsequentur.

Nam iuxta easdem Litteras, canonibus praefatis et can. 511, servatis tamen servandis, Episcopi « latini quoque ritus » Sanctam Sedem docere debent de statu et necessitatibus fidelium orientalium. Haec logice nequeunt exsequi nisi imprimis et ubicumque vicarius generalis pro fidelibus orientalibus in curiis episcopalibus habeatur, et, deinde inter libros uniuscuiusque paroeciae latinae habeatur etiam liber specialis de statu animarum orientalium, et de iis quae ad easdem animas pertinent nempe sacramenta aliave sacramentalia administrata a latinis.

Exemplar huius libri alter, retineri debet et renovari semel in anno apud Curiam episcopalem prope vicarium generalem pro Orientalibus.

Vicarii generales, de quibus sermo hic est iuxta praefatas Litteras Apostolicas, designari debent et notum fieri in Annuario Pontificio una cum directione sua post illam Ordinarii loci, ut directe cum ipsis, habita urgente necessitate, hierarchia orientalis correspondeat, et tunc proberetur effectiva exsequutio mandatorum Summi Pontifiicis in praedictis Litteris Apostolicis.

7. Utpote magna aspiratio omnium nostrum et imprimis votum est perdilecti Summi Pontificis fel. reg. nempe quod leges et animi praeparentur unioni omnium christianorum in caritate Christi, bene videtur concedendum esse in Iure Canonico ampliores facultates Episcopis residentialibus quibus possint meliori quo fas sit modo ius suum divinum in praxim deducere pro bono fidelium, iisdem tribuendo v. g. largiores competentias in iure matrimoniali et processuali.

Plurimi esset enim pro bono unionis ut facultas dispensandi a forma canonica celebrationis matrimonii tribueretur non tantum patriarchae sed etiam ipsis episcopis ut, sicuti eis in Domino videretur, eadem facultate utentur.

Etenim nova legislatio super formam celebrationis matrimonii (crebrae allatae, can. 85 et praes. can. 90 § 1 n. 2) amarissimo animo ab orthodoxis cognita est et nostris catholicis deceptio magna fuit eo quod pluries in dies occurrunt matrimonia cum filiabus et filiis orthodoxorum, qui si olim non urgebant fanatice benedictionem a proprio parocho, nunc vero hoc exigunt, periculum creando fidelibus nostris quibusdam, et profectum quod obtinebatur olim matrimoniis praecedentibus nunc deperditur causa fanatismi exorti a nova nostra legislatione cognita. Igitur, alia solutio consilianda est et efficacior pro bono animarum: de-

cursu temporis, ope scholarum nostrarum et comitante zelo parochorum nostrorum matrimonia peracta cum parte orthodoxa ducebant et parentem et progeniem ad fidem catholicam.

8. Dioeceses in Oriente definiendae sunt territorio indicato continua superficie, non vero per pagos, ne habeatur in una eademque dioecesi vacuum sic dictum canonicum seu absentia absoluta iurisdictionis. Sit quaestio ad exemplum: cui iurisdictioni subest pagum mahumetanum in quadam dioecesi, et cuinam parocho si pagum inter limites plurium dioecesium inveniatur?

Et ita porro, pro casu ubi plurimae auctoritates rituales in eodem loco sint, iurisdictio determinanda est unicuique iuxta criteria rationabilia, nam alienum esset a mente Ecclesiae quod quis superior ecclesiasticus exclusiones territoriales — non tantum personales — habeat in dioecesi in qua 90% commorantium pertineant ad ritum contra quem invocatur exclusio territorialis et quidem sub poena invaliditatis!

Quid enim sibi vult vel intendit, v. g. hierarchia latina in aliquibus dioecesibus Libani ubi nullus adest latinus nisi fortasse missionarius vel religiosi docentes utriusque sexus utrum rationabile est ut eo ipso loca quae ab ipsis docentibus occupantur exclusiva evadant pro auctoritate hierarchae loci dum omnes alumni pertineant ad eiusdem ritum et iurisdictionem?

Idem dicas circa alios episcopos rituum, in eadem proportione. Hinc, concludendum est, iurisdictio supervenientis hierarchiae sive sit latina sive alterius ritus orientalis, reduci deberet utpote exclusiva tantum ad loca bene determinata ratione momenti fidelium suorum laicorum commorantium, uti tales non uti peregrini vel docentes. Personae in casu pertinent semper ad superiorem suum ordinarium, non est vero necesse ut loca sua quae condividunt cum ceteris non eiusdem riti exclusiva evadant eiusdem!

Aliter non videtur quomodo praecaveri possunt et vitari latinizationes iamiam a Summis Pontificibus condemnatae!

Ad haec et similia, remedium iustum a competentibus in materia pastorali facilior invenitur quam a competentibus tantum in materia iuridica.

9. Subdiaconatus iam ab omnibus theologis, — sicuti ab initio semper in Oriente fuit — tamquam ordo minor affirmatur.

Hinc, summe auspicandum est quod in utroque Codice canonico hic iam non ut impedimentum dirimens, sed solum prohibens habeatur. Magis enim consonet cum ipsa theologia et traditione catholica, et minueretur inutilis causa discrepandi cum disciplina christiana traditionali admissa ab orthodoxis.

10. Relationes cum orthodoxis: Optandum est quod concedatur libertas in Domino ut in coeremoniis religiosis quae non sint proprie « sacrum » sed sumi possunt sensu religioso-sociali, v. g. in funeribus, inthronizatione episcopi vel patriarchae et aliis huiusmodi qui caritatem et harmoniam cordium fovere possunt, caute sed nihilominus licite permittatur assistentia et participatio socialis etiam pro clericis: etenim laici ipso facto illinc in circumstantiis vadunt et participant tamquam amici familiae defuncti, vel congratulantes « ex cortesia » uti dicitur.

Quibusdam clericis catholicis orientalibus hoc iam concessum fuisse videtur, sicuti et iisdem concessum est orthodoxos ad confessionem et communionem admittendi et in Legionem Mariae coeterisque confraternitatibus inscribendi. Cauta generalizatio melior est in casu, ne perturbentur animi contra nostram nationem catholicam, quae istis privilegiis et concessionibus non gaudet hucusque.

11. Auspicandum etiam est, quod iterum admittatur sicuti ab antiquo, inter iura Episcopi, decisio de collatione ordinum infra-presbyteratus prouti ei videtur in Domino et necessitas animarum id urgeat, neque quis amplius dicat « ordines minores tantum conferendi sunt iis qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum... ».

Valde enim augeretur laboris pastoralis efficacia, si faventibus circumstantiis in loco, iterum subdiaconi vel etiam diaconi habeantur ad vitam qui missionibus et catechesi adiuvent parochos et missionarios.

Ex altera parte pusillanimae vocationes sacerdotales quae aliquando difficile cognosci possunt egressum ante diem haberent, ut stent in servitio divino absque illis obligationibus quibus non tam paratae inveniantur.

12. Si, prouti de facto est et debet, fiditur conscientiae Episcopi ordinarii in loco, permissio celebrandi et iter faciendi ab una ad alteram regionem pro determinato tempore ab ipso Ordinario pro clericis suis concedendum est. Quod iam datum est canone 85 in *Cleri Sanctitate,* inutile evadit per instructionem S. C. Orientalis circa necessitatem obtinendi « Celebret » directe ab hac S. Congregatione. Hinc ad idem reditur tamquam si nihil concessum fuerit Hierarchae Loci!

Bene determinandae sunt conditiones et circumstantiae huius iuris ut praecaveantur abusus possibiles inter homines: res tamen bene consideranda est ne propter abusus alicuius omnes episcopi iure suo priventur dum pondus oneris in conscientia eisdem semper incumbit.

✠ ANTONIUS 'ABED
Episcopus Tripolitanus Maronitarum

10

Exc.mi P. D. IOSEPHI KALLAS

Archiepiscopi Tripolitani Melchitarum (Tripoli)

Tripoli, 2 avril 1960

Eminence Révérendissime,

En réponse à Votre Honorée du 21 mars 1960, Prot. n. 1 C/59-1383-bis, j'ai l'honneur de Vous informer que ma réponse a dû vous parvenir déjà. En effet, réunis en Synode durant l'été 1959 sous la présidence de Sa Béatitude de Patriarche Maximos IV, les Hiérarques de Notre Eglise Melkite ont rédigé, à l'adresse de la Commission Pontificale Antépréparatoire une réponse collective contenant diverses questions et notes. Cette réponse je la fais mienne.[1]

Je me permets de proposer en outre le point suivant: j'ai entendu plus d'un prêtre de ma connaissance, appartenant à des rites différents et à des communautés religieuses différentes, souhaiter l'unification de toute le hiérarchie catholique dans notre Orient: un seul évêque par diocèse, aidé d'autant de vicaires qu'il y a de communautés, et l'unification des diverses communautés religieuses et missionnaires. Et cela en vue d'une collaboration plus étroite, surtout en ce moment où le Proche-Orient a plus que jamais besoin de voir l'Eglise plus unie et plus efficace. En ce moment où les chrétiens ont besoin de se sentir davantage vivre les mêmes valeurs catholiques, pour affronter avantageusement un monde en évolution. Or nous voulons que la pensée de l'Eglise et son esprit soient à la base de l'édification du nouvel Orient qui se prépare.

Ce souhait je le fais mien et le signale à l'attention de la vénérable Commission Pontificale. En outre, j'espère pour ma part qu'une telle unification loin de nuire à la réunion des églises séparées, leur ferait davantage apprécier la vie intense de la grâce qui anime les diverses activités d'une église catholique orientale tout à fait unifiée. Il va sans dire que nous n'envisageons aucunement l'abolition des divers rites liturgiques.

Daignez, Votre Eminence Révérendissime, agréer l'expression de mes religieux sentiments en N. S.

✠ Ioseph Kallas
Archevêque Grec-Melkite Catholique
de Tripoli, Lattaquiet et Dépendances

[1] Cf. pp. 451-462.

11

Exc.mi P. D. MICHAËLIS DOUMITH
Archiepiscopi Tyrensis Maronitarum (Tyr)

Una cum Archiepiscopo responsum dederunt:

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ, *Archiepiscopus Berytensis Maronitarum* (Beirut).

Exc.mus P. D. PETRUS DIB, *Episcopus Cahirensis* (Le Caire).

Exc.mus P. D. ANTONIUS KHOREICHE, *Episcopus Sidonensis* (Saida).

Beryti, die 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honorificum nobis est communicare Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, cui praeest Eminentia Tua Illustrissima opinionem et argumenta quae nobis suggesserunt necessitates Ecclesiae, huius temporis, in nostris Orientalibus regionibus.

Votum scripsimus « omni cum libertate et sinceritate », sicut commendavit Eminentia Tua Illustrissima, totum et unumquodque punctum subicientes, non tantum infallibili iudicio Ecclesiae sed etiam meliori prudentiorique iudicio Pontificiae Commissionis.

Interim reverenter impensos animi sensus profitemur

Eminentiae Tuae Illustrissimae
Add.mi

Omnes sequuntur subsignationes

Obiectum, Oecumenico Concilio primo assignatum, unio nempe Christianorum, magno cum gaudio his in locis, auditum fuit. Licet non sine difficultate et quidem magna, testantibus « Ortodoxiae » praeconibus, unio fieret, non inde non inquirenda est ab Ecclesia Catholica, via vere pertinenti. Si hierarchae dissidentes, huius temporis, nondum videntur dispositi ad partem habendam in Concilio Oecumenico a Romano Pontifice convocato (tali invitationi responsio affirmativa signaret unionem iam consummatam), ipsi fideles non sine admiratione et unitatis desiderio Ecclesiam Catholicam spectant. Cui expectationi nisi fiat aliqua responsio, corda fient exinde duriora.

Responsio autem accurata videtur fieri debere ex parte Ecclesiae Catholicae quibusdam appropinquationibus sive in relationibus cum « Orthodoxis » sive in proprio regimine, quae apparent ut variae viae ad unionem, gratia Dei, efficiendam.

I. *Relaxatio legum de communicatione in sacris*

Prima via videtur esse relaxatio dispositionum iuris de communicatione in sacris. Istae enim leges, ad errorem refellendum et fidem servandam olim latae, videntur nunc, frequentiori casu, non pertinere. Excepto casu quorumdam « Novatorum », nulla impugnatio fit nunc adversus Ecclesiam Catholicam ex parte dissidentium, saltem in his regionibus. Ex alia parte unio vera et duratura fieri nequit, nisi praeiacente spirituali maturatione communitatum separatarum ope missionariorum et sacerdotum catholicorum, magna patientia, magnaque libertate laborantium, omni intentione « proselitismi » ut dicunt exclusa: qui labor plena rectitudine et caritate exercitus non potest esse inanis. Teste enim historia, communicatio dissidentium cum catholicis (quorum missionarii Verbum Dei praedicabant et sacramenta ministrabant in ecclesiis fratrum dissidentium) effectum obtinuit conversionem multorum separatorum, quorum communitates forsan praemature, constitutae sunt ut ecclesiae sui iuris et ecclesias recenter unitas efformarunt (cf. historiam relationum cum « Orthodoxis », in Patriarchatu Antiocheno, ante constitutionem hierarchiarum recenter unitarum), teste etiam experientia unius nostrum, in collegio S. Basilii dioecesis Argentinensis (Gallia), eadem cum Catholicis fratrum dissidentium communicatio, multa, ipsis fatentibus, praeiudicia contra Ecclesiam Catholicam dissipavit.

Porro haec salutaris actio ministerii sacerdotalis Catholicorum erga separatos, difficilior apparet, manentibus quae nunc vigent legibus de communicatione in sacris. Relaxatione autem facta, ubi non adest periculum fidei, sacerdotale ministerium exerceri potest, ad dissidentium uti-

litatem, quin Catholici exinde subeant ullum damnum. Periculum indifferentiae si quod vigeret in communicatione cum non catholicis, multo magis viget in communicatione cum non christianis, quae tamen non tantum non arcetur, sed etiam ab ipsis pastoribus commendatur, certe non in sacris, attamen in multis ad fidem pertinentibus, prout sunt principia ordinis moralis, philosophici immo et religiosi. Si quaedam unio « omnium in Deo credentium » legitime commendatur, quanto magis commendanda est unio christianorum bonae fidei et bonae voluntatis. Haec autem cooptata relaxatio videtur extendi debere, salvo Oecumenici Concilii et Romani Pontificis iudicio, ad omnia quae non iure divino prohibentur.

II. *Unificatio iurisdictionis in eodem territorio*

Secunda via videtur esse unificatio iurisdictionis in eodem territorio. Sunt enim nunc in Oriente tot ecclesiae quot ritus. Non tamen ita fuit antiquitus, nec ibi, ut videtur, standum est semper.

Est enim error iuris, et factum antiquiori Traditioni contrarium, quod pluribus iurisdictionibus subiciatur idem territorium, vel quod sint in eadem sede plures sedentes. Ubi adest communio fidei et caritatis, non est ratio multiplicandi iurisdictiones, quae de facto non multiplicatae sunt antiquitus, nisi per haeresim aut schisma. Usus liturgicus, licet diversus, nunquam habitus est ut sufficiens ratio multiplicandi iurisdictiones. Sed inde a constitutis ecclesiis recenter unitis, aberratio facta est regula, et grave discrimen instauratum est inter Orientem et Occidentem, ubi usque adhuc non admittitur iurisdictionum multiplicitas.

Est etiam de facto inconveniens quod idem territorium pluribus iurisdictionibus subiciatur. Ubi enim adsunt plures communitates, si non fervet caritas, facilius fit communitas, non Ecclesia sed secta. Nonne ipsae orientales ecclesiae multo magis videntur et dicuntur « nationes » quam ecclesiae? Non autem sunt in Ecclesia Christi « nationes » etiam in humanis, a fortiori esse non debent in divinis.

Quae si considerantur, sequentes conclusiones sequuntur:

1. Admissa multiplicitate iurisdictionum ratione diversitatis usus liturgici, regula uniformiter applicanda est in Occidente sicut in Oriente, et legitimum fit votum Orientalium habendi in Occidente (v. g. in America) propriam hierarchiam, sicut omnes in Oriente, non exclusis latinis, propriam hierarchiam habent. Secus videntur Orientales esse in Ecclesia fideles non pleni iuris, illorum ius esse ius particulare.

2. Multiplicitate autem non admissa, sicuti est nunc in Occidente et ubique fuit antiquitus, deveniendum est etiam in Oriente ad unitatem

iurisdictionis et regiminis, inter Catholicos, primo, quo res fiet facilior cum acatholicis. Communio fidei et caritatis, apte exprimitur unitate iurisdictionis et ubi haec non adest, multis periculis offenditur illa. « Ritus » ex se est expressio cultus, non autonomiae tabula, et fideles, licet diversi ritus, Eiusdem Ecclesiae, non oppositarum nationum vel sectarum, membra sunt. Ideo ad vitanda scandala, ad regimen Ecclesiae recte reintegrandum et ad caritatem promovendam, coram aliis christianis, haec unitas urgenda est, non obstantibus difficultatibus etiam maximis, quae occurrere possunt, et quae omnes non sunt insolubiles, si ipsi Pastores exemplum dant evangelicae renuntiationis. Unitati iurisdictionis non offendunt nunc particularitates liturgicae ritus Lugdunensis, Milevitani, Mosarabici immo et Orientalis in Occidente, cur in Oriente idem esse non potest?

3. Unitas iurisdictionis apte praeparatur unitate disciplinae. Salva distinctione liturgica, non videtur cur, in alia materia, tam frequentissime recurritur ad ius particulare, Ius « particulare » est semen divisionis, et olim non fuerunt tot iura particularia. Inde conversio ad unitatem non est necessario novitas, nec ipsi dissidentes novitatem respuunt nisi quia fit, ipsis inconsultis. Novitati quae fieret « ad normam » ut dicunt consentirent, exclusis gravioribus quae, secundum illos, ad depositum pertinent et de quibus non curavit Romana Ecclesia.

III. *Promulgatio constitutionis « de Episcopis »*

Tertia via videtur esse promulgatio constitutionis « de Episcopis ». Gravissima enim novitas, secundum dissidentes, et certe principalior obex contra unionem, est definitio Primatus Romani Pontificis a Concilio Vaticano facta. Ipsum primatum minus contestarentur, si illius exercitium esset « leve », ut debet esse Christi iugum, admodum quo exercebatur ante schisma byzantinum. Est enim commune inter dissidentes praeiudicium, quod episcopus catholicus iam non est verus pastor et verum caput suae ecclesiae, sed merus executor absolutae voluntatis Romani Pontificis immo et Romanorum Dicasteriorum. Sed haec non est fides Ecclesiae, nec ipsius Concilii Vaticani doctrina, quod si interruptum non fuisset, constitutionem « de episcopis » promulgasset, ad exponendam totam doctrinam de regimine Ecclesiae. Unde ne amplius male intelligatur doctrina et difficilior reddatur unio, perutile immo et necessarium videtur opus Vaticani interruptum adimplere, constitutionem « de episcopis » promulgando quae simul exponeret episcoporum iura divina, et sedium patriarchalium iura traditionalia et ecclesiastica, his omnibus collatis cum iuris dispositionibus, in Occidente vigenti-

bus, praesertim inde a tempore byzantini schismatis. Quo facto, regimen Ecclesiae plene et recte stabilietur, confusiones sive ex una sive ex alia parte solventur et fratres separati magis ac magis in Ecclesia Catholica videbunt propriam Ecclesiam et Matrem.

IV. *Circa modum formulandi fidem*

Ultimum tandem votum quod magis facit ad unionem mentium in genere, ordinem habet ad doctrinam circa modum formulandi fidem, eamque mentibus huius temporis magis accomodandi. Id enim quod dicunt « la pensée moderne » videtur exerceri inde a tempore Tridentini, saltem quoad formam, extra lucem Christianae veritatis. Cuius facti multae afferri possunt rationes, ex quibus non excluditur cura theologorum et Magisterii exprimendi depositum formulis scholasticis, aliis exclusis. Unde formula fidei facta est modernis impervia, immo ab ipsis theologis non semper recte intelligitur. Moderni autem aliique omnes, qui aliam traditionem culturae ac graeco-latinam colunt, nec in ignorantia nec in errore suo derelinquendi sunt. Est enim doctrina Christi lumen mentibus et Magisterii est invigilare ut luceat et mentes illuminet. Unde ad promovendum laborem theologicum, qui, invigilante Magisterio, veritatem exprimat modo mentibus omnium hominum accomodato, non sine utilitate videtur fieri declaratio affirmans formulam fidei quae occurrit in declarationibus et canonibus conciliorum non esse ex se nec exclusiva, nec exhaustiva: non exclusiva scil. alius formulae quae idem, alio modo, diceret, secundum novas categorias extra scholasticas alius philosophiae, dummodo non sit erronea; nec exhaustiva scil. totius veritatis, nam conciliorum declarationes, licet irreformabiles, persaepe formulantur ad errorem determinatum excludendum et veritatis determinatum aspectum exprimendum. Ex cura servandi depositum, non deponenda est cura illud exponendi « omnibus hominibus » cuiuscumque culturae et traditionis philosophicae.

Omnia in hoc voto exposita nobisque inter dissidentes viventibus experientia suggesta, ad hunc tantum finem tendunt ut illis via accedendi ad Fidem Catholicam aperiatur et, adiuvante Dei gratia, hora ab Eo praevisa, fiat unum Ovile et Unus Pastor.

Omnes sequuntur subsignationes

12

EXC.MI P. D. AGAPIOS S. NAOUM
Archiepiscopi Tyrensis Melchitarum (Tyr)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH
Patriarcha Antiocheno Melchitarum [1]

13

EXC.MI P. D. EFTIMIOS YOUAKIM
Episcopi Mariannensis (Zahleh e Furzol)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH
Patriarcha Antiocheno Melchitarum [2]

14

EXC.MI P. D. PAULI BERTOLI
Archiepiscopi tit. Nicomediensis, Nuntii Ap. in Libano

Beirut, 28 novembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Durante la seconda metà di agosto mi giunse il venerato Officio n. 1 C/59-1676 col quale Vostra Eminenza nell'inviarmi copia della Lettera Circolare, del 18 giugno precedente, ai Padri del futuro Concilio, mi invitava a far conoscere il mio pensiero sull'avvenimento annunziato dal S. Padre Giovanni XXIII. Ho atteso finora a rispondere perchè, appena arrivato nel Libano, volevo, tra l'altro, prender tempo per conoscere più da vicino le idee di questa Gerarchia e le reazioni dell'opinione pubblica.

L'iniziativa della celebrazione di un Concilio è stata accolta anche

---

[1] Cf. pp. 451-462.
[2] Cf. l. c.

qui, com'è noto, con soddisfazione e l'accenno alla riunione dei cristiani ha suscitato naturalmente curiosità, speranze e preoccupazioni che non mancheranno di portare i loro frutti. Gli ecclesiastici ed i cattolici che si interessano dell'« ecumenismo » interpretano il Concilio come un segno favorevole per le loro attività ed anche tra i non cattolici l'iniziativa è vista con simpatia: tutti, poi, pensano che si stia delineando un cambiamento positivo per un riavvicinamento delle diverse Chiese. Nello stesso tempo, si ha l'impressione di un certo irrigidimento in qualche ambiente ecclesiastico ortodosso, preoccupato di perdere le proprie prerogative in caso di una riunione. Le enormi difficoltà, tuttavia, che anche i profani cominciano ad intravedere e, d'altronde, le dichiarazioni che stanno riportando la celebrazione del Concilio alla sua vera funzione, hanno già calmato i facili entusiasmi e dovrebbero, togliendo la base ai timori, non fornir più un pretesto per una ripresa di antipapismo.

Per quanto riguarda questo problema, il Libano contrariamente a quanto la sua posizione lascerebbe pensare, non sembra sia in condizione di portare un contributo notevole. Come altrove, infatti, questo clero non è in generale psicologicamente e intellettualmente preparato per facilitare l'avvicinamento e gli ortodossi, dal canto loro, sono piuttosto ostili ai loro confratelli di rito. È, tuttavia, opinione comune che l'atteggiamento benevolo del S. Padre su un piano che apparisce più umano e meno rigido ha creato un'atmosfera di vera simpatia.

Dalle risposte della Gerarchia inviate costì attraverso questa Nunziatura, si rileva, il desiderio che il Concilio possa fare qualcosa di positivo in favore dell'unione. Nello stesso tempo è risorta la preoccupazione delle prerogative e dei diritti dei Patriarcati che alcuni vorrebbero definiti e riconosciuti pienamente come condizione per aprire la via al ritorno degli ortodossi. Coloro che più si agitano, sono come in passato, i greci melchiti, ma anche il sinodo siro, il Patriarca Maronita ed alcuni Vescovi dello stesso rito si riferiscono a questo problema che, sebbene in maniera diversa, vorrebbero vedere risolto.

Un altro punto sul quale Vescovi e clero dei diversi riti — latino compreso — insistono è la « communicatio in sacris », che dovrebbe esser permessa in tutte le materie nelle quali non vi sia un impedimento di diritto divino.

Circa, poi, il Codice Canonico Orientale, che ha suscitato pareri diversi e, com'era da attendersi, non poche critiche, si chiede che lo studio ed il riesame venga rimandato — com'è ormai ufficialmente ammesso — al Concilio stesso.

Qualche Prelato accenna all'opportunità di una internazionalizzazione della Curia Romana tale che sia, anche esternamente, più tangibile e visibile ed i Greci in particolare propongono che i Patriarchi concorrano alla elezione del Sommo Pontefice. Codesti e simili desideri, non esclusivi degli orientali, sono molto sentiti in queste regioni, anche perchè dagli ortodossi viene sempre sollevata come un'obiezione per una riunione.

Codesti sono i principali desiderata connessi coi riti orientali, e che l'annunzio del Concilio ha reso di maggiore attualità, che si vorrebbero veder discussi, e per quanto possibile, definiti.

Per quanto riguarda, poi, i problemi di ordine generale, ci si augura che il Concilio sarà preparato con tutta la calma ed il tempo necessario. Si spera pure che non verranno dichiarati nuovi dogmi nè nuove feste sia in onore di qualche Mistero sia in onore di qualche Santo. Nel felice sviluppo, infatti, della liturgia e del pensiero cattolico sembra giunto il momento di fare una sosta e di rivedere tutte quelle devozioni che sono venute ad appesantire i libri della preghiera pubblica e che non rispondono più ai bisogni attuali delle anime.

Seguendo, inoltre, lo spirito della umiltà e della semplicità, si pensa che lo stile degli anatemi e la fulminazione di pene potrà esser attenuato e magari nella maggior parte dei casi soppresso.

Nella revisione del Codice di Diritto Canonico sarà forse opportuno adottare dei principi piuttosto ampi in modo che le prescrizioni siano pratiche, oggettive e adattate all'epoca. Si eviterebbe così la ripetizione di idee venerande che, ancor prima della promulgazione, sarebbero lettera morta. Si ridurrebbe anche l'uso delle dispense e delle eccezioni che appesantiscono oggi la disciplina generale della Chiesa.

È desiderio comune che il futuro Concilio porti in fondo la costituzione « de Ecclesia », sospesa nel Vaticano del 1870 e sviluppi la dottrina del Corpo Mistico. Ciò metterà nella vera luce i principi sul Primato ed in rilievo quelli sui Vescovi e potrà aprire ai laici nuovi campi di apostolato in aiuto del clero. Oltre ai benefici immensi che ne verranno per il governo interno della Chiesa e la sua attività, lo studio di questa dottrina toglierà di mezzo tanti malintesi.

Nel campo sociale, morale, internazionale, dell'educazione della gioventù, degli studi biblici, delle relazioni tra la Chiesa e lo Stato e negli altri problemi di attualità sui quali esistono da Leone XIII un numero ragguardevole di documenti pontifici, il Concilio potrà mettere a punto una dottrina sempre più rispondente alla realtà. Sarà, però, necessario che prudentemente vengano scartate quelle idee e quei postulati che, pur essendo corollari di principi più vicini alla scolastica tradi-

zionale, non rispondono alle esigenze dell'evoluzione e dello sviluppo della umanità. Verranno evitate così tante decisioni in materia biblica, storica ecc. che i fatti potrebbero smentire con danno della religione.

Pregando il Signore per un successo pieno della felice iniziativa del Papa Giovanni XXIII, mi chino al bacio della Sacra Porpora e mi confermo, con i sensi del più distinto ossequio e della più profonda venerazione,

di Vostra Eminenza Reverendissima
umil.mo dev.mo obbl.mo

✠ Paolo Bertoli
Arcivescovo tit. di Nicomedia
Nunzio Apostolico

15

Exc.mi P. D. IOANNIS CHEDID

Episcopi tit. Arceni, Vicarii Patriarchalis Antiocheni Maronitarum

Bekorki, die 30 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Venerandas litteras Eminentiae Tuae de futuro Concilio Oecumenico magno cum gaudio accepi magnaque sollicitudine perlegi, et veniam peto si adiuncta specialia responsionem meam hucusque tardarunt.

In primis, carum mihi venit profundam meam devotionem exprimere erga Urbem, ubi studia fideliter perfeci, et maxime erga Sanctam Sedem, quae paterno animo supra me populumque meum constanter pervigilat, quapropter Eminentiam Tuam Reverendissimam humiliter rogo ut faveat sermonem meum considerare uti provenientem e devotissimo animo veri filii Romanae Ecclesiae.

Nolo hic de variis quaestionibus doctrinalibus vel disciplinaribus inquirere, de quibus certe certius plura vota iam formulata sunt; sed sufficit mihi proponere hic aliquas animadversiones, omni cum libertate atque sinceritate, circa « gubernium » in Ecclesia, et sane:

Quod Ecclesia Christi sit una unitate fidei et supremi regiminis, nemo negare audet. Quod Ecclesia sic dicta orientalis unam eandemque Ecclesiam Catholicam constituat cum Ecclesia occidentali, non minus patet. Quod tamen omnia quae sunt occidentalis vel orientalis Ecclesiae

ipso facto pertineant totaliter ad « Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam » omnes fateri debent.

Divisio autem Ecclesiae in occidentalem et orientalem non est nisi effectus quorumdam elementorum extrinsecorum, quorumdam factorum historicorum nec non diversorum morum populi in diversis regionibus degentis. Quae omnia essentiam Ecclesiae tangere minime possunt.

De facto tamen, et decursu temporis, Ecclesia orientalis a vita Ecclesiae universalis tamquam separata fuit, sive ratione angustiae temporum, sive ratione schismatum in quibus maxima Orientalium pars versata est. Exinde pars catholica inter Orientales quasi in margine Ecclesiae vivit, dum alia pars, catholica, extra Ecclesiam prorsus mansit.

Qua de causa, ad veram Ecclesiae Christi unitatem restaurandam atque stabilem reddendam, requiritur quod tota Ecclesia orientalis et omnia quae sua sunt, in sinum unicae ac universalis Ecclesiae plene redintegrentur. Haec redintegratio necessaria est ad catholicitatem Ecclesiae manifestandam et ad conversionem acatholicorum facilius promovendam.

Ad huiusmodi redintegrationem perficiendam tres requiruntur conditiones, nempe:

I. Auctoritatis Patriarchatuum orientalium, quoad regimen Ecclesiae universalis, in pristinum statum restitutio.

II. Hierarchiae iurisdictionis in eodem territorio unificatio.

III. Discrepantiae et oppositionis inter varios Ritus mitigatio, et quidem:

I. *De Patriarchatibus orientalibus*

De veneratione Sedium Patriarchalium Orientis deque eorum momento, sive historico sive reali, in constitutione sociali Ecclesiae, nullum dubium habetur. Deinde Sancta Sedes omni cura in Communitates orientales semper incubuit eisque multas donationes, decursu temporis, largita est. Attamen, nec veneratio quidem neque cura et donationes sufficiunt ad dicendum quod Ecclesia orientalis est vere et proprie particeps vitae Ecclesiae universalis.

Patriarchae enim Sedium orientalium sese vident uti alienos a regimine totius Ecclesiae. Immo aliquam degradationem, ut ita dicam, a priore sui status passi fuisse videntur. Nam in ordine hierarchico quem ius novissimum sancivit, ipsi veniunt post Cardinales, Nuntios, Internuntios (licet hi caractere episcopali careant) et, quibusdam in casibus, post ipsos latini ritus Episcopos. Deinde, dum fideles ritus orientalis in territorio occidentali degentes plene subduntur Hierarchiae latinae, fideles ritus latini, intra limites Patriarchatuum orientalium degentes, pro-

prium Hierarcham latinum e contra habent, a iurisdictione Patriarchae loci plene independentem.

Haec omnia et similia, dum Orientalibus catholicis iniuriam faciunt, Orientalibus acatholicis « petram scandali » et magna conversionis impedimentum constituunt, eo quod Orientales considerari videntur uti christiani inferioris ordinis.

Propterea maxime expedire puto quod Patriarchae orientales tanta auctoritate augeantur ut in pristinum sui statum aliquo modo restituantur, et in regimine Ecclesiae universalis partem, quae dignitati vere patriarchali convenit, realiter habeant. In actuali rerum statu, et considerato regimine « centralistico » quod nunc viget in Ecclesia, optima problematis solutio haberi potest, si Titulares Patriarchatuum orientalium *Cardinales « ex Ordine Patriarcharum » creabuntur*.

In gremio Sacri Collegii ita introducti, Patriarchae orientales partem habere possunt in Summi Pontificis electione, et in Ecclesia universalis regimine. Hoc modo venerabiles Sedes Patriarchales Orientis aliquam « rehabilitationem » habuisse dici possunt. Hoc modo facilius diminuitur illa oppositio inter Ecclesiam .orientalem et Ecclesiam occidentalem, et amplius locum habere non poterit erronea illa conceptio, iuxta quam Patriarchatus Orientis eiusdem iurisdictionis ordinis essent ac Patriarchatus Occidentis, seu Pontificatus Romanus. Quae conceptio vera radix est omnium schismatum in Oriente.

II. *De unificatione Hierarchiae*

Ex unitate essentiali Ecclesiae naturaliter decurrit unitas iurisdictionis. Proinde unica Hierarchia in eodem territorio haberi debet, quidquid sit de ritu fidelium in illo territorio degentium. Nam diversitas rituum semper in Ecclesia habita est, multiplicitas vero Hierarchiae in eodem loco dicenda est quaedam innovatio et quidem valde odiosa. Immo una sedes cum pluribus sedentibus monstrum esse antiquitus dicebatur. Multiplicatio iurisdictionis non nisi deficiente communione fidei et caritatis antiquitus locum habuit. Recens tamen, occasione conversionis quorumdam fidelium ex haeresi vel schismate, introducta fuit multiplicitas Hierarchiae in eodem loco. Haec tamen multiplicitas, teste experientia, recto regimini valde obest, et magnam scandali causam constituit, tam pro fidelibus quam pro ipsis infidelibus.

Ideo ad regimen Ecclesiae recte restaurandum et ad caritatem inter fideles promovendam, urgenda est unificatio Hierarchiae in eodem territorio. Difficultates, quae huic unificationi obesse videntur, non sunt invincibiles, dummodo Pastores exemplum praebeant evangelicae sollicitudinis. Nonne caritas Christi omnes urgere debet?

III. *De varietate Rituum*

Ad vincendas difficultates, quae contra unificationem Hierarchiae in eodem loco militant, maxime prodest mitigatio discrepantiae et oppositionis inter diversos ritus. Multiplicatio enim iurisdictionis in eodem loco originem trahit ex eo quod ritus ut Ecclesia, propriam Hierarchiam et propriam disciplinam habens, sumptus est. Sed ritus essentialiter non est nisi expressio cultus, seu liturgia, et semper sub influxu morum fidelium sese habet.

Varietas rituum uti liturgia, pulchritudinis signum et catholicitatis demonstratio in Ecclesia est. Sed ista varietas rituum est vera scandali petra quando iurisdictionis multiplicitatem in eodem loco vocat, quia dividit homines in castris, et eorum superbiam continuo excitat.

Quapropter ritus considerandus est tantummodo uti expressio cultus seu uti liturgia, non vero uti communitas fidelium propriam disciplinam propriamque hierarchiam habens. Itemque discrepantia vel oppositio inter diversos ritus ita mitiganda est, ut cuiusque ritus minister possit alieno ritu liturgiam perficere, dummodo ipse rite digneque id, iudicio Hierarchae loci, obire valeat.

Hoc modo potest salvari vera Ecclesiae unitas et catholicitas; oppositio inter varias ecclesias vel communitates fidelium facilius diminuitur; et via ad conversionem acatholicorum facilius aperitur.

Tandem haec omnia quae hic scripsi, venerandae Commissionis Antepraeparatoriae et Patrum futuri Concilii Oecumenici meliori iudicio humiliter submitto; et interea omni quo par est obsequio, Eminentiam Tuam Reverendissimam prosequor meque profiteor

✠ Ioannes Chedid
Episcopus tit. Arcenus
Vicarius Patriarchalis Antiochenus Maronitarum

16

Exc.mi P. D. GREGORII E. JARJOUR

Episcopi tit. Larissensis in Syria
Auxiliaris Patriarchae Antiocheni Syrorum

die 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Feria tertia, die 4 mensis augusti 1959 accepi, Tuae Eminentiae Ill.mae ac Rev.mae litteras e Civitate Vaticana emissas die 18 iunii 1959, Prot. n. 2626 1 C/59.

Mihi magnus honor et magnum gaudium est, scire Eminentiam Tuam esse Praesidem Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico quia fuisti meus professor, « in re liturgica » in Pontificio Collegio Urbano « De Propaganda Fide » inter annum 1919 et 1923. *Quoad consilia,* episcopus alumnus, non debet dare Em.mo Suo Professori et nulla habet. *Quoad autem Vota,* tenetur omnis clericus et omnis christianus rogare ut Deus Omnipotens, longam vitam det Summo Pontifici, Dulci Vicario Christi in terra, ad Divinae Providentiae desideria et voluntatem, adimplendum et ad videndum oculis suis, Ecclesiae Christi filiorum unionem completam (ad maiorem Dei gloriam, pacemque et salutem omnium fidelium).

Animadversiones demum, tenetur omnis futurus Pater Concilii facere, ad animarum bonum publicum et Ecclesiae Universalis triumphum.

Propterea cum sinceritate et libertate opinionem meam propriam exprimo:

1. *Quod spectat omnes fideles mundi Catholicos:*

a) Necessarium est colligere, redigere et confirmare in uno libro, decisiones, normas, renovationes et leges cuiusque generis.

b) Opportunum est unificare leges, habitudines et traditiones necnon festa et ieiunia, Ecclesiarum Orientalium diversorum rituum, in quantum fieri potest, ut regnet inter Ecclesiam Latinam et Orientalem, harmonia perfecta, sincera fraternaque.

c) Declarare, clare et specifice, iura et privilegia ac obligationes omnium ecclesiarum, ut non creetur abyssus magnus inter Ecclesias Orientales catholicas et Ecclesias Orientales separatas.

2. *Quoad ecclesias separatas.*

a) Necesse est preces imponere in « Urbe et Orbe » in omnibus ecclesiis, oratoriis et conventibus, ante Concilium et perdurante Concilio Oecumenico, pro unione fratrum omnium in una familia Dei et Christi.

b) Aliquod opusculum imprimere in quo exponantur veritates fundamentales dogmaticae et morales quas nemo potest mutare, et aliae quaestiones differentes inter Ecclesiam Catholicam et ecclesias separatas. Doctrina Catholica exponenda esset cum argumentis historicis, scripturalibus, patristicis, cum brevitate necessaria et caritate maxima.

c) Istae quaestiones notae, inter nos et fratres nostros separatos sunt: 1) Primatus et infallibilitas Romani Pontificis; 2) Processio Spiritus Sancti; 3) Panis azimus et fermentatus; 4) Transubstantiatio Sa-

cramentalis; 5) Communio sub specie unica; 6) Communio infantium; 7) Purgatorium; 8) Felicitas Sanctorum; 9) Baptismus per infusionem et aspersiones; 10) De Immaculata Conceptione; 11) De matrimonio.

Inter praefatas quaestiones, principalis quaestio est: Primatus Romani Pontificis suaque Infallibilitas.

Nota. — Die 1 octobris 1959 adunabit episcopos in Synodum episcopalem, Em.mus Dominus Cardinalis Ignatius Gabriel Tappouni, Patriarcha Antiochenus Syrorum et dabunt in tempore suo, responsum collegialem.[1]

Nota 2. — Recursum habui consilio aliquorum virorum peritorum circa aliquas quaestiones et colligere potui sequentes notas:

1. Opportunum vere est ut fundamentum unionis cum fratribus orthodoxis separatis sit super octo prima concilia oecumenica locum habentes sub praesidentia delegatorum Summi Pontificis, ultimum autem Concilium locum habuit anno 786, speciatim etiam super Concilium Florentinum locum habentem anno 1438, sub Pontificatu Eugenii IV Papae, et cum assistentia Patriarchae Constantinopolitani.

2. Quaestiones definitae a Summis Pontificibus « Motu Proprio », aut in Concilio Tridentino, aut Vaticano erunt obiectum discussionum futurorum a parte. Aut enim declaratur ecclesiam orientalem separatam non esse obligatam ut conformetur talibus quaestionibus, sicut in casu publicationis actorum Concilii Tridentini, quibus nostri fratres separati non erant obligati, per textum explicitum, sicut etiam catholici Orientales cum latinis occidentalibus ipsis non erant obligati, nisi in regionibus ubi acta concilii erant publicati in modo officiali, et usque nunc in diebus nostris, nemo tenetur, in regionibus Europae ubi publicatio non facta fuit.

3. Ecclesiae Orthodoxae separatae non erunt obligatae ad totam legislationem quam Ecclesia Romana aut SS. Summus Pontifex edit ad ecclesias Orientales unitas cum Roma, nisi ipsaemet ecclesiae separatae adoptent totam istam legislationem, aut aliquam partem convenientem ipsis.

4. Pariter, nova legislatio generalis in administratione Ecclesiae, quae non fuit elaborata in Synodo ecclesiarum catholicarum et orthodoxarum separatarum, si unionem faciunt cum Roma, non obliget istas ecclesias separatas, nisi in Synodo Oecumenico locum habentes sub presidentia S. Patris Papae aut sui delegati.

5. Supprimantur Patriarchatus latini instituti a Sancta Sede in Alexandria, Ierusalem et Antiochia.

---

[1] Cf. pp. 391-392.

6. Recognoscere ecclesiis separatis, legislationem factam post separationem, sub conditione quod nihil contineant contrarium dogmati et moribus.

7. Recognoscere et confiteri immediate, in I Sessione Concilii Oecumenici, ex parte SS. Papae, quod ecclesiae orthodoxae separatae a Patriarchatu Constantinopolitano et a caeteris Apostolici Patriarchatibus, conservant facultates completas ad Consacrationem episcoporum, et ordinationem sacerdotum, necnon distributionem Sacramentorum cum auctoritate episcopali super fideles.

Vota ago, benedictionem Caeli super futurum Concilium adprecor, omni ex corde Sacram Purpuram osculo, petendo Tuam Benedictionem pro alumno tuo dev.mo in Christo

✠ GREGORIUS E. JARJOUR
Episcopus tit. Larissensis in Syria
Auxiliaris Patriarchae Antiocheni Syrorum

PAKISTAN

1

Exc.mi P. D. LAURENTII L. GRANER
Archiepiscopi Dacchensis (Dacca)

N. 1378/59 — 17 septembris 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad impensam Tuam epistolam, Prot. N. 1 C/59-428, volumus offerre sequentia consilia et vota:

1. Missa in lingua vulgari usque ad offertorium, et a communione (inclusive) usque ad finem Missae.
2. Sacerdotibus occupatis in vita activa concedatur recitatio Breviarii in lingua vulgari.
3. Breviarium magis complectatur officia temporis cum biennali cyclo lectionum scripturarum.
4. In administratione Baptismi tollantur consuetudines sequentes: *a*) exsufflatio in faciem, *b*) tactus aurium et narium cum saliva, *c*) unctio in pectore cum oleo catechumenorum.

Cum confirmatione, Eminentiae Tuae, precationum nostrarum pro successu Concilii et impensis animi sensibus,

Eminentiae Tuae
add.mus

✠ Laurentius L. Graner
Archiepiscopus Dacchensis

2

Exc.mi P. D. IOSEPHI OBERT
Episcopi Dinajpurensis (Dinajpur)

8 aprile 1960

Eminentissimo Sig. Cardinale,

Quando S. Ecc.za il nostro Vescovo, Mons. Giuseppe Obert, ricevette la Sua, era gravemente ammalato. Da allora è ancora ammalato e dovette ritornare in Italia per cura. Dove si trova ancora. Io ricevetti la Sua seconda lettera di sollecitazione e credo opportuno rispondere diret-

tamente anche perchè il tempo stringe. D'altronde le osservazioni e desiderata sono l'espressione della volontà del nostro Ecc.mo Vescovo da Lui parecchie volte espresse sia con me che con i Padri di questa Diocesi missionaria.

1. Definizione chiara, adeguata ai tempi e universale delle leggi del digiuno e del riposo festivo.

2. Riforma liturgica:

a) Introduzione della lingua volgare (nazionale) eccetto che nelle parti segrete della S. Messa, nella forma dei Sacramenti e negli Esorcismi.

b) Riforma, non solo delle Lezioni, ma anche della stessa struttura del Breviario che oggi, nella maggioranza, non è più una preghiera corale.

c) Preparare un « Ius liturgicum » universale per la liturgia romana.

d) Riforma del Messale, specialmente in riguardo ai Vangeli domenicali che gradatamente, durante l'Anno liturgico, rispecchino tutta la vita e dottrina di Cristo.

3. Facoltà agli Ordinari di controllare l'amministrazione e bilancio delle Opere tenute da Religiosi in Diocesi, come ospedali, scuole, tipografie ecc. con facoltà di imporre una determinata tassa percentuale e proporzionale per il bene della Diocesi o Opere diocesane, eccetto nel caso che il guadagno compensi il bilancio passivo di altre Opere caritative tenute dai Religiosi nella stessa Diocesi.

4. Regolare l'afflusso delle vocazioni nei vari Istituti religiosi così che si evitino furti di vocazioni e l'incettazione di esse con detrimento dell'autorità dei Pastori di anime locali, della carità e decenza tra i vari Istituti.

5. Riforma e snellimento dei Dicasteri della Curia romana (per il matrimonio per esempio oltre a Propaganda sono competenti la S. Congregazione dei Sacramenti, della Chiesa Orientale e del S. Uffizio; per l'amministrazione ecclesiastica sono competenti le SS. Congregazioni di Propaganda, del Concilio, della Chiesa Orientale, dei Religiosi ecc.) con più uniforme determinazione delle competenze.

6. Semplificazione e adeguamento del Diritto penale. Le scomuniche e le pene *latae sententiae* sono così tante che neppure i Sacerdoti le conoscono tutte, e altrettanto inutili per il fatto che l'ignoranza scusa da esse.

Prostrato al bacio della S. Porpora

di Vostra Eminenza Ill.ma e Rev.ma

P. F. Ghezzi
Vicario Generale della Diocesi di Dinajpur

3

EXC.MI P. D. IACOBI C. VAN MILTENBURG

Archiepiscopi Ep. Hyderabadensis in Pakistan (Hyderabad in Pakistan)

N. 269/60 Hyderabad, 29 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

In litteris diei 21 martii 1960 — Prot. N. 1 C/59-610-bis — rogor ut respondeam ad litteras quas Eminentia Vestra miserit die 18 iunii 1959 ad omnes Exc.mos Episcopos atque Praelatos, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur.

Cum omni libertate et sinceritate mihi videtur communicare ut:

1. Simplificetur Breviarium.

2. Adaptetur liturgia conditionibus localibus, praesertim in missionibus, ita tamen ut unitas cultus stricte praeservetur.

3. Ut redigatur *Codex Iuris Canonici* secundum instructiones et decisiones post annum 1919 a S. Sede promulgatas.

4. Ut S. Congregatio de Propaganda Fide reorganizetur.

5. Similiter quoque Secretariatus Status modificetur ita ut eius servitium non reservetur exclusive pro clero saeculari; e. g. religiosus, etiam si per multos annos bene laboraverit in aliqua Legatione Pontificia, non potest esse « di Ruolo ».

Inclinatus ad osculum S. Purpurae, qua par est reverentia, remaneo,

Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino,

✠ IACOBUS C. VAN MILTENBURG
Archiepiscopus Episcopus Hyderabadensis in Pakistan

4

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. A. CORDEIRO

Archiepiscopi Karachiensis (Karachi)

N. 754/59 Karachi, 23 augusti 1959

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Hisce certiorem Vos facio me recepisse litteras Em. V. Rev.mae, Prot. N. 1 C/59-667, datas die 18 mensis iunii nuper elapsi, an. 1959.

Pergratum mihi est mittere hic inclusa quaedam desideria et vota

quae cum consilio virorum ecclesiasticorum nostrae archidioecesis exaravimus, quaeque rogo ut Em. V. Rev.ma faveat accipere.

Inclinatus ad S. Purpuram, omni quo par est obsequio, subsignor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Domino
✠ Iosephus Cordeiro
Archiepiscopus Karachiensis

I. *Quoad Doctrinam*

Ut Constitutio de Ecclesia iam partialiter definita in Concilio Vaticano terminetur specialem attentionem tribuendo:

1) relationi inter magisterium personale et infallibile Romani Pontificis et magisterium universale Episcoporum;

2) sacerdotio universali fidelium;

3) necessitati coniunctionis cum Christo in Ecclesia ex parte infidelium ad salutem obtinendam secundum famosum illud adagium patristicum: « Extra Ecclesiam nulla salus » et quomodo haec coniunctio intellegenda sit.

II. *Quoad Liturgiam*

1. Ut caeremoniae liturgicae ita tempori actuali adaptentur, ut revera secundum verba Concilii Tridentini « mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio (sc. Missae) latent, contemplationem excitarentur » (Denz. 943).

2. Ut lingua vernacula in Missa sic dicta Catechumenorum introducatur ita ut haec pars Missae suam pristinam et originalem significationem, sc. catecheseos et instructionis populi fidelis recuperet.

3. Ut aboleantur certae caeremoniae quae hodierno tempore significationem amplius non habent, uti sunt signa crucis super species consecratas, unctiones in administratione Baptismi et alia huiusmodi.

4. Ut detur Episcopis quaedam potestas adaptandi caeremonias consuetudinibus et indigentiis loci et temporis, praesertim Episcopis in terris Missionum, quoad ritum celebrationis matrimonii.

III. *Quoad Ius Canonicum*

1. Ut normae pro confessariis religiosarum simplificentur.

2. Ut fusius determinetur quomodo verbum « quamprimum » in can. 770 de tempore Baptismi intellegendum sit.

3. Ut tractatus de Indulgentiis reficiatur et adaptetur mentalitati hodiernae.

4. Ut sacramentum Extremae Unctionis restauretur in suam pristinam naturam sacramenti graviter infirmorum et non limitetur ad illos tantum qui in periculo mortis versantur.

5. Ut Ordines Minores, cum eis nulla realis functio correspondeat, supprimantur.

6. Ut impedimenta matrimonialia stricte ecclesiastica revisioni submittantur et eorum numerus et extensio restringatur in conformitate cum actuali praxi dispensandi.

7. Ut leges de abstinentia et ieiunio conformentur dispensationibus generalibus hucusque datis.

8. Ut numerus iuramentorum quae nunc pro variis officiis requiruntur, limitetur, praesertim quod attinet ad iuramentum sic dictum antimodernisticum.

9. Ut caput de prohibitione librorum reficiatur, saltem in hoc sensu quod index librorum prohibitorum modernizetur et quod certis personis detur generalis dispensatio in iure.

10. Ut tractatus de delictis et poenis simplificetur et ita corrigatur ut poenae revera in casu incurrantur.

11. Ut inquiratur circa opportunitatem restaurandi ordinem Diaconatus ut functionem propriam in Ecclesia, praesertim ad supplendum hodiernum numerum insufficientem sacerdotum tam in regionibus iam Christianis quam in terris Missionum.

✠ IOSEPHUS CORDEIRO
Archiepiscopus Karachiensis

5

EXC.MI P. D. DANTIS BATTAGLIERIN
Episcopi Kulnensis (Khulna)

Khulna, 3 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Novissimus omnium animadversiones suggerere non auderem: rogatus tamen, haec pauca humiliter exponere ausus sum:

1. Pascha D. N. I. C., si possibile, die dominica fixa celebretur ita ut kalendarium quoque sit fixum.

2. E Rituali et Pontificali tollendae videntur, quaedam caeremoniae

vel benedictiones quae nostris temporibus minus aptae iudicantur (v. g. exorcismus in ordine supplendi omissa super infantem baptizatum, usus vini, cineris, salis etc. in consecratione altaris, et similia).

3. Commissio quaedam instituatur vel Congregatio cui specialiter commissa maneant ea omnia quae ad unionem Ecclesiarum fovendam spectant. Nunc temporis scissio fortius in animis et preiudiciis magis quam in doctrina stat. Et, ut plurimum, animus noster non est animus patris, sed filii qui numquam domum patris deseruit, erga fratrem minorem.

4. Evangelia (et epistolae) dominicarum magis varia et selecta sint ita ut quotannis vel melius singulis trienniis principaliora dogmatis et moralis puncta ordinatim enucleare fas sit.

✠ DANTES BATTAGLIERIN
Episcopus Kulnensis

6

EXC.MI P. D. MARCELLI R. BUYSE
Episcopi Lahorensis (Lahore)

Lahore, 18 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad Epistolam Prot. N. 1 C/59-714 ab Eminentia Vestra Reverendissima datam Romae die 18 iunii 1959 circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent liceat mihi respondere quod nullum huiusmodi argumentum mihi modo occurrit. Attamen, si quocumque futuro tempore vel quovis modo aliquid ad bonum exitum huius quam maximi Concilii conferre possem, laeto animo magnaque cum sollicitudine praestarem et praestabo.

Interim vero, Purpuram Eminentiae Vestrae Reverendissimae devotissime deosculans, subscribo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
filius add.mus

✠ MARCELLUS R. BUYSE
Episcopus Lahorensis

7

Exc.mi P. D. FRANCISCI B. CIALEO

Episcopi Multanensis (Multan)

Multan, 19 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Mi voglia perdonare se non risposi a suo tempo alla venerata lettera N. 1 C/59-885 dell'Eminenza Vostra, e ho costretto Sua Eccellenza il Segretario della Commissione a mandarmi un sollecito.

Se mi astenni dal mandare suggerimenti per il futuro Concilio fu principalmente per la convinzione di non avere un contributo particolare da poter portare, le poche idee che mi venivano in mente essendo assai comuni e certo molto meglio proposte da altri Prelati.

In ossequio però all'insistenza dell'Eminenza Vostra, mi faccio un dovere di venire incontro ai Vostri augusti desideri. Solo chiedo venia se mi prendo la libertà di rispondere in Italiano, poichè ho perso la pratica di scrivere in Latino e non ho un segretariato che mi possa venire in aiuto.

I. Vivendo in mezzo a non-cristiani, il problema della loro salute ci assilla in modo speciale.

Assieme all'invito all'unione che il Concilio si propone di inviare ai fratelli separati, Scismatici e Protestanti, ardirei proporre che si facesse arrivare *un messaggio anche ai non-cristiani,* mettendo in rilievo come anche tra essi le anime di buona volontà che sinceramente credono e cercano di piacere a Dio possono salvarsi: « in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi » (*Act.* 10, 35).

Cristo rimane sempre il Mediatore universale per tutti: la sua virtù redentiva raggiunge tali anime sincere in maniera spesso misteriosa per noi, ma sempre conforme al Suo Amore misericordioso che in tutta verità « vult omnes homines salvos fieri » (*I Tim.* 2, 4).

II. Se vogliamo un maggior spirito cristiano nel popolo, prima condizione è che tale spirito sia davvero vissuto dalle persone consacrate a Dio, Sacerdoti e Religiosi. La loro vita sarà sempre la prima e più efficace predicazione dell'insegnamento di N. S. Gesù Cristo.

In essi si desidera spesso:

1) una più intensa vita spirituale. Tanti sembrano sovente travolti dalle attività esterne e distrazioni di ogni genere, dando ben poca parte del loro tempo alla preghiera e all'unione con Dio.

2) più distacco dalle idee e spirito del mondo. Essere al corrente della vita e mentalità del proprio tempo è necessario per poter avvicinare gli uomini e portarli a Dio, ma non troppo raramente è da temersi che anche anime consacrate si facciano dominare un po' troppo da tali idee del mondo, sino al punto di considerare quasi come sorpassato quel senso di disciplina e di rispetto alle autorità che sono sempre stati alla base della vita della Chiesa Cattolica;

3) più povertà e semplicità nella vita e nelle abitazioni. Anche ammettendo le esigenze della vita moderna, tanti palazzi di Prelati, di Padri e Madri Generali, di Istituzioni Religiose, come pure altre costose comodità, sembrano alle volte contrastare con la povertà predicata e praticata da N. S. Gesù Cristo e così cara a tutti i Fondatori di Ordini Religiosi. Inoltre un simile lusso non aiuta ad avvicinare il povero e l'operaio, mentre eccita l'ostilità e la cupidità degli estranei.

III. Anche nelle Missioni la Liturgia dovrebbe essere la migliore preghiera ed un mezzo d'istruzione per i fedeli. Degli adattamenti sono necessari per raggiungere tale scopo:

1) si desidera un maggior uso della lingua locale, particolarmente nella parte catechetica della S. Messa e nel canto liturgico;

2) i Vescovi potrebbero essere autorizzati, almeno in certi limiti, a semplificare alcune cerimonie (p. e. quando si richiede un gran numero di ministri), come pure a poter fare degli adattamenti che rendano i sacri riti meglio conformi alle capacità mentali del popolo.

IV. Semplificazioni nelle insegne e paramenti vescovili sembrano necessarie. Col caldo tropicale diventa spesso praticamente impossibile fare un Pontificale.

Anche le insegne extra-liturgiche, come croce pettorale, zucchetto, potrebbero essere riservate a funzioni ufficiali.

Una certa autorità potrebbe essere lasciata ai Vescovi per introdurre modifiche nel vestito del clero che lo rendano più adatto al clima ed alle condizioni locali.

Con i sensi di filiale devozione ho l'onore di professarmi,

Dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umile servitore

✠ Francesco B. Cialeo, O. P.
Vescovo di Multan

8

EXC.MI P. D. EMMANUELIS CLARIZIO
Internuntii Ap. in Pakistan

Karachi, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pro litteris die 13 iulii conscriptis (1 C/59-1679) quibus argumenta in futuro Concilio Oecumenico pertractanda etiam a me postulare dignatus es, sincero corde Tibi gratias ago.

Libenter, facultate utens, humillime vota quae sequuntur, eximiae istius Commissionis examini proponere audeo, illud sperans quod Eminentia Tua aliqua consideratione digna ea iudicabit.

1. Doctrina de salvatione animarum sub lumine Paulini effati « (Deus) omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire » (*I Tim.* 2, 4) exponatur; et non-catholicorum in bona fide recte viventium exitum post mortem explicetur esse felicem posse.

2. Catechetica expositio Fidei detur, temporis necessitatibus adaptata.

3. Ad solidam fidelium pietatem fovendam et ad efficacitatem apostolatus promovendam, innovationes in Sacra Liturgia, largiori cum usu linguae vernaculae, caute tamen et prudenter, concedantur.

4. Institutum quod reditum protestantium ad unitatem verae Ecclesiae Christi constanter et certa ratione foveat, aptiora studia promoveat et singulas sodalitates in variis regionibus ad hoc adlaborantes efficaciter dirigat, Romae constituatur.

Novam Congregationem Romanam, ad instar Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, instituere, fortasse, utile erit.

5. Opus missionale post-coloniali mundo adaptetur.

6. Clerus saecularis ad laborem apostolicum in missionibus assumendum invitetur, etiamsi permansio singulorum sacerdotum in longinquis regionibus, ad tempus limitetur.

7. Viae conversionis mahometanorum studio perquirantur.

Institutiones ad doctrinam islamicam penitius cognoscendam opus dantes, maximis auxiliis corroborentur.

8. Territorii ecclesiastici partitio nostris diebus necessitatibus adaptetur: praesens in paroecias divisio examini subiciatur; unitas actionis dioecesium eiusdem Provinciae augeatur. Provinciae in Regiones iungantur. In eadem Natione ecclesiasticae circumscriptiones iuridico ligamine inter se roborentur.

Conventus repraesentantium Episcoporum finitimarum Nationum passim habeantur.

9. Congregationes Religiosae virorum et mulierum enixe invitentur mutuo adiutorio in labore apostolico esse. Conventus Superiorum eiusdem regionis, iuridica obligatione, statutis temporibus habeantur.

10. Sorores Religiosae ad innovationes secundum necessitates temporis et loci adhibendas suadeantur.

11. Infeliciter lapsis sacerdotibus maxima cum caritate porta reditus ad bonam frugem pateat; causae spiritualis naufragii studentur.

12. Clericis in sacris obligatio sit librum meditationis quotidie legendi per quadrantem, speciatim super contextum Sacrae Scripturae Divini Officii diei (cf. ex. gr. Mons. Angrisani, « *In Matutinis Meditabor in Te;* Meditazioni per ogni giorno dell'anno sulle lezioni scritturali del Breviario ad uso dei Sacerdoti », Marietti, 1950).

Obligatio, autem, recitationis Breviarii ad dimidiam horam imminuatur.

13. Laici catholici magis magisque ad participationem in sacro apostolatu vocentur; eorum officia et iura plane describantur.

Et illi in missionibus mittantur, post, autem, opportunam praeparationem.

14. Una cum talari « clergyman » habitus pro omnibus ecclesiasticis approbetur; ita, tamen, ut distinctio a ministris protestantibus clare appareat.

Ut labores Tui pro totius Ecclesiae prosperitate feliciter eveniant, Sancti Spiritus auxilium per dies ferventi animo invoco.

Optima faustaque omnia Tibi adprecor et sensus maximae devotionis profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
in Domino addictissimus

✠ EMMANUEL CLARIZIO
Internuntius Apostolicus in Pakistan

PALAESTINA

1

EXC.MI P. D. GEORGII HAKIM

Episcopi Ptolemaidensis (Akka)

Qui responsum dedit una cum

B. P. D. MAXIMO IV SAIGH

Patriarcha Antiocheno Melchitarum [1]

2

B. P. D. ALBERTI GORI

Patriarchae Hierosolymitani Latinorum (Gerusalemme)

929/59 Jerusalem, die 1 septembris a. D. 1959

Eminentissime Pater,

Cum praeterito mense augusti in Sedem redii ex visitatione « ad limina », pergratum mihi fuit legere Epistolam Tuam diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-56, qua Eminentia Tua Reverendissima desideria Augusti Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. quoad futurum Concilium Oecumenicum patefaciebat.

En vota et animadversiones quas Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico submittere puto.

I. *S. Missae Sacrificium*

1. *Concelebratio.* Opportunum videtur concedere facultatem concelebrandi, servatis servandis, Sacerdotibus latini ritus, praecipue occasione peregrinationum vel coetuum sacerdotalium.

2. *Usus linguae vernaculae.* Valde opportunum foret, ut usus linguae vernaculae concedatur pro ritu latino, non solum in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, sed etiam prudenter in celebratione Augustissimi Missae Sacrificii, quando pro populo celebratur, pro ea parte Missae quae « Catechumenorum » vocatur, et pro illis partibus Missae « Fidelium » quae elata voce vel cantu dicuntur.

---

[1] Cf. pp. 451-462.

3. *Ordo Missae.* Nonnulli putant bonum esse aliquas mutationes prudenter introducere in Ordinario Missae. V. gr.: restitui possunt ad « Kyrie, eleison » — ad intimiorem unionem inter Celebrantem et Fideles adstantes fovendam — « Preces litanicae » (diaconica) quae statutis diebus in ritu ambrosiano et cotidie in ritu byzantino in usu sunt.

Insuper distributio pericoparum Epistolarum et Evangeliorum ita fieri potest ut, certo annorum cyclo, integer textus Evangeliorum et Epistolarum legi possit.

II. *Matrimonii Sacramentum*

De forma Matrimonii. Ad bonum animarum tutandum et ad admirationem acatholicorum vitandam, mihi videtur praescripta *C.I.C.* circa « formam » Matrimonii reconsideranda esse. Opinor enim Matrimonia contracta contra praescriptum can. 1099 illicita potius quam invalida consideranda esse.

III. *Dies festi de praecepto*

Translatio festorum de praecepto. Ad vitanda peccata, existimo saltem sequentes dies festi de praecepto convenientius in diem dominicam transferri posse: Festum Ss.mi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis B. V. M., Sancti Ioseph Sponsi B. M. V. et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum.

IV. *Ieiunium et abstinentia*

1. *Unificatio dierum abstinentiae et ieiunii.* Ne pia mens fidelium turbetur, mihi videtur opportunum, per legem generalem, dies ieiunii et abstinentiae statuere, qui a fidelibus omnium rituum catholicorum serventur.

2. *Translatio abstinentiae.* Item utile iudico ut Ordinariis locorum facultas tribuatur transferendi, quoties necessitas vel animarum utilitas id postulet, abstinentiam sextae feriae in alium diem infra hebdomadam.

V. *Varia*

1. *Clerici ad statum laicalem reducti.* Videtur praescriptum § 2 can. 213 prudenter mitigandum esse, ut bono animae clericorum ad statum laicalem reductorum provideatur.

2. *Pontificale et Rituale Romanum.* Videtur opportunum esse nonnullas benedictiones et consecrationes (Ecclesiarum, Altarium, etc.) ad breviorem formam reducere. Item aliae quaedam benedictiones in Rituali Romano Episcopis reservatae (cf. tit. VIII, cap. 20 et ss.) potius inter non reservatas enumerandae essent.

3. *Vigilia Paschalis.* Magis consentaneum videtur ut Vigilia paschalis non ante mediam noctem, sed summo mane diei Dominicae Resurrectionis incipiatur, ita ut circa auroram absolvatur.

4. *Nomen S. C. pro Ecclesia Orientali.* Nonnulli putant melius vocari posse: « S. C. pro Ritibus Orientalibus ».

Interim Sacram Purpuram osculans, quo par est obsequio me profiteor

Addictissimum in Christo famulum
Eminentiae Tuae Rev.mae

✠ ALBERTUS GORI, O. F. M.
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

3

EXC.MI P. D. IOSEPHI SENSI
Archiepiscopi Sardiani, Delegati Ap. in Ierusalem et in Palaestina

N. 3473/60 9 maggio 1960

Eminenza Reverendissima,

Non conosco le risposte date a suo tempo da questi Ecc.mi Vescovi (Gori, Gelat, Pasini, Capozzi, Assaf, Hakim) alla circolare dell'Eminenza Vostra Reverendissima N. 1 C/59-1694, non essendo esse passate per le mie mani. Non mi resta pertanto che di scrivere per mio conto.

Ecco quanto mi permetto di far presente, con intera e filiale franchezza.

Tra i numerosi argomenti che si potrebbero esaminare mi limito a indicare quelli suggeritimi dalla mia personale esperienza, fatta qui o nei miei precedenti posti.

Ad umile avviso del sottoscritto, sarebbe utile trattare i seguenti temi:

I. Chiesa,

II. Sacerdozio,

III. Apostolato,

IV. Laicato e apostolato dei laici,

considerandoli non soltanto negli aspetti teologici, ma anche in quelli pratici, per potere fornire soprattutto, oltre gli opportuni orientamenti dottrinali, stimolanti norme di apostolato e di vita cristiana.

Pur stimando superfluo entrare nei particolari, tengo tuttavia a menzionare i seguenti punti.

I. *Circa la Chiesa*

1. Parrebbe utile approfondire l'esame delle idee che i melchiti hanno sulla Chiesa, per vedere se non sia possibile, con l'autorità del futuro Concilio Ecumenico, togliere l'equivoco caro alla chiesa greco-cattolica, la quale si fa forte dell'apostolicità dei Patriarcati e dell'autorità dei Concili dei primi secoli, e in specie del Concilio di Calcedonia.

In breve: si può, nella presente congiuntura storica, concepire ancora la Chiesa Cattolica divisa, come al tempo dell'impero di Bisanzio, in due rami, uniti soltanto nella fede e nell'obbedienza al suo Capo Supremo, ma distinti e autonomi nel resto? Non è oggi anacronistico voler distinguere l'autorità del Pastore Supremo da quella del Patriarca dell'Occidente, per sottoporsi alla prima che — ammessa una tale distinzione — si eserciterebbe assai di rado, e rifiutare la seconda?

Questi melchiti sottolineano poi che la chiesa greco-cattolica e quella « ortodossa » sono due rami di una stessa chiesa, l'uno dei quali è unito con Roma e l'altro è separato, mentre la chiesa occidentale è un'altra chiesa, con la quale però la chiesa greco-cattolica è unita. La Chiesa Cattolica è perciò la risultante delle due chiese unite.

Questo modo di vedere alimenta una deprecabile confusione, dato che i melchiti sostengono che gli « ortodossi » (non la gerarchia bensì i fedeli) sono tali soltanto *materialiter* ma non *formaliter*. In conseguenza i melchiti ammettono correntemente ai santi sacramenti la gioventù « ortodossa » che frequenta le loro scuole e — se sono bene informato — non si adoperano di buon grado per eliminare le innegabili difficoltà occasionate dall'obbligo della forma del matrimonio, imposto — com'è noto — dal nuovo codice orientale, il quale ha reso invalidi i matrimoni misti, che sono celebrati tra cattolici e « ortodossi » dinanzi al ministro « ortodosso ». È difficile immaginare il fascino che la chiesa « ortodossa » esercita su quella melchita, che in essa si rispecchia.

L'osservatore che vive in questi paesi è in grado di rilevare che la causa principale dei mali che travagliano la chiesa melchita risiede nella qui sopra accennata concezione, la quale rende molto difficile alla Santa Sede di portare rimedio ai mali medesimi e frusta in larga misura la sua azione.

In conclusione: sembrerebbe desiderabile chiarire, non soltanto agli occhi degli orientali ma soprattutto a quelli degli occidentali che talvolta hanno al riguardo vedute confuse o troppo teoriche, quale sia la reale portata dell'espressione « chiesa orientale ».

Si tratta, cioè, soltanto del rito, dei costumi, dei privilegi e della disciplina orientali? Ovvero si può accettare anche il dualismo (Occidente-

Oriente) a cui i melchiti sono strenuamente attaccati, e l'autonomia che ne consegue?

Ho sentito esprimere da più parti il desiderio che la S. Congregazione per la Chiesa Orientale cambi il suo attuale nome con quello di S. Congregazione per i riti orientali.

2. Quanto poi ai privilegi dei Patriarchi orientali si potrebbe considerare l'opportunità di riconoscere loro anche quello di partecipare, con gli Em.mi Cardinali, all'elezione del Sommo Pontefice.

Sempre in merito alla Chiesa, si potrebbero inoltre esaminare i seguenti punti:

3. Le relazioni tra Chiesa e Stato (dottrina e pratica).

4. La comunicazione « in sacris » e la collaborazione con le chiese dissidenti, settore nel quale si fa strada una confusione sempre più grande e da molte parti si desidera una maggiore libertà d'iniziativa.

5. L'aggiornamento e la riorganizzazione della Curia Romana, per renderla più rispondente alle esigenze odierne e per rialzare il suo prestigio.

II. *Circa il Sacerdozio*

Precisare la natura, le funzioni e le attività proprie del sacerdote. Tra l'altro, insisterei in particolare sull'obbligo del sacerdote d'intensificare l'insegnamento religioso ai fedeli.

Circa il presente argomento desidererei attirare l'attenzione sui seguenti punti:

— Come evitare che i sacerdoti, spinti dal bisogno dei fedeli o da motivi umani, trascurino i loro obblighi essenziali ed esclusivi per dedicarsi ad un apostolato extrasacerdotale?

— Come porre fine al dilettantismo nelle attività promosse e dirette dal clero, sociali, assistenziali, caritative, ecc.?

— Come e da chi farlo aiutare o sostituire, in caso di bisogno, nelle attività di apostolato non strettamente sacerdotale? Da ecclesiastici di grado inferiore? Dai laici?

— Come rialzare maggiormente, di fatto, il livello e il prestigio del sacerdote?

— Come migliorarne la formazione spirituale, intellettuale e in particolare pastorale?

— È possibile ritardare l'età dell'ordinazione sacerdotale stabilita nel *C.I.C.?*

III. *Circa l'Apostolato*

Sembrerebbe utile precisare la natura dell'apostolato.

Ad esempio, cosa si deve pensare di un sacerdote membro di un Isti-

tuto Secolare le cui costituzioni l'obbligano ad astenersi dall'apostolato attivo, per limitare la sua azione alla cosidetta « présence », al cosidetto « témoignage »? Che dire poi se — come avviene a Gerusalemme — un tale sacerdote svolge, per giunta, il suo « témoignage » facendo l'infermiere in una clinica cattolica, tenuta da suore?

Per rendere maggiormente efficace l'apostolato delle religiose, sancire e sviluppare l'azione promossa dalla S. Congregazione dei Religiosi a favore delle Unioni Nazionali degli Ordini e delle Congregazioni Religiose.

In particolare, molte suore hanno oggi bisogno di una preparazione intellettuale più completa e di una istruzione religiosa più profonda, per divenire più valido strumento della Chiesa.

IV. *Circa il laicato e l'apostolato dei laici*

Determinare la natura del laico cattolico (santificato dalla fede e dal battesimo), la sua partecipazione al sacerdozio, i suoi obblighi nel campo dell'apostolato.

Stimolare e organizzare sistematicamente, in maniera consona e adeguata alle esigenze della nostra epoca, l'apostolato dei laici, come ausiliari del sacerdote, preparandoli in modo particolare per gli ambienti scristianizzati, specie dove la presenza del sacerdote è impossibile o inopportuna o inefficace.

Curare con grande impegno l'istruzione religiosa del laicato, per portarla allo stesso livello della cultura generale e profana, e la sua formazione liturgica, facendone un mezzo efficace di difesa contro il laicismo, il materialismo e l'edonismo che pervadono sempre più, in maniera subdola e sottile, la società moderna.

Chinato al bacio della s. porpora, ho l'onore di professarmi con la più profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo, dev.mo e obbl.mo servitore

✠ Giuseppe Sensi
Arcivescovo tit. di Sardi
Delegato Apostolico

4

EXC.MI P. D. VINCENTII GELAT

Episcopi tit. Menoidensis
Auxiliaris Patriarchae Hierosolymitani Latinorum

Hierosolymis, die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Iuxta desiderium Eminentiae Vestrae Reverendissimae expressum litteris datis die 18 iunii 1959 numero 1 C/59-2224 circa animadversiones et vota respectu futuri Concilii Oecumenici, humiliter audeo exponere quae sequuntur:

a) In universo Orbe magna certo laetitia exorta est propter nuntium futuri Concilii Oecumenici, praesertim ratione desiderii Unitatis populi Christiani; sed non omnes aequaliter intelligunt modum talis Unitatis:

Aliqui putant talem unitatem obtineri per compromissum, non intelligentes substantialem conditionem Constitutionis Ecclesiae esse unam Fidem, unum Ovile et unum Pastorem.

In Oriente nonnulli arbitrantur talem Unitatem sufficienter obtineri posse per conformationem in celebratione festorum, praetermittendo disceptationes dogmaticas.

Magna difficultas contra Unionem oritur ex timore Ecclesiasticae disciplinae, necnon e spiritu libertatis et independentiae. Immo apud ipsos acatholicos, eorum unitas subdivisa est in varias provincias ecclesiasticas inter se independentes et autocephalas.

Nonnulli forsitan cupiunt occasionem Concilii sumere ad criminationes renovandas contra Ecclesiam.

Quare iuxta admonitionem Summi Pontificis, Concilium Oecumenicum agere deberet praecipue de restauratione fervoris et disciplinae intra ipsam Ecclesiam, ratione habita mutationum generis vitae.

b) Magna difficultas in Oriente oritur propter matrimonia mixta, et nullitatem matrimonii celebrati a catholicis apud ministrum acatholicum, praesertim in locis ubi catholici sunt minoris numeri et sunt colligati cum aliis familiis ratione eiusdem originis.

c) Usus linguae vernaculae in administratione sacramentorum utilis est, sub conditione tamen limitationis; animadvertendo ne pereat con-

formitas cum aliis regionibus. Rituale adhibitum in Gallia praebet utile exemplum, cum aliqua modificatione.

d) Restringenda nimia libertas in habitu ecclesiastico nisi in evidenti necessitate; et hoc praesertim in Oriente.

Attamen praedictae animadversiones non excludunt alias exhibitas ab Excellentissimo D. D. Patriarcha Hierosolymitano, quae nonnulla optata Dioecesis exprimunt.

Interim humillime et cum omni reverentia Sacram Purpuram Eminentissimi Domini deosculor.

Dev.mus in Christo
✠ VINCENTIUS GELAT
Episcopus tit. Menoidensis
Auxiliaris et Vicarius Generalis
Patriarchatus Hierosolymitani Latinorum

R. A. U.

(SYRIA)

1

EXC.MI P. D. FRANCISCI AYOUB

Archiepiscopi Aleppensis Maronitarum (Alep)

Alep le 13 octobre 1959

Eminence Illustrissime et Révérendissime,

Je regrette que ma réponse à votre honorée du 18 juin écoulé ne vous parvienne pas, comme vous le souhaitiez avant le premier septembre. Quoiqu'en retard, je me fais un devoir de vous soumettre les vœux envoyés ci-joint et réunis sous trois rubriques: liturgie, discipline, orthodoxes.

A ces vœux je joins personnellement et conjointement avec mes prêtres et mes fidèles les prières qui attirent sur la commission les bénédictions et les lumières du Très-Haut, sollicitant du Cœur amoureux de Notre-Seigneur de vouloir bien rapprocher les cœurs de tous les chrétiens, et de réaliser son vœu: un seul troupeau et un seul pasteur.

Agréez mes vœux respectueux en Nostre-Seigneur.

✠ FRANÇOIS AYOUB
Archevêque Maronite
d'Alep
Administ. Apostol. de Lattaquié

Liturgie

En vue de rétablir la liturgie dans son rôle de pédagogue du peuple chrétien, et de faciliter aux fidèles une participation bienfaisante à ses différentes expressions:

— favoriser un renouveau liturgique en Orient analogue à celui qui se fait en Occident,

— enseigner méthodiquement et d'une manière vivante la liturgie dans les séminaires et les noviciats,

— vulgariser ces mêmes études dans les paroisses et dans la presse,

— adapter la langue vivante du pays à la messe, au bréviaire et

aux autres cérémonies liturgiques. (Dans certaines communautés, il y a une incompréhension totale de la langue liturgique chez les fidèles, et très croissante chez les clercs).

Discipline

La multiplicité de juridiction pour les catholiques résidant sur le même territoire en Orient, grossie de celle établie pour les acatholiques, est souvent source de faiblesse, de concurrence, de désaccord, de scandale et de recul pour la foi chrétienne.

Ainsi avons-nous:

a) Deux patriarches-cardinaux à Beyrouth, et à quelques kilomètres de cette ville un troisième patriarche à Bkerké. Les autres catholiques et les acatholiques de différents rites relèvent dans le même pays d'autres patriarches qui vivent ou passent de temps en temps dans le pays.

b) A un degré moindre de la Hiérarchie, six iuridictions différentes pour les catholiques d'Alep et cinq parallèles pour les acatholiques, avec 4 hiérarques catholiques (ils étaient 5) et 3 acatholiques pour une population chrétienne atteignant 100.000 fidèles à Alep.

Il est à souhaiter:

1) l'unification de la hiérarchie patriarcale en Orient, de sorte qu'un seul patriarche soit le chef exclusif des catholiques dans un groupe d'états ou au moins pour tout un état.

2) la réduction à un seul du nombre des hiérarques dans chaque localité, même s'il y a plusieurs rites différents.

3) le réajustement de l'administration ecclésiastique conformément aux nécessités géographiques et sociales actuelles (celle du diocèse aux circonscriptions civiles, les paroisses aux groupements humains et au centre vital commun).

4) la collaboration plus étroite, et sous l'autorité du hiérarque, entre les deux clergés séculier et régulier, et les religieuses travaillant sur le même territoire.

5) tout en mettant à contribution l'action catholique et tout apostolat des laïcs, et tout en utilisant judicieusement les moyens modernes: presse, cinéma, radio, télévision, l'harmonisation des différentes organisations d'apostolat, toujours sous l'autorité du hiérarque, de façon à maintenir l'unité d'objectif de la communauté, sans que les buts particuliers de ces organismes prévalent sur l'objectif commun.

6) dans l'esprit de l'encyclique « Fidei Donum » pour l'Afrique, une réalisation analogue pour l'Orient, de sorte que les diocèses mieux

équipés en compétence, en personnel ou en argent prennent en charge les diocèses qui en sont moins pourvus.

7) un dialogue plus confiant et plus fréquent entre le Saint-Siège et la Hiérarchie locale; le Saint-Siège se croit suffisamment documenté parce que lui communiquent ses représentants officiels, et se dispense de demander les renseignements à la hiérarchie, mieux placée pour déchiffrer une situation, et donner un avis réaliste. Aussi, voit-ou une disposition prise par un représentant officiel du Saint-Siège diamétralement contrefaite par son successeur immédiat. Aussi certaines mesures regrettables sont-elles prises par le Saint-Siège, au vu de la hiérarchie locale qui en souffre parce qu'elle voit qu'elles sont désavantageuses et pour la cause chrétienne et pour le Saint-Siège lui-même.

Les problèmes d'église se traitaient dans des conciles, dans des congrès ou autres sortes d'asseblées générales, tandis que l'état civil n'en avait nullement cure; à présent, les états sentent le besoins des rencontres pour les décisions à prendre. Il est tout indiqué que l'Eglise garde sa tradition d'echanges de vue et de tractations avec les intéressés et les responsables locaux.

Orthodoxes

L'annoce faite par Sa Sainteté Jean XXIII de l'union qu'il entend faire entre tous les chrétiens a créé un enthousiasme général, plus sensible peut-être chez les acatholiques que chez les catholiques eux-mêmes. Le Saint-Esprit remue les âmes; il éclairera les esprits; nous espérons qu'il unira même les cœurs.

Il est de toute nécessité que l'Eglise Catholique relâche tout ce qui est de droit non divin, et pourrait empêcher, retarder cette union ou y nuire. Aussi me permettè-je de proposer les moyens suivants:

1) *en faveur des évêques*:

— continuer le Concile du Vatican pour la partie qui concerne le pouvoir des évêques, en corrélation avec celui du Souverain Pontife. Une mise au point en ce sens disposera beaucoup les évêques acatholiques en faveur de l'union.

— reconnaître aux évêques orthodoxes les valeurs chrétiennes conservées dans leurs églises qui gardent comme l'Eglise Catholique les sept sacrements et le sacerdoce.

2) *en faveur des clercs*:

— encourager les institutions catholiques à ouvrir des séminaires aux orthodoxes, à l'exemple de l'Université de Strasbourg où une pépinière de prêtres orthodoxes roumains ont fait autrefois leurs étu-

des et ont reçu leur formation par les soins de Mgr Dib (actuellement évêque maronite du Caire).

— admettre dans nos séminaires catholiques certains candidats au sacerdoce, choisis parmis les fidèles orthodoxes.

3) *en faveur des fidèles acatholiques*:

— traitement privilégié des orthodoxes, et différent de celui des protestants qui n'ont plus le sacerdoce et qui n'ont pas conservé dans leur église tous les sacrements.

— suppression de toute expression qui blesserait les sentiments des acatholiques.

— admission des acatholiques dans l'église catholique sans leur imposer une abjuration humiliante, mais se contenter d'une adhésion générale à la doctrine catholique, et reconnaître pour telle le fait de les voir demander à s'affilier à l'église de tel rite catholique.

— admission des acatholiques dans les œuvres catholiques en les autorisant aussi à devenir témoins dans le mariage et parrains dans les baptêmes des catholiques.

— distribution des sacrements aux orthodoxes qui les demandent sous des conditions réalisables. (Le Saint-Siège a déjà autorisé avec discrétion et sous certaines conditions l'admission des élèves aux sacrements de la Pénitence et de l'Eucharistie).

— entente avec les acatholiques sur la célébration à la même date de la fête de Pâques et de Noël; la répercussion d'une pareille réussite dans la mentalité du peuple est d'une portée inouie; pour certains elle exprime par elle-même l'union des chrétiens, dans un pays à majorité musulmane où les musulmans célèbrent tous ensemble leurs fêtes annuelles au coup de canon.

— solution à trouver pour la validité au moins, du mariage mixte célébré chez les orthodoxes; il est à prévoir cependant les précautions à prendre pour obvier à l'obstacle sérieux du divorce. (Il semble établi que le nombre des mariages mixtes invalides pour vice de forme est de beaucoup supérieur aux mariages mixtes aboutissant à un divorce).

— obligation, ou au moins licence aux fidèles catholiques d'assister à la messe chez les orthodoxes, là où il n'y a pas d'église catholique.

4) *en faveur du rapprochement entre les catholiques et les acatholiques*:

— éviter toute discussion oiseuse, surtout dans la presse, et s'abstenir de toute polémique qui ravive les discussions passées.

— s'intéresser aux élèves acatholiques et à leurs parents par le biais des écoles (Le Bulletin d'Orientations Œcuméniques, paraissant à Beyrouth, n. 1 de mai-juin 1959, à la page 33, recense l'ouvrage, probablement fait en grec, du P. Grégoriou: « Relations entre catholiques et orthodoxes » selon lequel au 17e et 18e s. des relations spirituelles et ecclésiastiques très étroites liaient les 2 communautés jusqu'à ne tenir aucun compte de la « communicatio in sacris »).

— contacts plus immédiats entre théologiens catholiques sûrs et theologiens acatholiques bien intentionnés en vue de se ressources à la tradition commune.

— choix d'intermédiaires catholiques de doctrine solide et de vue large, pour contacter les chefs des églises acatholiques, et principalement les laïcs acatholiques qui ont leur influence dans ces églises, pour préparer les voies du retour.

✠ François Ayoub
Archevêque Maronite
d'Alep
Administ. Apostol. de Lattaquié

2

B. P. D. MAXIMI IV SAIGH

Patriarchae Antiocheni Melchitarum

Una cum eo responsum dederunt:

Exc.mus P. D. GEORGIUS HAKIM, *Episcopus Ptolomaidensis* (Akka).

Exc.mus P. D. ISIDORUS FATTAL, *Archiepiscopus Aleppensis Melchitarum* (Alep).

Exc.mus P. D. IOSEPH MAALOUF, *Episcopus Heliopolitanus Melchitarum* (Baalbeck).

Exc.mus P. D. PHILIPPUS NABAA, *Archiepiscopus Berytensis et Gibailensis Melchitarum* (Bairut e Gibail).

Exc.mus P. D. ATHANASIUS EL-CHAER, *Episcopus Paneadensis* (Baniyas).

Exc.mus P. D. PETRUS CHAMI, *Archiepiscopus Bostrenus et Auranensis* (Bosra e Hauran).

Exc.mus P. D. ATHANASIUS TOUTOUNGY, *Archiepiscopus Hemesenus Melchitarum* (Homs).

EXC.MUS P. D. MICHAEL ASSAF, *Archiepiscopus Petensis et Philadelphiensis* (Petra - Filadelfia).

EXC.MUS P. D. BASILIUS KHOURY, *Episcopus Sidoniensis Melchitarum* (Saida).

EXC.MUS P. D. AGAPIOS S. NAOUM, *Archiepiscopus Tyrensis Melchitarum* (Tyr).

EXC.MUS P. D. EFTIMIOS YOUAKIM, *Episcopus Mariamnensis* (Zahleh - Furzol).

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FARAGE, *Archiepiscopus tit. Laodicenus Melchitarum, Consiliarius Patriarchalis Antiocheni Melchitarum.*

EXC.MUS P. D. PETRUS MEDAWAR, *Archiepiscopus tit. Pelusitanus Melchitarum, Auxiliaris Patriachalis Antiocheni Melchitarum.*

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS KFOURY, *Archiepiscopus tit. Tarsensis Melchitarum, Consiliarius Patriarchalis Antiocheni Melchitarum.*

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBI, *Archiepiscopus de Nubia, Vicarius Patriarchalis Antiocheni Melchitarum.*

REV.MUS P. D. SABA YOUAKIM, *Archimandrita Ordinis Basiliani Ss.mi Salvatoris Melchitarum.*

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS FARAH, *Archimandrita Ordinis Basiliani S. Ioannis Baptistae.*

REV.MUS P. D. AMBROSIUS KASSIS, *Archimandrita Ordinis Basiliani Aleppensis Melchitarum.*

REV.MUS P. D. PAULUS ACHKAR, *Superior Gen. Societatis Missionariorum S. Pauli.*

Ain-Traz, le 29 août 1959

Eminence Révérendissime,

Nous, signataires de cette lettre: Patriarche, Evêques et Supérieurs Généraux de l'Eglise Grecque Melkite Catholique, avons l'honneur d'accuser réception de la circulaire de la Commission antépréparatoire au Concile Œcuménique, en date du 18 juin 1959.

Dans cette circulaire, Votre Eminence, en sa qualité de Président de la dite Commission, nous demandait de lui communiquer en toute liberté et en toute franchise les remarques, les conseils et les vœux que la sollicitude pastorale et le zèle des âmes nous auront suggérés à propos des questions qui sont susceptibles d'être traitées au futur Concile.

Après mûre réflexion et une discrète information auprès des ecclésiastiques avisés et prudents de notre entourage, nous avons formulé les remarques, exprimé les vœux et suggéré les propositions qui nous paru de nature à faire rendre au prochain Concile, avec la grâce de Dieu, les meilleurs fruits spirituels, tels que les souhaite le grand cœur de notre Saint Père le Pape et, avec lui, toute l'Eglise.

Cependant, nous avons cru plus utile de mettre en commun nos suggestions et d'en conférer entre nous avant de vous les soumettre en notre nom collectif. C'est ce que nous avons fait au cours du synode annuel que nous avons tenu à la Résidence Patriarcale d'Aïn-Traz (Liban) du 24 au 29 août 1959. Et c'est le résultat de ces délibérations synodales que nous avons l'honneur de vous faire parvenir, comme étant le résumé des remarques, conseils et vœux de chacun de nous pour le futur Concile Œcuménique.

Nous avons estimé bon de les grouper en deux notes annexées à cette lettre: la première, vu l'importance du sujet pour toute l'Eglise et pour nous en particulier, traite du « Rapprochement avec les Orthodoxes »; la seconde reproduit les suggestions que nous nous permettons de soumettre concernant les autres matières susceptibles d'être proposées au Concile Œcuménique.

Veuillez agréer, Eminence Révérendissime, l'hommage de notre profond et religieux respect.

✠ MAXIMUS IV SAÏGH
Patriarche Grec-Melkite Catholique d'Antioche et de tout l'Orient, d'Alexandrie et de Jérusalem

ANNEXE I

Rapprochement avec les Orthodoxes

Notre Eglise Grecque-Melkite Catholique estime que sa mission principale est de travailler à l'unité chrétienne et, plus particulièrement, à rapprocher du Saint-Siège Romain nos frères orthodoxes.

Aussi estimons-nous que parmi les travaux du prochain Concile Œcuménique, ceux qui doivent le plus retenir notre attention et la sienne sont précisément ceux qui se proposent de préparer la restauration de l'unité chrétienne. C'est d'ailleurs sur ce point que notre apport au Concile sera, croyons-nous, le plus appréciable, car, malgré notre petit nombre, nous représentons en ses racines, dans la catholicité actuelle, la grande chrétienté orientale apostolique, dont la majeure partie est encore aujourd'hui malheureusement hors de la communion romaine.

Or c'est un fait indéniable et constaté par une longue expérience que depuis la séparation entre l'Orient et l'Occident, et surtout durant les deux derniers siècles, le comportement des dirigeants de l'Eglise Occidentale Catholique, malgré la pureté de leurs intentions et la sainteté de leur personne, n'a fait qu'augmenter l'éloignement des Orthodoxes, approfondir le fossé du schisme, durcir les positions. On s'en rend rarement compte en Occident, et l'on y est facilement porté à accuser les Orientaux d'en être la cause. Mais nous, les Grecs-Catholiques, qui sentons et éprouvons tous les contre-coups des heurts latino-orthodoxes, nous nous devons de signaler la chose au Concile Œcuménique, en indiquant ouvertement la principale cause du mal et en proposant les remèdes appropriés.

1. *La principale cause du mal* est, nous semble-t-il, la tendance de la plupart des théologiens et canonistes latins à concentrer toute l'autorité confiée par le Christ à son Eglise dans la seule personne du Souverain Pontife, à faire de lui la source de tout pouvoir et, par voie de conséquence, à donner des pouvoirs démesurément centralisateurs et pratiquement souverains à la Curie Romaine qui agit en son nom. Sous cette perspective, il leur est difficile de voir dans le pouvoir apostolique des Patriarches et des Evêques autre chose qu'une délégation pure et simple de l'autorité suprême du Pape, limitable et révocable à volonté. De la sorte le Pape, le Père des chrétiens, est devenu, en chrétienté actuellement dissidente de sa communion, un personnage défiguré, accusé par les non-catholiques d'orgueil insatiable et d'ambition humaine, souvent antipathique, quoi qu'il en soit du charme de sa personne, de ses qualités humaines et de sa sainteté éminente.

La législation du droit canon et l'ecclésiologie influent l'une sur l'autre dans ce domaine, et donnent naissance à des thèses et à des mesures de gouvernement de plus en plus centralisées qui, devant l'autorité du Pape, — c'est-à-dire, en fait, de la Curie Romaine —, font disparaître toute autorité dans l'Eglise.

La première chose à faire sera donc de reprendre et de parachever sur ce point l'œuvre du Concile du Vatican suspendu en 1870. Il avait défini les pouvois du Souverain Pontife, mais n'avait pas eu le temps de définir la nature et les pouvoirs de l'épiscopat. Or, la hiérarchie instituée par Notre-Seigneur repose sur les Douze avec la primauté de Pierre. Il est indispensable, au point de vue de l'union des Orthodoxes — et de la paix intime des Catholiques aussi — que le pouvoir de Pierre soit « équilibré » par celui des Douze.

Telle est, nous semble-t-il, au point de vue dogmatique, la principale œuvre à accomplir par le Concile.

En outre, le prochain Concile devra, nous semble-t-il, mettre un frein désormais au zèle excessif qui pousse certains groupes ou certains individus à « faire des campagnes » dans l'Eglise pour que le Pape prononce de plus en plus des définitions dogmatiques dans des matières iusque-là libres, ce qui a pour effet de susciter par réaction une tendance doctrinale contraire chez les autres Chrétiens, les éloignant encore davantage d'une possibilité d'union autour du Saint-Siège de Rome.

2. *Création d'une commission spéciale pour travailler à l'unité de l'Eglise.*

Le travail de préparation de cette section du Concile sera sûrement confié à une commission spéciale.

a) *Composition.* Cette commission ne devra pas être recrutée, nous semble-t-il, uniquement parmi les théologiens et les canonistes de la « tendance centralisatrice » qui dominent dans les Dicastères de la Curie Romaine et les Universités Pontificales où, théoriquement et pratiquement, chacun croit bien faire en renchérissant sur l'autre au point de vue de la concentration des pouvoirs dans la Curie. La commission dont il s'agit devra comprendre aussi des gens de l'autre bord, c'est-à-dire des gens qui comprennent la mentalité chrétienne apostolique de l'Orient, qui saisissent ses réflexes et reconnaissent ce qu'ils ont de bon et de juste, des gens qui se rendent compte de l'impression que les paroles et les gentes du Saint-Siège Romain peuvent produire sur les Orientaux. Les théologiens de cette catégorie ne sont pas nombreux; mais, Dieu merci, il y en a et de plus en plus. S'il nous était demandé d'en signaler quelques-uns et de suggérer qu'ils soient désignés comme membres de la dite commission, nous le ferions volontiers.

b) *Contacts orthodoxes.* Cette commission ne devra pas restreindre son travail à l'étude spéculative des pouvoirs de l'épiscopat et à leur formulation canonique. Sans crainte, elle devra — toute entière ou quelques-uns de ses membres formant un sous-comité — se mettre en rapport avec des représentants de l'Orthodoxie, prélats et théologiens scientifiquement qualifiés, peut-être même officiellement désignés par leur hiérarchie, pour étudier ensemble ces questions dans la vérité et la charité, rapprocher les points de vue qui souvent ne sont pas contraires mais complémentaires. Cette entrée en contact avec les Orthodoxes est indispensable. Par « Orthodoxes » nous entendons naturellement les Orthodoxes des patriarcats et des autres autocéphalies; mais rien n'empêche de s'aboucher avec les autres Eglises qui se disent aussi orthodoxes: l'arménienne, la copte, la syriaque; on sait d'ailleurs que leur « monophysisme », ou, chez les Assyriens, leur « Nestorianisme », est considéré de plus en plus comme simplement verbal.

c) *Urgence.* Nous insistons sur la nécessité de former de suite la commission dont il s'agit pour deux motifs:

1) Etant donné qu'au point de vue de la restauration de l'unité, la rencontre avec les Orthodoxes est indispensable, la formation de cette commission et son habilitation à les contacter semblent être le meilleur moyen d'entrer en rapport avec eux; car il résulte des premières réactions que, dans les conditions actuelles de la chrétienté, il semble qu'il n'y aura ni convocation officielle de la part du Pape aux Orthodoxes pour participer au Concile, ni réponse orthodoxe possible à une telle convocation. Il ne reste que la ressource proposée: une commission qui assurerait officieusement les contacts nécessaires.

d) *Maintien.*

2) On peut espérer que les services de cette « commission » seront tels que le Saint Père en décide, même après la fin du Concile, le maintien comme une institution permanente pour le contact avec les Eglises Séparées. Elle pourrait même devenir un des sacrés dicastères romains, auquel il sera imparti de s'occuper de tout ce qui touche à l'œcuménisme, de poursuivre avec constance la réforme de tout ce qui, sans porter atteinte au dogme, à la morale où à la discipline catholiques, prête à critique dans les comportements catholiques vis-à-vis des autres chrétiens, dans le langage et dans les actes. De cette façon, l'Eglise catholique prendra, comme c'est le souhait universel, la tête d'un vrai œcuménisme catholique.

La primauté de Pierre, la primauté infaillible, est une grande grâce, un charisme placé par Dieu dans son Eglise non pour l'avantage de quelques-uns ni des seuls Catholiques, mais de tous les Chrétiens: Orthodoxes et Protestants compris. Tous ces Chrétiens *ont le droit* de profiter de ce charisme. Or, il y a des obstacles qui les empêchent de le voir et d'arriver à lui, obstacles placés soit par eux-mêmes soit par nous autres Catholiques. Il faut que, en qui nous concerne, nous commencions par enlever les obstacles provenant de nous, sans attendre que les autres commencent. Cette œuvre fera partie des compétences de la commission proposée.

ANNEXE II

I. *Questions dogmatiques*

1. En vue de préparer progressivement l'unité chrétienne et afin de ne pas priver certaines âmes de bonne foi des avantages de la communion ecclésiastique, nous proposons *que l'Eglise Catholique assouplisse sa législation actuelle en matière de* communicatio in sacris, *toutes les*

fois que celle-ci ne comporte pas nécessairement la négation de la vérité catholique ou un scandale pour les chrétiens. Nous remarquons à ce sujet que, dans les temps actuels et surtout dans nos pays, ce qui scandalise les fidèles, c'est moins la participation des catholiques à certaines cérémonies des Orthodoxes que leus refus d'y participer. Il n'est pas permis, nous sembre-t-il, de traiter de la même façon les « acatholiques » infidèles et les « acatholiques » chrétiens, surtout s'ils sont ortrodoxes.

2. Certains mouvements, partis ou sectes, à l'endroit desquels l'Eglise s'était jadis prononcée, ont revêtu de nouvelles formes de nature à tromper les esprits. Aussi estimons-nous utile *que l'Eglise fixe à nouveau sa position à leur égard,* de manière que les pasteurs d'âme soient munis des documents officiels nécessaires, convenablement mis à jour. Nous pensons en particulier aux doctrines et organisations suivantes: communisme, franc-maçonnerie, racisme, nazisme, fascisme, capitalisme extrêmiste, etc.

3. *L'enseignement de la philosophie et de la théologie* dans nos Grands Séminaires et nos Facultés cléricales devrait réserver une place plus large à la doctrine des Pères de l'Eglise et aux théories philosophique modernes.

II. *Questions Pastorales*

4. Notre siècle est victime du matérialisme athée, de la course effrénée au plaisir et de l'indifférence religieuse. Les enfants et les jeunes gens sont élevés, selon cet esprit, dans des établissements scolaires areligieux, laïques ou athées; la classe ouvrière perd l'esprit de foi et rompt de plus en plus avec l'Eglise. Aussi conviendrait-il *de revoir nos méthodes d'apostolat,* de rétablir le contact avec les jeunes et les ouvriers, soit par le moyen de l'enseignement religieux, soit par le moyen de l'Action Catholique, à laquelle l'Eglise devrait octroyer une forme officielle et canonique, soit en encourageant les vocations sacerdotales, soit par le moyen de la presse, du cinéma, de la radio, de la télévision, etc.

5. Notre siècle souffre d'une *crise de vocations sacerdotales* et de la pénurie de missionnaires, en particulier dans certaines parties du monde, comme en Amérique du Sud, en Afrique et en Asie. Pour remédier à cet état de choses, ne serait-il pas opportun de reétudier à la lumière du véritable bien de l'Eglise et de son développement surtout en pays de mission la question du mariage des prêtres? Au choc que suscite cette idée de prime abord succède peut-être un état de plus de compréhension. Il serait nécessaire aussi de prendre des mesures efficaces pour encourager les vocations sacerdotales et parer à l'isolement

moral et à la détresse matérielle dont souffrent, en particulier, les prêtres de campagne.

III. *Questions Liturgiques*

6. Nous souhaitons *que les prières et les cérémonies liturgiques, tout en restant le plus possible fidèles à la tradition des Pères, puissent évoluer normalement,* comme toute expression de vie, de manière d'être comprises de tous les fidèles et vécues par eux; certains rites ont besoin d'être abrégés et variés; d'autres pourraient être utilement revus quant à l'expression plus exacte des vérités qu'il contiennent. Tous devraient être célébrés dans la langue du peuple. En ce qui concerne les Eglises orientales, cette évolution devrait se faire de manière, cependant, à ne pas accentuer les différences qui nous séparent de nos frères orthodoxes et, si possible, de concert avec eux.

IV. *Questions disciplinaires*

7. *Unification de la date de Pâques.* – La réforme du Calendrier prescrite par le Pape Grégoire XIII en 1582, et qui n'a pas encore été adoptée par les Eglises Orientales non unies à Rome pour ce qui concerne la date de Pâques, fait que les chrétiens en Orient ne célèbrent que rarement ensemble cette « Grande Fête », ce mémorial de la « Résurrection du Christ, fondement de notre foi », ce symbole de notre unité. Ainsi d'après le calendrier ecclésiastique des quinze prochaines années, de 1960 à 1975, nous n'aurons la joie de la célébrer ensemble que trois fois (1960, 1963, 1974); quatre fois il y aura entre nous une différence de 35 jours (1964, 1967, 1970, 1975); les huit autres fois, la différence sera de sept jours.

En Occident (Europe, Amérique) et dans les pays où les chrétiens sont surtout catholiques et protestants (Afrique, Asie, Océanie), on ne se rend pas compte de l'importance de la chose. Mais dans tout l'Orient, et partout dans le monde où il y a des minorités orthodoxes, les chrétiens souffrent péniblement de cette situation, tant au point de vue religieux qu'au point de vue social.

En effet, dans tous ces pays, il n'y a pas de cloison étanche entre les diverses communautés chrétiennes: de très nombreuses familles sont mixtes;de très nombreuses familles comptent une branche catholique et une branche orthodoxe; toutes les familles entretiennent entre elles des rapports sociaux d'amitié, de voisignage, d'affaires. Chez les Orientaux, la Fête de Pâques revêt une importance tout particulière, tant aux yeux des chrétiens que de leurs concitoyens musulmans, qui, à cette occasion,

viennent les visiter et leur présenter des félicitations.. Que l'on veuille bien penser à la peine profonde que les chrétiens ressentent à cette occasion, laquelle ne devrait être en principe qu'une occasion de joie intérieure et extérieure! Que l'on veuille bien penser à tous les sarcasmes dons les chrétiens sont l'objet de la part des autres: « Tandis que les uns Le ressuscitent, disent-ils, les autres L'enterrent »! Et tous les gens ne sont pas des savants ou des hommes cultivé pour ne voir dans cette différence de calendrier qu'une question de calculs astronomiques. Les musulmans y voient une des tares irrémédiables du christianisme, voué à la division; les chrétiens moyens — la majorité — y voient un effet de l'entêtement et du mauvais vouloir des chefs ecclésiastiques. Et chaque année c'est la même rengaine et les mêmes plaintes qui sont répétées sur tous les tons.

Plus que jamais, dans l'Orient Arabe, les chrétiens sentent le besoin de s'unir, au moins dans les choses extérieures, en attendant une unité plus complète et plus profonde. Ce besoin d'unifier la date de Pâques est tellement grand que lorsque S. S. la Pape Jean XXIII a annoncé son intention de réunir un concile œcuménique, l'ensemble du bon peuple chrétien de toutes les confessions a pensé que ce concile aura principalement pour but de fixer une date commune pour la « Grande Fête » de tous les Chrétiens!

Du temps de la Société des Nations à Genève, on avait étudié divers projets de réforme du calendrier. Ce qui nous intéresse, c'est la date de Pâques. Or, parmi les dits projets, il y en avait un qui proposait la fixation de la fête de Pâques au 2e Dimanche d'Avril. Ce projet avait recueilli l'adhésion de principe de l'Eglise Catholique, des Protestants et des Eglises Orthodoxes. Mais les évènements politiques de l'époque, notamment la guerre de 1939-1945 et les perturbations qu'elle avait apportées dans le monde et qui ont fait disparaître la S.D.N. de Genève, ont fait perdre de vue la réforme du calendrier pascal.

C'est pourquoi nous suggérons la constitution à Rome d'une petite commission de quelques spécialistes pour étudier techniquement la question et entreprendre de suite des contacts avec les Eglises Orthodoxes à ce propos. Ces contacts sont absolument nécessaires; ils doivent être poursuivis avec persévérance et charité jusqu'à ce qu'ils aboutissent. Il se peut qu'ils arrivent à un accord qui serait mis en vigueur avant même la réunion du Concile œcuménique.

8. Nous proposons une *révision des parties, déjà publiées ou à publier, du futur Code de droit canonique oriental avant sa promulgation définitive*. Cette révision, dans laquelle les Eglises orientales elles-mêmes devraient être mieux représentées et davantage écoutées, se fe-

rait dans le sens d'une plus grande fidélité aux authentiques traditions de l'Orient chrétien, sans exclure l'opportunité d'opérer des retouches tendant à simplifier et à alléger le droit ancien. Nous pensons en particulier au droit matrimonial et à la nécessité qu'il y a, pour nos pays d'Orient, à reconnaître la validité des mariages mixtes contractés devant l'autorité orthodoxe. *C'est un point très important* sur lequel notre Patriarcat et les Evêques réunis en synode ont fréquemment entretenu le Saint-Siège Romain, corroborant leurs propositions par des arguments de fait qui leur paraissent décisif.

9. *L'élection du Souverain Pontife* devrait, nous semble-t-il, se faire sur des *bases plus larges*. Pour confirmer la catholicité effective de l'Eglise, et vu les pouvoirs centralisateurs que le Pape assume d'une façon ordinaire dans toute l'Eglise, nous proposons que les Patriarches orientaux participent désormais à son élection. Nous serions heureux aussi que cette élection soit faite par un nombre encore plus grand d'électeurs, représentant davantage toutes les Eglises du monde catholique.

10. *La représentation pontificale dans le monde,* qu'elle soit de caractère diplomatique ou simplement religieux, devrait être soumise à une révision sérieuse, de manière à éviter que les représentants pontificaux ne se transforment de lait en « sur-évêques » gouvernant, au nom du Pape, les diocèses du monde entier, et que leur choix ne soit pas plus ou moins réservé à une nation chrétienne au détriment des autres. Nous souhaiterions aussi que des Orientaux puissent être appelée à rendre de tels services à l'Eglise.

181. Nous proposons que le Saint-Siège opère une *réforme de la Curie Romaine,* dans le sens d'une nette décentralisation des pouvoirs et d'une réelle catholicité (= internationalisme) de ceux qui la composent. La centralisation excessive et sans cesse grandissante est un des principaux griefs des non-catholiques — et des catholiques eux-mêmes — contre l'autorité pontificale.

12. Le Concile Général devrait, croyons-nous, reaffirmer solennellement les déclarations des précédents conciles œcuméniques et les promesses formelles des Papes relativement aux *droits et privilèges des Eglises orientales.* Il n'est pas possible que les conciles œcuméniques et les Papes, — promettant aux Orientaux qui feraient l'union avec l'Eglise Romaine de respecter et de protéger le rang qu'ils occupaient dans l'Eglise, les droits et les privilèges de leurs Patriarches et évêques, le rite et la discipline qui leur est propre, — soient rendus de fait illogiques avec leurs déclarations et infidèles à leurs promesses. Avec de tels précédents, qui mettent en doute l'honnêteté de la partie catholique,

il n'est pas possible d'espérer traiter fructueusement du retour à l'unité catholique avec nos frères désunis. Nous pensons en particulier aux trois points suivants:

a) *Le rang des Patriarches d'Orient dans la hiérarchie catholique*: ce rang, tel qu'il fut fixé dans les conciles œcuméniques et tel que les Papes ont promis de le respecter, place les Patriarches d'Orient immédiatement après le Souverain Pontife Romain; il n'est donc pas permis, par respect pour l'autorité des conciles œcuméniques et pour les promesses formelles des Papes, comme aussi dans l'intérêt même de l'Eglise Catholique et des efforts pour la restauration de l'unité chrétienne, qu'on fasse précéder sur eux tous les Cardinaux et tous les représentants du Saint-Siège Romain, même s'ils ne sont pas légats « a latere » et même s'ils sont de simples prêtres. L'ordre de préséance dans l'Eglise catholique devrait rester ce qu'il a toujours été: le Pape de Rome en premier lieu; viennent ensuite les Patriarches orientaux effectifs — non les patriarches titulaires — de Constantinople, d'Alexandrie, d'Antioche et de Jérusalem.

b) *Les pouvoirs des Patriarches orientaux*. Le nouveau droit canonique oriental, promulgué par le Saint-Siège Romain, ne respecte pas les prérogatives de l'institution patriarcale et soumet l'exercice de la plupart des pouvoirs patriarcaux è des autorisations préalables ou subséquentes, humiliantes et inutiles, de la Curie Romaine.

c) *La sauvegarde des Eglises orientales*. Le Saint-Siège Romain devrait prendre les mesures efficaces pour empêcher la latinisation de l'Orient par des missionnaires occidentaux mal éclairés. Les orientaux doivent rester orientaux. Les catholiques orientaux ne sont pas moins catholiques que leurs frères latins. Il n'est pas nécessaire, pour être pleinement catholique, d'être latin. Il faut interdire l'établissement, en Orient, de juridictions latines ordinaires, dont le but est de soutenir la latinisation de l'Orient, tel que le « Patriarcat latin de Jérusalem », qui est un véritable défi à l'Orient chrétien et qui doit être supprimé. Les Eglises orientales catholiques ont des droits sur les Lieux Saints autant, si non plus, que l'Eglise latine, droits qui sont aujourd'hui absolument méconnus par l'autorité latine. D'autre part, les Orientaux catholiques dispersés dans le monde entier doivent être munis de pasteurs de leur rite, à tous les échelons de la hiérarchie, et cela en collaboration avec l'autorité locale.

Sur ces trois points, les évêques de notre patriarcat ont exposé leur pensée en détail dans une lettre synodale au Pape Pie XII, en date du 10 février 1958, et dans une lettre synodale au Pape Jean XXIII en date du 1er mai 1959.

13. *Restauration de l'institution métropolitaine.* Le rôle que joue l'institution patriarcale en Orient, l'institution métropolitaine ou primatiale devrait le jouer en Occident, par rapport aux évêques suffragants d'une même province ou d'un même pays. Cela suppose une restauration, en Occident, de l'institution métropolitaine, réduite depuis des siècles au rang d'une institution presque uniquement honorifique. Ainsi, à la tête d'une région ou d'un pays, il y a un organe centralisateur, intermédiaire entre l'autorité du Pape et celle des évêques: rôle pratiquement joué jusqu'ici par les représentants du Pape, ce qui contribuait à renforcer encore davantage la centralisation de l'Eglise.

14. *Les pouvoirs épiscopaux* doivent être reconnus et renforcés. Nous pensons, pour ce qui nous concerne, au pouvoir qui leur fut toujours reconnu d'élire leur Patriarche, d'élire leurs collègues dans l'épiscopat et d'ordonner les clercs de leurs diocèses, et cela sans entraves de la part de la Curie Romaine.

15. *La position du prêtre dans l'Eglise* devrait être revalorisée spirituellement et matériellement.

16. *L'habit clérical.* Il est temps, pensons-nous, que l'habit clérical soit rendu plus conforme aux exigences de la vie et du travail contemporain.

17. *La discipline du jeûne et de l'abstinence,* ainsi que le *nombre des fêtes de précepte et la manière de les observer* devraient être soumis à une révision. Il y a à ce sujet trop de divergences d'un endroit à l'autre. Le jeûne et l'abstinence sont rarement observés. Le chômage du dimanche et des fêtes de précepte ne peut plus être basé sur la distinction, surannée et parfois inéquitable, entre les travaux serviles et ceux qui ne le sont pas.

18. L'Eglise occidentale est portée vers *le juridisme et l'organisation de l'Eglise en tant que société humaine.* Cette mentalité présente l'inconvénient de présenter l'Eglise sous un angle trop exclusivement humain, comme toute autre société de ce monde, alors que l'Eglise est avant tout une société spirituelle, surnaturelle, dont le but premier n'est pas de ce monde. Cette mentalité est à revoir, autant que la législation et les institutions canoniques qu'elle anime.

19. Le besoin se fait sentir d'exposer solennellement quelle est la position des laiques dans l'Eglise: leur rôle, leur mission, leurs droits et devoirs, leur participation à l'apostolat et, en particulier, leur collaboration aux tâches matérielles de l'Eglise. En d'autres termes, l'Eglise devrait fixer une *théologie du laïcat,* qui peut être puisée dans les documents pontificaux publiés surtout depuis le Pape Pie XI.

OMNES SEQUUNTUR SUBSIGNATIONES

3

EXC.MI P. D. IACOBI J. KARROUM

Episcopi Spinensis Syrorum (Hassaké)

Qui responsum dedit una cum

EM.MO P. D. IGNATIO G. CARD. TAPPOUNI

Patriarcha Antiocheno Syrorum [1]

4

EXC.MI P. D. IOSEPHI GENNANGI

Episcopi Kamechliensis Armenorum (Kamichlié)

Qui responsum dedit una cum

EM.MO P. D. GREGORIO PETRO XV CARD. AGAGIANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum [2]

5

EXC.MI P. D. IOSEPHI RABBANI

Archiepiscopi tit. Nacolensis, Administratoris Ap. Hemeseni Syrorum (Homs)

Qui responsum dedit una cum

EM.MO P. D. IGNATIO G. CARD. TAPPOUNI

Patriarcha Antiocheno Syrorum [3]

---

[1] Cf. pp. 390-392.
[2] Cf. pp. 394-400.
[3] Cf. pp. 390-392.

RHODUS

1

Exc.mi P. D. FLORIDI A. ACCIARI

Archiepiscopi Rhodiensis (Rodi)

Romae, die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Breviter respondeo ad ea quae Eminentia Tua poscit folio N. 1 C/59-1125 diei 1 iunii 1959.

Opinor:

1. Quod in Concilio ante omnia exponendae sint veritates ab omnibus profitendae, et damnandi errores qui, praesertim post Concilium Vaticanum, contra doctrinam catholicam irrepserunt: et hinc:

2. Iterum damnentur massonicae sectae, communismum, socialismum, etc.

3. Formulae pro Professione Fidei nec nimis contractae sint, nec longiores.

4. Optimum erit si praeparetur et in lucem edatur Catechismus — Maior et Minor — ita ut iisdem formulis Ecclesia universa profiteatur suam fidem.

5. Desideratur ut a Concilio promulgetur Constitutio pro electione Summi Pontificis, Romana Sede vacante.

6. Statuere quae in administratione Sacramentorum et in aliis liturgicis functionibus liceat vernacula lingua recitare.

7. Curare novam editionem Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcoporum cum opportunis variationibus.

8. Desiderantur maiores relationes inter Episcopos et Superiores regulares, praesertim quando clero regulari sit concredita cura paroecialis. Hinc Superiores regulares invitandi sunt in Conciliis provincialibus, in Synodo dioecesana et quando agitur de gravioribus negotiis populum christianum spectantibus.

9. Ad novum examen revocare quae a *Codice I. C.* statuuntur Libro Secundo « De Personis ».

Pro nunc nihil aliud suggerendum puto.

Cum reverentia et observantia

Eminentiae Tuae Addictissimus

✠ Floridus A. Acciari

Archiepiscopus Rhodiensis

SINAE

1

EXC.MI P. D. FRIDERICI MELENDRO

Archiepiscopi Nganchimensis (Anking)

Palentiae 7 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Re, qua par est reverentia diligenter considerata, ac Deo commendata; consilio etiam virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium expetito; animadversiones, consilia et vota quae sequuntur circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, cum sincera libertate summatim indicantur.

✠ FRIDERICUS MELENDRO, S. I.
Archiepiscopus Nganchimensis

I. QUAEDAM DOCTRINAE CAPITA

1. *De Sacra Scriptura.* Concilium Vaticanum definivit inspirationem omnium librorum S. Scripturae et aliqua innuit de natura ipsius inspirationis docens Deum esse auctorem librorum sacrorum (Enchiridion Biblicum 79, 77).

Leo XIII in Encyclica *Providentissimus* magis determinavit modum quo Deus est auctor S. Scripturae, describens influxum positivum supernaturalem quo Deus influit in facultates hagiographi (EB 125). Hanc ipsam explicationem fundatam in doctrina S. Hieronymi, suam fecit Benedictus XV in Encyclica « Spiritus Paraclitus », et postea Pius XII in Encyclica *Divino afflante Spiritu* (EB 448. 546).

Temporibus recentioribus tum in libris, tum in ephemeridibus de re biblica plura scripta sunt circa modum definiendi partes quae Deo et hagiographo tribuendae sunt in compositione librorum sacrorum. Non omnia conformia sunt cum doctrina a Romanis Pontificibus proposita, ut constat ex Encyclica *Humani generis* in qua Pius XII conqueritur de modo loquendi de hac re aliquorum auctorum. (EB 613).

His ultimis annis post Encyclicam *Humani Generis* de eodem problemate variae propositae sunt solutiones, quae in campo biblico per-

turbationem aliquam generant, cum hoc problema intime connectatur cum doctrina de inerrantia S. Scripturae.

Desiderandum igitur esset ut PP. futuri Concilii in hoc problemate inquirerent et principia dogmatica stabilirent quae ab omnibus catholicis tenenda sunt.

2. *De Theologia dogmatica.* In Concilio Vaticano aliqua decreta et canones elaborati erant, qui non potuerunt approbari propter eius repentinam dissolutionem. Utile esset, occasione novi Concilii, denuo ea proponere PP., aut saltem illa eligere, quae his etiam temporibus apta videantur. Aliquae quaestiones quae in Encyclica *Humani Generis* attinguntur de nova Theologia, ut doctrina de peccato originali in sua relatione cum evolutionismo et poligenismo, cum utilitate poterunt in futuro Concilio tractari, ut clarius determinetur quid ab omnibus catholicis circa hanc doctrinam teneri debeat.

3. *De Oblivione Dei.* Inter graviora nostrae aetatis mala quibus Sacrum Concilium occurrat illud computandum videtur quod appellari posset *oblivio Dei,* ex quo hodiernus et continuo accrescens *Naturalismus* promanat, cuius aperta manifestatio habetur in *Irenismo* et nimia indulgentia erga multiplicis generis errores sive speculativos sive practicos.

Ex variis autem modis quibus illa Dei oblivio (seu defectus et amissio « sensus Dei »: « del sentido de Dios », « du sens de Dieu ») innotescit et ex consequentiis quae ab ea eruuntur, haec quae sequuntur memoranda videntur:

a) *In vita Nationum publica.* Civitates (Status) communius laicismum profitentur. Ipsi catholici (sive Summi Moderatores, sive communes cives, sive, non raro, ecclesiastici et religiosi):

Theoretice denegant obligationem Status erga Deum et Ecclesiam ut institutionem divinam (etsi Sanctam Sedem revereantur ut institutionem quamdam summi valoris); quas obligationes inconciliabiles existimant cum societate civili debite evoluta ut, nostra aetate, in pluribus iam nationibus exsistit, proprias autem conceptionis, ut aiunt, medievalis Ecclesiae, quin autem ad Status et Ecclesiae naturam spectent.

Practice in negotiis publicis, communissime, de naturali et temporali tantum prosperitate reipublicae curare videntur; de religione silere malunt, et quidem sub praetextu « caritatis », ne ex eis quae, ut dicunt, ad intimam tantum conscientiam pertinent, turbationes anachronice excitentur.

Cum haec publica Dei oblivio, dum humanae res summe extollantur, multum ad indifferentismum religiosum conferat, momenti videtur rectam doctrinam de Dei, et consequenter Ecclesiae, iuribus publicis exponere et tueri.

b) *In vita intellectuali.* Oblivio Dei sese manifestare videtur ea praesertim ratione qua auctores ita, non raro, interpretant Scripturam Sacram ut si Deus non, hucusque, provide curavisset in Ecclesia de eius genuina interpretatione, ac proinde, neglecta potius sacra Traditione, omnia quoad exegesim funditus innovanda essent; et quidem criteriis plus aequo, ut videtur, rationalismo proximis.

Opere ergo pretium videtur ut doctrina de recta Sacrae Scripturae interpretatione doceatur et eius applicatio iubeatur.

Nec praetereunda, inter alia quae ad doctrinam simul et ad praxim spectant, immoderata indulgentia quorumdam catholicorum, etiam inter ecclesiasticos, erga errores et opiniones periculi et levitatis plenas illius quam « psychologiam profundam » vocant, quibus, praeter alia damna, illud maxime exurgit: extenuatio conceptus verae responsabilitatis.

Quod gravius urget cum in dies amplius sermo leviter divulgetur de momento illius « psychologiae profundae » sive ad perturbationes psychicas medendas, sive etiam ad praxim sacramenti poenitentiae et ad animos in vita spirituali moderandos.

Gravia ergo monita S. Pont. Pii XII et Sancti Officii erga scriptores et editores catholicos circa hanc rem videntur confirmanda, et doctrina complenda et urgenda.

c) *In communi hominum vita interiori.* Dei oblivio vehementer fovetur apud singulos homines incitamentis undequaque nunc exortis ad res pure temporales summo aestimandas, praesertim progressum technicum, et ad huius vitae commoda inexplebili aviditate sibi procuranda. A quo periculo et defectu neque ecclesiastici, sive saeculares sive religiosi, eximuntur, ut nimis notum est.

Interdum autem ipsa ratio curandi de supernaturali vita fidelium defectu levitatis laborare videtur, ut cum normae asceticae christianae, sanae et austerae, substituuntur suavitate et sterilitate languidae psychotherapiae, vel cum in sacris ritibus peragendis et in astando sacrae liturgiae multum curatur de exteriori caeremoniarum executione, parum de singulorum intima unione cum Deo internis actibus virtutum comparanda.

Huic incommodo fere inseparabili ad illecebris et levitate vitae hodiernae, unus et insupplebilis modus obsistendi videtur cotidiana oratio mentalis, quae spiritualibus secessibus foveatur et sustentetur.

d) *In communi vita publica.* Oblivio Dei (quae implicat amissionem « sensus peccati »: « del sentido del pecado ») in divinae legis despectu continuo proditur procaci impudentia in vestitu, cui nulla forsam fuerit par in tota excultorum populorum historia.

Necesse igitur videtur ut gravis obligatio modestiae christianae et

etiam naturalis pudoris doceatur eiusque praxis, normis etiam concretis, quantum fieri possit, praecipiatur.

e) *In vita internationali.* Communismus, potentissima vi militari instructus, contra innumerabilium hominum bona, personalem dignitatem, vitam, crudelissime saevit; et, quod sine comparatione deterius est, eorum animos in aeternam damnationem satanica astutia et violentia impellit.

Omnibus nota est omnium fere nationum ignavia ad immane hoc malum ab illis eo oppressis arcendum.

Status, vix uno alterove excepto, sese plane accomodare videntur principio de « non Interventu » a Pio IX, in *Syllabo* prop. 62, damnato. Quod si quis Status contrarium sive doctrina sive factis sustineat, deseritur et ab innumeris catholicis impugnatur.

Catholici autem scriptores, communissime, suo silentio circa hoc, immo, non raro, immoderato iniquae pacis studio, unum videntur agnoscere remedium, quod deprompturn dicendum esset a principiis elevandi conditionem classium inferiorum.

Hoc modo agendi Statuum et plurium scriptorum, ut idem S. Pontifex conquerebatur, « mirandum quod uni (iniusto invasori) liceat principium (de non Interventu) despicere ac violare; universa Europa inspectante, (et nunc, toto mundo occidentali)...: ex quo perniciosa consequitur absurditas, alienum nempe interventum dumtaxat admitti ad rebellionem sustinendam atque fovendam », in hodiernis autem eventibus, ad totam tot populorum salutem penitus evertendam (cf. *Pii Pont. Max. Acta,* vol. 3 [1858-1864], pag. 187. Allocutio « Novos et ante » die 18 sept. 1860).

Ex qua allocutione liceat etiam alia exscribere verba ad hodierna adiuncta maxime apta: « Agitur enim de immani violatione, quae contra universale gentium ius nequiter est patrata, quaeque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps legitimi cuiusque iuris firmitas ac securitas poterit consistere » (Ibid.).

Quae ita sint ut exponuntur, momenti videtur in mentes catholicorum revocare doctrinam contra principium de non Interventu et obligationem declarare et urgere, quae ex ea dimanat cum erga catholicos scriptores tum maxime erga Status et horum supremos moderatores.

4. *De praeceptis Ecclesiae.*

a) *Primum praeceptum.* De sanctificatione dierum festorum.

De requie dominicali.

An Missa, certis in locis et adiunctis, sub dio, diebus festis de praecepto celebranda sit, ut plures christifideles praecepto audiendi Missam satisfacere valeant?

b) *Secundum praeceptum.* De abstinentia et ieiunio in Ecclesia universali servandis.

c) *Tertium praeceptum.* An obligatio fidelibus sit imponenda recipiendi sacramenta poenitentiae et Communionis *ter in anno*: in Quadragesima vel Pascha, mense iunio ac decembri? Ita tamen ut grave peccatum contra haec praecepta illi tantum fideles committant, qui semel in anno ea non recipiant.

d) *Quartum praeceptum.* De bonis temporalibus, quibus fideles necessitatibus Ecclesiae subvenire debent.

5. *De Sacramentis.*

a) *De sacramentis in genere.* De usu linguae vernaculae in sacramentorum administratione.

b) *De Baptismo.* An caeremoniae baptismi adultorum breviores reddere oporteat?

c) *De Eucharistia.* Ut quacumque diei et noctis hora Missa celebrari liceat, et Communio etiam extra Missam distribui.

Debita gratiarum actio pro communione enixe fidelibus commendanda videtur.

Ut in sacristia silentium a sacerdotibus ante et post Missam servetur. Usus tabaci in sacristia prohibendus.

d) *De Ordine.* An Ordines ostiarii, lectoris, acolythi ad Ecclesiae necessitates aptandi atque selectis laicis conferendi sint?

An novus sit instituendus Ordo, electis conferendus laicis, qui sacram operam sacerdotibus praestent sive in cultu ecclesiarum, sive ut catechistae, sive in operibus apostolicis?

Eiusmodi ordo necessarius fere videtur in illis regionibus, quae magnam sacerdotum inopiam patiuntur. Candidatorum ad praedictos ordines institutio, scientia, virtutes, obligationes, officia determinanda sunt.

Presbyteratus ante vicesimum sextum annum non conferendus videtur.

II. Disciplina cleri et populi christiani

Sectio I. *De Disciplina cleri*

1. *De Cardinalibus.* De numero maiori cardinalium a Romano Pontifice eligendo.

An maius Ecclesiae bonum postulet ut cardinalium italorum numerus minuatur et aliarum nationum augeatur?

2. *De Curia Romana.* Numerus sacrarum Congregationum augendus videtur.

An Officiales Curiae Romanae et numero augendi sint, et ex diversis nationibus multo plures eligendi?

An novus Officialis nominandus sit titulo « Admonitoris » vel « Visitatoris » vel « Inspectoris »? Illius erit munus inspicere, examinare, urgere exsecutionem practicam decretorum, dispositionum ...; Moderatores monere ...; aliquando forte visitare locum certum, dioecesim quoad res determinatas; etc.

3. *De Legatis Romani Pontificis.* An catholicitas Ecclesiae postulet ut plures ex diversis nationibus eligantur?

4. *De Episcopis.* Urgeatur impletio can. 283 de Conciliis provincialibus celebrandis, item can. 356 de celebranda Synodo dioecesana.

Optimum clericis et fidelibus exemplum praebent Episcopi, qui in communi quotannis exercitiis spiritualibus vacant.

Dioeceses, magnae numero fidelium, dividendae videntur, ut maiores spirituales percipiantur fructus.

5. *De sacerdotibus in genere.*

a) Sacerdos, cum sit alter Christus, Christi vitam imitetur necesse est; qui dum in hoc mundo vixit, in omnibus actibus suis Patris maximam glorificationem atque hominum salutem fecit. « Ego quae placita sunt ei facio semper » (*Ioan.* 8, 29).

Sobrie, iuste, pie, sancte vivat sacerdos. « Abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo » (*Tit.* 2, 12).

Quotidie orationi mentali per dimidiam horam, sub peccato veniali incumbant sacerdotes.

Conscientiam suam singulis diebus per decem aut quindecim momenta examinent.

Ad poenitentiae sacramentum semel in hebdomada, sub peccato vero veniali semel intra quindecim dies, accedant.

Dies secessus menstrui in singulis vicariatibus foraneis a sacerdotibus habeatur.

Singulis annis, spatio sex saltem dierum, spiritualibus exercitiis vacent.

« *Unio Apostolica Sacerdotum Saecularium a SS.mo Corde Iesu* », optimum sanctificationis medium, omnibus enixe est commendanda.

b) *Confessores seu Directores Spirituales.* Optatur ut in unaquaque dioecesi ab Episcopo designentur ex clero, tum saeculari tum regulari, sufficientes selecti sacerdotes, quibus munus sit « *Directoris Spiritualis sacerdotum* ».

Hi singulis mensibus tradent secessum mentruum; visitabunt sa-

cerdotum paroecias, ut sacerdotes confiteantur, consultationes ei faciant etc.

Residentiam habebunt in loco apto, ex quo facile commercium cum sacerdotibus regionis instituere possint.

c) *Oboedientia superioribus debita.* Oboedientiae fundamentalia principia exponantur ac roborentur.

Consequenter damnetur spiritus criticae, liberi examinis, resistentiae auctoritati a Deo constitutae.

d) *Vita communis inter clericos.* Magis determinetur can. 134; ac normae efficaces practicae proponantur.

e) *De habitu ecclesiastico.* Sacerdos, semper et ubique, convenienti ratione a laico viro in veste et externis formis distinguatur.

f) *De usu radii* ... De recto usu radii, televisionis, cinemae, ludorum, conviviorum, tabaci, motocycletae, automobilis.

De necessaria mortificatione bonumque praebendum exemplum in adhibendis vel reiciendis praedictis bonis; quae vitam mollem, materialem, sensibus gratam sequendi pericula multa creant.

g) *De Capitulis canonicorum.* Quaenam in illis reformanda sint?

An canonici, quod ad functiones liturgicas attinet, per Congregationes Monasticas paulatim suppleri valeant?

De cultu divino pro fidelibus in cathedralibus magis promovendo.

h) *De parochis.* Examinanda doctrina *Codicis I. C.* de verbi Dei praedicatione, de catechesi, scholarum visitatione, missionibus « saltem decimo quoque anno habendis » (*C.I.C.* 1349); atque impletio rerum praeceptarum urgenda.

De parocho ut confessario, seu de ministerio confessiones audiendi magis promovendo.

i) *De Coadiutoribus parochorum.*

De divisione paroeciarum, quae multorum fidelium numero constant.

De paroeciis maiorum urbium Ordinibus et Congregationibus religiosis tradendis. (Dicitur *aliquibus paroeciis*).

j) *De professoribus.*

Regulae statuendae pro sacerdotibus professoribus in athenaeis, collegiis, universitatibus.

Sectio II. *De institutione clericorum*

a) *De vocationibus ad sacerdotium fovendis.* In dioecesibus quibus superabundant candidati, recipiendi hi quoque erunt sive pro dioecesibus clero indigentibus, sive pro locis Missionum.

b) *De Seminariis Minoribus et Maioribus.* Quae ad illa spectant examinanda, aliqua corrigenda, multa perficienda.

De clericorum formatione videtur agendum prae oculis habitis necessitatibus hodiernis necnon et periculis naturalismi et neopaganismi.

c) *Directores spirituales* (*C.I.C.* 1360). Maximi momenti hoc munus haberi debet.

Instituendi videntur, saltem per annum, in aliquo Instituto vel Universitate, tum in scientia spirituali tum in directione practica seminaristarum et sacerdotum.

Valde utile fore creditur ut per mensem exercitiis spiritualibus vacent.

d) *De anno Pastorali.* Neosacerdotes, presbyteratu recepto, per unum vel duos annos, quaestionibus pastoralibus practicis operam dent, determinata materia, programmate, examine etc.

An optandum sit ut neosacerdotes exercitiis spiritualibus, iuxta Sancti Ignatii, Exercitiorum Spiritualium Patroni, methodum, per mensem, vel saltem per quindecim dies, incumbant?

Sectio III. *De Religiosis*

Principia fundamentalia Obedientiae, Caritatis fraternae, Observantiae regularis definiantur enixeque commendentur omnibus Religiosis sive viris sive mulieribus.

Quid sit in Ordinibus et Congregationibus corrigendum, perficiendum?

De Congregationibus religiosis laicalibus virorum.

De Congregationibus religiosis mulierum.

An maior gloria divina postulet ut moniales et sorores, quae Officium divinum recitare tenentur, in lingua cuiusque nationis propria recitent?

De Institutis Saecularibus Religiosis.

Sectio IV. *De disciplina populi christiani*

a) *Vita familiaris christiana.* Laudanda est atque fovenda vita communis quotidiana omnium personarum, quae familiam constituunt; parentum, filiorum, fratrum, cognatorum, famulorum.

Familiae conservent, aut accipiant, pias consuetudines colendi Sanctissimum Cor Iesu et Mariae; recitandi matutinas et vespertinas preces, Sanctissimum Rosarium B. V. M.; praxim frequentis confessionis et communionis etc.

Commendanda est etiam vita communis familiae diebus festis tum in ecclesia, tum in recreationibus, spectaculis etc.

Condemnandi hodierni temporis mores de inoboedientia et libertate filiorum; de inhonestis vestibus; de assistentia spectaculis horis nocturnis etc.

b) *Vita fidelium in ecclesiis.* De christifidelium reverentia, oboedientia, amore, defensione parochi et poroeciae, Ecclesiae Catholicae, Summi Pontificis, praelatorum, religiosorum; deque mutua inter se unione in caritate et adiutorio.

c) De participatione activa fidelium in sancto Missae sacrificio; interna per devotam assistentiam et Communionem, externa per communem recitationem iuxta recentes normas S. Congregationis Rituum.

De cantu fidelium in functionibus sacris.

d) De zelo animarum a singulis fidelibus exercendo. Doctrina theorica et practica.

Principia fundamentalia oboedientiae Praelato et parocho, rectae intentionis, abnegationis, caritatis et mutuae cooperationis in operibus apostolicis.

e) *De Actione Catholica paroeciali.*

f) *De piis Associationibus.*

De Pia Unione Apostolatus Orationis in omni paroecia erigenda.

De Congregationibus Marianis et de Legione Mariae.

De Cooperatoribus Catechistis viris et feminis.

De Associationibus beneficentiae.

De Coetibus adiutorium praestantibus pro munditia et ornatu ecclesiarum.

De Congregationibus Religiosarum, quae in operibus paroeciae adlaborent.

g) *De Operibus Pontificiis Missionalibus.*

III. Actuositas Apostolica hodierna Ecclesiae

Actuositas Apostolica Ecclesiae inter fideles. — *Principia fundamentalia* docenda de obligatione fidelium adlaborandi pro Iesu Christi Regno et proximorum salute; de oboedientia Directoribus ecclesiasticis debita in operibus apostolatus; de recta intentione in labore apostolico.

Praedicatio Evangelii. Catechesis. Scholae. Exercitia spiritualia. Missiones populares.

Proelum catholicum. Radio,cinema, theatrum, televisio.

Actuositas Apostolica Ecclesiae inter dissidentes: Schismaticos, Mahumetanos, Protestantes, Iudaeos.

Media adhibenda ut ad veram Ecclesiam redeant: Oratio, caritas, praedicatio.

Actuositas Apostolica Ecclesiae pro infidelibus: Unaquaeque dioecesis nationis christianae adoptet Missionem infidelium, vel etiam recipiat aliquam partem territorii missionalis evangelizandam.

Singuli Instituti religiosi sive virorum sive mulierum participent in certo territorio Missionum.

De Cooperatone populi christiani pro Operibus Missionalibus, oratione, eleemosynis, cognitione et propagatione rerum missionalium.

IV. Negotia Ecclesiae maioris momenti

De fide et bonis moribus conservandis, muniendis, perficiendis.

Damnandi hodierni errores naturalismi, materialismi, laicismi, falsae libertatis seu independentiae, neopaganismi, doctrinae moralis, quam vocant circumstantiarum.

Praecavendum periculum rerum novarum in ascesi, cultu divino, arte sacra ...

Doctrina Ecclesiae de fide et moribus *integra* docenda; v. gr. de peccato, de sanctione aeterna ...

De doctrina Ecclesiae in rebus doctrinalibus et disciplinaribus, non tamen de fide credendis.

Media. Cognitio, amor, imitatio D. N. Iesu Christi: Ergo Iesus Christus praedicandus ...

De culti Sanctissimi Cordis Iesu fovendo, iuxta Encyclicas: *Miserentissimus Redemptor* et *Haurietis aquas.*

De Sanctissimo Rosario B. V. Mariae.

Optantur normae concretae de modestia christiana contra inhonestos mores.

De Actione Catholica.

De Rebus Socialibus.

In doctrina sociali desiderantur normae practicae quibus uniformiter omnes catholici doctrinam Ecclesiae in casibus concretis applicent.

De Communismo.

V. Diversa argumenta

Doctrina *Mystici Corporis Christi.* Hinc de mutua inter se caritate et unione christifidelium totius mundi.

Normae practicae exoptantur de veritate, iustitia, caritate, quas scriptores ephemeridum, librorum..., radii locutores catholici..., observare debent, cum scribunt, loquuntur ... de rebus aliarum nationum, maxime de rebus catholicis.

Doctrina de B. V. Maria, Omnium Gratiarum Mediatrice.
De Confoederationibus Catholicis Internationalibus.
De Catechismo Universali edendo.
An parvi libri scribendi sint pro clero, seminaristis, christifidelibus, de quibusdam selectis doctrinis in Concilio Oecumenico tractatis?
De pace inter nationes promovenda.

In SS. Sacrificiis et precibus cum *Sancta Sede* unitus pro felicissimo exitu futuri Concilii Oecumenici, Eminentissimae Tuae Reverendissimae me profiteor addictissimum servum in Domino Iesu Christo

✠ FRIDERICUS MELENDRO, S. I.
Archiepiscopus Nganchimensis

2

EXC.MI P. D. PETRONII M. LACCHIO
Archiepiscopi Ciamsciavensis (Changsha)

18 agosto 1959

Eminentissimo Principe,

Nel luglio p.p. ricevevo la Venerata Lettera di Vostra Eminenza Reverendissima, Prot. N. 1 C/59-339.

Ossequente a quanto è scritto in essa, dopo il ricorso alla preghiera e la consultazione di alcuni dei miei Missionari, ho creduto bene di presentare i voti notati nel foglio accluso.

Con profonda stima e riverenza, bacio la Sacra Porpora e chiedo la S. Benedizione.

Dev.mo e obbed.mo in Cristo
✠ PETRONIO M. LACCHIO, O. F. M.
Arcivescovo di Changsha

1. Ut ministri protestantes ad Ecclesiam Catholicam conversi, si velint, et si circumstantiae requirant, recipiant Ordinem Diaconatus, et ministeria huic Ordini propria exerceant, scilicet, possint: Verbum Dei praedicare, Baptismum et S. Communionem (incluso Viatico) fidelibus administrare, et praeterea, exequias peragere. Motiva: Ad supplendam Sacerdotum penuriam; ad spirituale et morale emolumentum eis praebendum; ad media obtinenda pro sustentatione familiae, si habeant, etc.

2. Ut lingua vernacula possit adhiberi in administratione Sacramentorum Baptismatis, Confirmationis, Poenitentiae, Matrimonii, Extremae

Unctionis; in administratione S. Communionis et Viatici; in liturgia Missae, etc ... saltem in illis partibus ubi intelligentia vel comprehensio caeremoniarum magis requiritur in fidelibus.

3. Ut in administratione Baptismatis, longae interrogationes: « Quid petis ab Ecclesia Dei, etc. » — « Abrenuntias satanae, etc. » — « credis ... etc. » in lingua vernacula tantum et tantum globatim et non « singulariter singulis » fiant, saltem quando plures, scilicet plus quam quinque, insimul baptizantur.

Iterum, ut aliquae caeremoniae in administratione Baptismatis supprimantur vel mutentur: v. g.: Insufflatio supprimatur, iunctio gutturis et inter scapulas fiat in fronte, crux cum saliva in auribus et naribus omittatur, etc.

4. Ut in regionibus Missionum, obligatio Missam audiendi dierum festorum durante hebdomada obvenientium, Nativitate Domini excepta, ad diem Dominicam sequentem vel praecedentem transferatur.

5. Ut in regionibus Missionum, Officium Divinum quotidianum, vel saltem in festivis diebus eorumdemque vigiliis, ad ritum simplicem reducatur.

6. Ut Missionarii Religiosi sequi possint kalendarium liturgicum propriae Religionis, non tantum pro Divino Officio recitando, sed etiam in celebratione Missae, sive in ecclesia propriae Religionis, sive in ecclesia quam administrant, litent.

✠ Petronius M. Lacchio, O. F. M.
Archiepiscopus Ciamsciavensis

3

Exc.mi P. D. GERARDI F. HERRERO GARROTE
Episcopi Ciamteani (Chanteh)

1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Accepi Litteras opportuno tempore: sed quia mense augusti debebat celebrari in Archiepiscopali Burgensi civitate « Hebdomada Missionalis » quae quotannis celebratur, ubi studia *rei missionalis* fiunt a selectis viris Professoribus, versatis in scientia Missionologica et assistentibus Praelatis Hispanis, etiam Praelatis ex Exilio, hac de causa, responsum procrastinatum fuit.

Hoc anno, Lectio prima fuit pronuntiata ab Exc.mo S. Sedis Nuntio Mons. Hildebrando Antoniutti: cuius titulus fuit: « Unio omnium

christianorum, exigentia vitalis missionum ». Lectiones fere omnes relationem intimam faciebant ad Concilium Oecumenicum.

Quindecim Praelati adfuerunt: tres Abbates, sacerdotes multi utriusque Cleri et 470 Seminaristae atque multitudo ex ipsa civitate Burgensi quae frequentabat Conferentias. In decursu istarum lectionum aliqua memoranda Historiae Missionalis in Sinis in relationibus cum Protestantibus quae possunt constituere materiam pro Concilio Oecumenico sicut commentavi cum Praelatis assistentibus huic Hebdomadae, scilicet XII^{ae} Burgensi.

Ergo ante Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico expono:

Primum: *Conversio Pastoris « Putola »*, Finlandensis, Societatis Luteranae « Sin-I-Huei ». Erat vir magnae pietatis et mansuetus, qui adhibebat septem horas in oratione et lectione S. Scripturae singulis diebus ac fervidus credens cum anxietate in quaerenda vera doctrina. Exercuit apostolatum missionale in regione Hunam in civitatibus Shihmen et Tzeli, quando ego eram illic.

Audierat a Catechistis et christianis de mea facilitate in loquendo linguam sinicam et de pacifico modo agendi in apostolatu; hac de causa venit ad me visitandum ut exponeret suas anxietates animi. Ductus erat non spiritu polemicae, sed desiderio inquirendi veritatem. Prima quaestio fuit « si patres eius, protestantes, potuissent obtinere salvationem animae? ».

Responsum a me datum « de ignorantia invincibili » in qua versi fuerant tota vita in Finlandia, ubi nunquam audierant de alia religione, erat argumentum spei de eorum salvatione possibili.

Valde gavisus est haec audiens: nam legerat in libris quia omnes protestantes non poterant salvi fieri: audiens istam distinctionem ex gaudio pro patribus eius lacrymatus est et consolatus.

Hoc fuit initium nostrarum conversationum; iam postea sese commendavit « meis orationibus et S. Sacrificio Missae ut semper haberem illum praesentem ». Et sic sensim sine sensu iam « fiducia eius inveniendi veritatem concrevit ». Et induxit suos subditos « ut illo absente audirent me et unirentur Ecclesiae Catholicae in defensione contra paganismum ».

Ante paganos habebat famam bonam. Non habebat uxorem.

Post duos annos, reversus in Europam, visitavit Ierusalem, ubi se dedit studio doctrinae catholicae et conversus est.

Sic narravit mihi catechista, ex protestantibus, qui multum Putola diligebat. Hoc enim accidebat annis 1911-1912.

Erant mihi gratissimae visitationes eius ac dubia ab illo proposita, Deo adjuvante et Beatissima Virgine Maria intercedente, illi solvebam.

A prima quaestione « de ignorantia invincibili » pro salvatione suorum parentum et de cultu quem Beatissimae Virgini tribuimus catholici, habui spem de futura conversione: maxime quando audivi de ore illius « Pater, ego habeo spem inveniendi veritatem: singulis diebus in Sacrificio Missae recordare mei; nam ego quotidie peto confidenter obtinere *viam veritatis* quam in Religione catholica invenire potero ». Cum tali fiducia petebat a me orationes in sacrificio Missae et tali mansuetudine praeditus et fervore spirituali ut mihi videbatur possibilis conversio eius.

Ille habebat duas Missiones, Shihmen-hum et Tzeli: dixit catechistis de Shihmen: cum ego absens fuero, si aliquae quaestiones ortae fuerint interrogate P. Gerardum, Missionarium catholicum, nam ille habet scientiam concordiae.

Sic in relationibus mutuis semper concorditer procedebamus.

Anno 1913 Rev. Putola regressus in Finlandiam pertransit per Ierusalem, ubi mansit per sex menses ut studeret doctrinam catholicam et ex corde conversus, baptizatus est catholico ritu.

Catechistae Protestantes habuerunt notitiam et unus ex illis propinquus Catechistae nostri communicavit nobis « conversionem Rev. Putola, quamvis Pastores occultarent ».

Consequentiae pro Concilio Oecumenico:

Pax inter duas religiones praeparat sensim sine sensu conversionem illorum ad nostram religionem. Vitandae sunt semper pugnae doctrinales ex quibus pagani scandalizantur: et nihil boni pro duabus partibus obtineri potest.

Anno 1915: in missione Pinkiang, nunc Praefectura Apostolica de Yochow, et missio catholica fervens et numerosa: quando fundator, Rev. P. Hospital erat illic, praedicans de Protestantismo faciebat verba ad christianos ferventiores semper in aula privata: ita ut aliqui ex illis qui fuerant catechumeni protestantes evaderent catholici firmi in fide et laborarent ad attrahendos ipsos affiliatos protestantium. Tantum crevit istud motum conversionum ut iam ipse Pastor venit apud P. Hospital nuntians illi quia catechista sentiebat vocationem pro religione catholica.

Pater iam sciebat: dixit illi « Circa catechistam non erat timendi causa» nam catechista indiget documento rubricato a suo Pastore, ut ego admittam illum sicut catechumenum.

Post aliquos annos ergo regebam missionem Pinkiang et Pastor Chow Rev. Harwy regebat missionem Protestantium. Erat anglus methodista valde instructus, et circa Religionem catholicam « comprehen-

sivus », in hoc sensu, « quia in Religione catholica poterat salvari anima! ».

Ad me personaliter dixit: « Totum laborem missionarium cedere conveniebat Missioni Catholicae. Protestantes tantummodo curare de Scholis et Hospitalibus. Vos pergitis ad missionandum per unum vel duos menses cum omnimoda libertate: ego vero non possum absens manere per quattuor dies: uxor vero non concedit mihi manere extra! Familia clamat! ».

« Caritas missionarii catholici est sublimis, evangelica: nostra est philantropia. Missionarius catholicus est pronus ad succurrendum necessitatibus aliorum. Vestra vita frugalitatis est in aedificatione omni credenti et pagano: vestra sensibilitas religiosa in attendendis necessitatibus aliorum est notabilis: nos in aliquo casu facimus eleemosynam: non intrat in nostro programmate quia iudicamus haec fieri ab Statu vel Associationibus Beneficis ».

Protestantes in genere dant praeferentiam explicatione doctrinae S. Scripturae, parum curant de explicatione dogmatum.

Denique alia magnopere habenda est in Missionibus scientia idiomatum. Nam perfecta locutio idiomatis praebet occasionem et gignit amorem in indigenis erga missionarios et infundit admirationem et respectus in Auctoritatibus et intellectualibus. Sic possum testificare ex mea longa conviventia in Sinis per quadraginta quinque annos, Deo gratias, exercitium in lingua sinica dedit mihi tantam facilitatem ut loquela evasit sicut indigenarum: ita ut audientes qui non me videbant crederent esse sinensis qui loquebatur quando Gubernium subditorum de Kiang-Kai-Shih invitabat me pro conferentiis in festivalibus nationalibus ad loquendum ad multitudines, milites, scholares in Pinkiang missione. Eodem modo occurrit cum essem Episcopus in visitatione pastorali.

Et annis 1949, 1950, 1951 sub regimine Rubrorum habuerunt erga me socialiter distinctiones propter loquendi modum sinicum: ita ut Duces civiles et militares venirent ad colloquendum mecum...

Sicque, Deo gratias, evasi liber a tortoribus et carceribus usque annum 1952, quo fui expulsus a Changteh.

Hae sunt Eminentissime Domine, breviter quae mihi occurrunt animadversiones, expositae cum omni libertate et sinceritate.

Interim adprecor Ss.mum Cordem Iesu ut Concilium celebrandum, sit pro pace et unione catholica firmum ac securum praesidium.

Vestra Eminentiae add.mus admirator
ac devotus

✠ GERARDUS F. HERRERO GARROTE
Episcopus Ciamteanus

4

EXC.MI P. D. HENRICI PINAULT

Episcopi Cemtuani (Chengtu)

Die 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Valde gaudeo institutione Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico necnon tibi gratulor Praesidem eiusdem Commissionis electo.

Rogatus, per litteras 1 C/59-347, die 18 iunii exaratas, vota ac consilia communicare, ut exul episcopus quaestionem « materialismi dialectici » Commissioni Praeparatoriae examinandam proponere audeo. Magni enim momenti mihi videtur istius perversae doctrinae sensus abditus ac iuri tam naturali quam positivo oppositus a Concilio condemnari. Eius efficientia reprobetur, quam multi laudant, gratiae divinae obliviosi et mediis humanis tantum confidentes.

Spero Communismum viam explanaturum esse unioni omnium hominum qui Deo fideles remanere volunt in Ecclesia quam Ipse Unam instituit.

Omnia faustissima ac fidelissima tibi adprecor, qui Eminentiae Tuae Reverendissimae

sum addictissimus in Christo

✠ HENRICUS PINAULT
Episcopus Cemtuanus

5

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. YUEN CHING PING

Episcopi Ciumatienensis (Chumatien)

Die 15 augusti 1959

1. Negotiorum primum maioris momenti quod Ecclesia obire hodiernis tenetur temporibus esse Communismum censeo. Etenim Communismus tam pro Ecclesia quam pro societate humana maximum est periculum. Ideoque:

a) In scholis cuiuscumque gradus, Monasteriis, Conventibusque

religiosorum doctrina Communista edoceatur et explanetur ut iuvenes, religiosi populique cuiuscumque status intelligant ac sciant quid est Communismus.

b) In catecheticis instructionibus quoque ne negligatur dare principiorum Communismi cognitionem. Qui vult extinguere atque opprimere perniciosam inimici potentiam bene clareque praescire debet adversarii armaturam. Ex ignorantia Communismi propagatio eius augetur.

c) Contra Communismum Ecclesia uti tenetur hodie maiore actuositate et sine ulla pietate eum expugnare ne impietas magis diffundatur et augeatur.

2. Lectio S. Scripturae Veteris ac Novi Testamenti inter universae Ecclesiae populos promoveatur eisque libri « De Imitatione Christi » lectio commendetur.

3. Magis in dies necessaria videtur participatio laicorum catholicorum in apostolatu; sed urget statuere modum, media et formam huius participationis ne confusio oriatur sive propter excessum sive propter defectum.

4. Partecipatio fidelium sive in sacro faciendo, sive in aliis functionibus religiosis maior fieri debet; ut haec comparticipatio ne fiat solummodo passiva et incomprehensibilis populo christiano, utilis et necessarius videtur usus frequens linguae vernaculae, seu uniuscuiusque nationis.

5. Communi opinioni multorum clericorum videtur quod Breviarium Romanum seu Divinum Officium ad simpliciorem formam redigi conveniat. Ita cogitant:

a) Seligantur Psalmi qui maiorem significationem orationis ac precum habeant.

b) Lectiones sive Scripturarum sive vitae Sanctorum in brevem formam reducantur.

c) Hymni proprii aliquorum Sanctorum nimis longi videntur.

d) Pater et Ave, quae sunt preces pulcherrimae ab Ipso Christo Domino confectae et ab Angelo pronuntiatae, resumantur.

e) Divinum Officium ita sit confectum ut cotidiana recitatio non excedat quadraginta momenta temporis.

6. Visitatio cotidiana SS. Sacramenti et meditatio sacerdotibus tanquam obligatoriae imponantur.

7. Cum de die in diem accidentia automobilistica increscant necesse est, videtur, ut ad vitae humanae securiorem protectionem praeceptum novum contra negligentes auto-vehiculorum conductores instituatur.

8. Reformatio praesertim antiquorum Ordinum Religiosorum re-

quiri videtur ut religiosi magis eorum fundatorum vestigiis inhaereant et verum ac primitivum spiritum vitae religiosae aliquo modo iterum resumant ad maiorem Dei gloriam.

9. Formulae caeremoniarum ac rituum pro receptione et professione votorum monialium redigi debent ita ut moniales ubicumque terrarum uniformem caeremoniarum librum habeant.

10. Repraesentantes Pontificis non mere ancipiti dicendi faciendique sapientia sed magis sanctitate personae eligantur.

✠ Ioseph M. Yuen Ching Ping
Episcopus Ciumatienensis

6

Exc.mi P. D. THEODORI LABRADOR
Archiepiscopi Fuceuvensis (Foochow)

Die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Epistola circularis Vestra, die 18 mensis iunii currentis anni data, propter varias circumstantias, non nisi serius ad manus meas pervenit, ut virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium consilium mature exquirere possim, cum ferias aestivas diversis et dissitis in locis agant, et promptum responsum, ut petit, valeam dare.

Non nisi unum, alterumve, consulendi obiter mihi eventualis occasio fuit. Qui singuli responderunt non habere in promptu animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Mihi autem nihil aliud proponere in mentem venit nisi ut quaestio de moralitate publica, in quantum possibile, adamussim definiatur, ita ut uniformis et vere catholica ubique inveniatur atque evitentur dubia et anxietates populo christiano et extraneis, qui ansam quaerunt infamandi Ecclesiam Christi, opportunitas auferatur.

Huiusmodi occasio fuit, cum b. m. Petrus Card. Segura, Archiepiscopus Hispalensis, quondam declarationes fecit circa choreas et infiltrationes protestantium in sua archidioecesi.

Hoc nuperrime accidit cum normas circa moralem publicam Hierarchia hispana, praesertim pro tempore aestivo, publicas fecit, quas ephemerides aliarum nationum malitiose deturpaverunt et fuse publicaverunt quasi datas ab Archiepiscopo Toletano, Card. Pla y Deniel,

pro tota Hispania, asserentes quod Cardinalis Hispanus volebat rigorosiorem et strictissimam regulam moralem imponere, contra moralem aliarum nationum et ipsiusmet Ecclesiae.

De cetero, prospera quaeque ominor et adprecor pro successu futuri Concilii Oecumenici et preces meas adiungo precibus totius Ecclesiae.

Et Deus labores vestros in apparando futuro Concilio benedicere dignetur.

Interim Eminentiae Vestrae humillimum servum me profiteor et permaneo in Christo,

✠ THEODORUS LABRADOR, O. P.
Archiepiscopus Fuceuvensis

7

EXC.MI P. D. IOSEPHI MAGGI
Episcopi Hanciomensis (Hanchung)

Lecco (Como) die 10 augusti 1959

Placitis huius Pontificiae Commissionis per litteras N. 1 C/59-581 diei 18 iunii 1959 ad me missas libenter obtemperans, gratias imprimis ex corde ago Deo Romanoque Summo Pontifici Ioanni XXIII feliciter regnanti pro proxima convocatione Concilii Oecumenici, quod maximam utilitatem universae Ecclesiae certus sum fore allaturum.

Meas preces pro bono exitu Concilii quotidie fundens, haec quae sequuntur, iudicio huius Commissionis humiliter submitto.

I. *Circa quaedam doctrinae capita*

1. Opportunum esset quod ab omnibus Concilii Patribus doctrina communistarum atheistica et materialistica rursus sollemniter damnaretur.

2. Item damnandum esse puto illum « motum » vulgo dictum « concelebrationis ex parte fidelium cum sacerdote in Missae sacrificio », qui iam a Summo Pontifici Pio XII reprobatus est.

Participatio enim fidelium in Missae celebratione promoveri potest v. g. Missis dialogatis, lectione in lingua vernacula partium mobilium, oblatione materiae in sacrificio adhibitae (hostiae, vinum, incensum, oleum, candelae), prout iam in multis paroeciis laudabiliter fit.

3. A Sacerdotibus Ritus Romani servandus videtur usus linguae

latinae in Missae celebratione, quippe quod linguae « modernae » facile mutantur, dum antiquus et probatus usus linguae latinae signum est unitatis. Lingua autem vulgaris adhiberi potest v. g. in orationibus post Missam a Papa Leone XIII iussis, item in caeremoniis « paraliturgicis », etc.

II. *Circa disciplinam cleri*

1. Caelibatus ecclesiasticus, gloria et fulgor sacerdotum, omnino servandus est in sua integritate; ipso enim deficiente, ministerium sacrum ad speciem cuiuscumque laicae professionis reduceretur. Neque validae aut practicae videntur rationes in favorem abolitionis caelibatus adductae.

2. Reprobanda videtur opinio fautorum institutionis « diaconorum » (cum uxore) ad penuriam sacerdotum suppeditandam, praesertim in locis missionum, ubi habentur probatae virtutis viri catechistae, baptizatores infantium qui optime adiuvant et quandoque (in quantum possunt) ipsos sacerdotes supplere valent.

3. Pro illis dioecesibus vel missionibus, ubi deficientia cleri magis advertitur, Sancta Sedes facultatem concedere posset Ordinariis locorum reducendi studiorum programmata ad efformandos sacerdotes, praecipue ubi agitur de vocationibus « tardivis ».

4. Sacerdotibus in singulis paroeciis ad curam animarum addictis imponenda videtur vita communis, tum ad ipsorum spiritum ecclesiasticum servandum et fovendum, tum ad pericula permulta et « nepotismum » vitanda. Vita communi opportunis normis statuta, omnes introitus paroeciae (v. g. reditus, congrua, oblationes fidelium, iura stolae, etc) in cassam communem mitti et sub Curiae episcopalis vigilantia administrari deberent. Ex reditibus cassae provideatur sustentationi vitam communem agentium, necessitatibus cultus, congruae parochi eiusque coadiutorum retributioni, etc. Quae praxis iam optime in usu est apud missiones et quasdam Europae Americaeque dioeceseos.

5. Optandum quoque ut in singulis dioecesibus vel saltem in Regionibus ecclesiasticis erigatur « domus cleri » vel convictum ecclesiasticum; insuper unaquaeque natio domum habeat aptam ad recipiendos et curandos episcopos et sacerdotes invalidos vel senio confectos, qui, ope « mutui » vel pensionis vel cuiusdam huius generis, serenam vitam agere valeant.

6. Quoad habitum ecclesiasticum: Puto hunc habitum servandum esse saltem in nationibus catholicis Occidentis ad sacerdotum decus. In statibus autem protestantibus vel paganis talis habitus servetur tantum in sacris functionibus et domi, dum in aliis locis induatur habitus sic dictus « clergyman » vel prout consuetudo locorum suadet.

7. Quoniam in locis missionum Hierarchia Ecclesiastica in dies constituitur (quod valde est laudandum), summopere opportunum est ut in Codice Iuris Canonici addatur pars illa quae « Ius Missionale » respicit, adeo ut ecclesiae missionum eiusdem gradus ac aliae considerentur.

8. Quia Instituta missionalia sine votis in dies augentur cum magno plausu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, optimum esset si in *C.I.C.* includeretur « capitulum » quoddam ad ipsorum specificam indolem denotandam.

III. *Circa disciplinam populi christiani*

1. Explicatio doctrinae christianae pro adultis in die Dominica obligatoria in ecclesiis paroecialibus reddatur, non obstantibus omnibus excusationibus adductis pro omissione; cursus augeantur sic dicti « di aggiornamento » sive catechistici sive apologetici diversis coetibus socialibus accomodati.

2. Scholae catholicae, etiam cum sacrificio pecuniario, in quibus instructio religiosa sit materia aeque principalis, multiplicentur.

IV. *Circa actuositatem multiplicis generis, qua hodie Ecclesia tenetur, etc.*

Facilius expeditiusque reddatur tractatio negotiorum ecclesiasticorum, tum in Sacris Romanis Congregationibus, tum in Curiis episcopalibus.

Commendatur ut qui Sanctam Sedem in diversis nationibus repraesentant amplioribus gaudeant facultatibus.

Superius (prout meo iudicio suggerere putavi) propositis, toto corde cum Sancta Sede sentio, atque damno schisma quod nunc in Sinis dolorem Sanctae Ecclesiae affert et unitati fidelium magnopere obstat.

Quotidie Deum adprecor pro Ecclesia Sinensi, speciatim pro mea dioecesi Hanciomensi, ut dignetur servare in fortitudine fidei fratres in persecutione degentes, atque redire concedat errantes ad ovile Summi Pastoris.

Firmiter credo hoc schisma, communismo, cito, ut aptatur, profligato, non late esse divulgandum, eo quod agitur, ut videtur, de illis fratribus et sacerdotibus (saltem permultis) qui fraude decepti vel gravissimis minis territi, gubernii athei in toto vel in parte suggestionibus indulserunt.

Maxima qua par est reverentia maneo et me profiteor

addictissimum

✠ IOSEPH MAGGI, P. I. M. E.
Episcopus Hanciomensis

8

EXC.MI P. D. IOSEPHI F. M. ROSÀ
Archiepiscopi Hancheuvensis (Hankow)

Chiampo, 24 luglio 1959

Eminenza Illustrissima e Reverendissima,

Il 13 luglio 1959 ho ricevuta la venerata lettera di V. Eminenza (N. 1 C/59-582) riguardante la communicazione del prossimo Concilio Ecumenico.

Mi dispiace assai dover notificare a V. Eminenza Reverendissima un particolare grave impedimento fisico, per cui mi è impossibile poter intervenire al Concilio.

Già nel febbraio 1957 fui colpito da una grave infermità: doppia polmonite con bronchite che mi obbligò a letto diversi mesi all'ospedale e poi in convento per tutto quell'anno. Non ancora ristabilito in salute i medici riscontrarono anche un infarto cardiaco, che mi causava e causa pur attualmente grande debolezza alle gambe, una accentuata aerofagia con relative conseguenze allo stomaco, nonchè indebolimento delle facoltà mentali che impedisce ogni seria applicazione. Solamente l'anno scorso ho potuto riprendere la celebrazione della Messa in privato e non sempre la recita del Breviario. Sono ancora sotto cura medica e passo i giorni ritirato in stanza e solo nel tempo estivo posso fare breve passeggio nell'orto.

Considerate quindi tali condizioni della mia salute, mi è impossibile intervenire al Concilio Ecumenico e ne chiedo a Vostra Eminenza Reverendissima la dispensa.

Frattanto, a norma dei canoni, spero poter trovare un procuratore che mi rappresenti al Concilio.

Riguardo ai voti ed osservazioni mie personali da proporre per il Concilio temo di non poterlo fare, data la difficoltà e la stanchezza nell'applicare la mente; la semplice lettura mi stanca presto.

Godo di cogliere l'occasione per congratularmi della elezione di Vostra Eminenza Reverendissima a Presidente della Commissione Antipreparatoria del Concilio e prego Dio che l'assista con aiuti copiosi e lumi celesti.

Si degni accettare i miei profondi sensi di stima ed ossequio, mentre al bacio della Sacra Porpora mi professo

di Vostra Eminenza Ill.ma e Rev.ma umile servitore
✠ GIUSEPPE F. M. ROSÀ, O. F. M.
Arcivescovo di Hankow

9

EXC.MI P. D. LAURENTII BIANCHI
Episcopi Sciiamchiamensis (Hong-Kong)

Hong Kong, die 20 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

En pauca, veluti « viduae duo minuta », quae, auditis quibusdam viris ecclesiasticis, Pont. Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, pro mea humilitate, in Domino submittere audeo. Varia sunt argumenta, et fortasse congruentius egissem si singula in foliis distinctis inscripta submittenda curassem ...

Defectu temporis prohibeor quominus fusiorem descriptionem redigam. Nuper enim ex Europa rediens, litteras Pont. Commissionis inveni, quibus responsum mittere ante primos mensis septembris dies invitabar.

Qua par est reverentia, omnia cunctaque fausta adprecans, me profiteor,

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus
✠ LAURENTIUS BIANCHI
Episcopus Sciiamchiamensis

Quaestiones omnes, sive dogmatico-morales, sive iuridicae, sive philosophicae, etc., atque sive generales sive particulares, quas Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae submittere audemus, omnes ex peculiaribus adiunctis huius Dioecesis, his nostris temporibus, originem et spiritum trahunt, prout quidem illas ad officium nostrum seu ad necessitates apostolatus inter Sinarum gentes praesertim pertinere, de Nobis tamen diffidentes, in Domino censemus.

I

A) Tempora et adiuncta hodierna in regionibus Orientis tribus his elementis praecipue, ni fallimur, moderantur, et colorem proprium accipiunt, scil. « Nationalismo », « Communismo » et « Materialismo » quos dicunt. « Nationalismus », cuius nostrum non est historiam causasque investigare, hodie post ultimum bellum nationes omnes et veteres et novissimas in Oriente funditus pervadit et exasperat; frequenter etiam adhuc intensius acuitur ob traditiones et mythos antiquae historiae at-

que praeteritae gloriae, haud raro etiam ob spiritum illum quo quidquid ad proprii generis (« razza ») traditiones religiosas, morales et humanisticas quoquo modo pertinet, exaltatur, quidquid vero alienum et extraneum est, fere a priori reicitur. — De « Communismo » autem superfluum videretur loqui: verum momentum et ingens vis politica Sinarum civitatis communisticae ignorari non potest, sicut nec licet praetermittere communistarum conatus systema suum longe lateque divulgandi, cum ex propinquitate Sinarum hi conatus non sine fructu sint, non solum in hac Dioecesi, praesertim inter iuniores et operarios ... — Quid tandem dicendum de « Materialismo » (materialismo scientifico, quatenus a Communismo distincto), quo practice inficiuntur publicae auctoritates civitatum etiam quae communismo obsistunt, necnon plures inter excultiores homines qui communismo contradicunt?

Ex his aliisque considerationibus indolis magis universalis, Nobis videtur summe convenire, immo necesse esse:

1) Ut Apologetica Christiana pro posse ad hanc nostram novae aetatis rationem adducatur, quatenus et quousque notiones et vocabula propria catholicae Theologiae et Philosophiae possunt linguis vernaculis hodiernis harum (et aliarum...) regionum exprimi et demonstrari, menti huius novae aetatis morem quousque convenit gerendo, utique illaesa quidem veritate et absque periculo perversionis doctrinae et principiorum nostrorum ... Habita etiam ratione, quatenus possibile, conceptuum philosophicorum et moralium cultiorum civitatum orientalium. Quatenus nempe et quousque huiusmodi peculiares conceptus, ab humana ratione — naturaliter christiana — decursu saeculorum acquisiti, possint rite comprehendi in vera Theologia et Philosophia catholica (ita ut saltem constet utrum verum sit necne huiusmodi comprehensionem uberiores notiones afferre posse vel esse allaturas in evolutionem doctrinalem catholicam — rite intellectam — necnon in praxim vitae christianae, et quidem quod ad gentes orientales attinet...).

(Varii conatus sporadici ad hunc finem usque modo positi non videntur magnos fructus obtinuisse, sed potius — ni fallimur — veluti « adulationis » species quaedam, ad captandos animos, a gentibus Orientis fuisse considerati...).

2) Ut clare et aperte exponantur catholica principia, in Philosophia et Theologia, de « opere » (Filosofia e Teologia del « Lavoro »): hodierna adiuncta politica, socialia et oeconomica hoc a nobis revera postulant, praecipue his in regionibus oeconomice minus evolutis, in quibus operarii (maior populi pars) fere semper et ubique usque ad extremum patientiae limitem opprimuntur ... His principiis inconcusse positis, facilius et fortius, ni fallimur, ex eis consectaria derivabuntur pro praxi ...

Hanc occasionem nacti, Patres Concilii denuo organice et aperte iterent principia illa iam pluries a Summis Pontificibus exposita de quaestione sociali, de salario familiali, etc. etc.

3) Ut sollemniter reaffirmetur status proprius et naturale momentum personae (hominis individui) necnon familiae in societate humana, consideratis ipsa humana natura, natura societatis, natura « operis », necessitatibus socialibus et oeconomicis, iuribus civitatis, necnon « totalitarismo » (quem dicunt) civitatum quarumdam, quae communismum non profitentur vel illi adversantur ... Huius aetatis mens maiorem « conscientiam socialem » ab unoquoque exigere videtur, sed quousque haec exigentia se extendere potest? ... Cum consectariis quae exinde procedunt, quoad naturam et obligationes iustitiae legalis, socialis, etc. etc.

Multa de his a Summis Pontificibus in Encyclicis et allocutionibus iam sunt pronuntiata; remanet et convenit ut principia et doctrinae in unum ac fusius redacta et sollemniter proposita, maiore diligentia et auctoritate edoceantur. His in regionibus, ut Christi regnum ad omnes et omnia se extendat, oportet ut Ecclesia (« Catholici ») aliorum magistri et duces sint doctrina simul et opere.

B) His positis, manifeste patet:

1) Quanta cura sit clerus indigena efformandus, non tantum in vera pietate in scientiis theologicis, philosophicis, socialibus, etc., sed etiam in scientiis traditionum, legum, philosophiae, etc. suae ipsius gentis, ita ut possint inexhausto zelo et omnibus mediis rationibusque concives ad Christi regnum adducere (non ut alienigenarum sectatores ...). Haec educatio atque « formatio » non potest ullo modo praetermitti, etiam si oporteat ad hoc ordinationes per aliquot annos differre ... Missionariorum exterorum opera evangelizationis, in quibusdam regionibus Orientis, probabilius gradatim coarctabuntur ...

Rationarium de cleri indigenae modo agendi in persecutionibus communistarum fortasse quaedam notatu digna indicabit.

2) Quanta cura doctrina et praxis apostolatus laici sint exponendae, evolvendae, applicandae ... Proinde: de natura et obligatione cooperationis ad apostolatum Hierarchiae, ad quam singuli fideles tenentur, eo ipso quod membra Corporis Christi Mystici sint; de fidelium (laicorum) Hierarchiae subiectione in his; de laicorum subordinata participatione etiam in auctoritate dirigendi, si quae sit, et quousque se extendat; an laicorum moderatio ex parte Hierarchiae in his possit excedere, veluti forma quaedam « totalitarismi » in rebus religiosis, vel « collectivismi » ex parte Ecclesiae, in favorem suiipsius, contra civitatis, societatis civilis necnon personae iura; an laicorum in moderatione participatio possit evadere in damnum Ecclesiae et apostolatus, in indebitam admix-

tionem rei politicae cum rebus spiritualibus; tandem, utrum quaedam apostolatus laici formae hodiernae per orbem iam satis divulgatae sint aliis preferendae et ad necessitates cuiusvis regionis conformandae... Aliis verbis, principia de apostolatu laico clarius et accuratius iterentur, simul componendo et elucidando quae a Summis Pontificibus de his iam sunt edita.

3) Ut mediis modernis ad apostolatum abundantius Ecclesia utatur: scholis, praelo, radio, televisione, cinematographo, etc.

II. *Varia*

1. Magnopere convenire ducimus ut fiat a Concilio sollemnis et maximam auctoritatem praeseferens iterata proclamatio quorumdam dogmatum et veritatum, quae fere in desuetudinem apud nonnullos auctores, concionatores, etc., pedetentim viderentur dicenda advenisse, ut, vgr.:

a) de inferno, eius existentia, aeternitate et poenis;

b) de purgatorio, eius existentia et poenis;

c) de virtute iustitiae, in genere, necnon de iustitia sociali (cf. supra) in specie... etc.

Emphatice frequenter invehitur contra peccata et vitia de sexto decalogi praecepto — quod quidem rectum est, et faciendum, et quidem ex officio, etc. — sed et saepe obligationes iustitiae et caritatis praetermittuntur... Unum facere et aliud non omittere.

2. Utrum conveniat in textibus Theologiae Moralis:

a) magis attendere ad praxim pastoralem et animarum directionem, quam ad casisticam, et ad illud *minimum* quod cuique liceat facere vel omittere ne animam suam perdat;

b) maiore intentu ad inventa scientiae medicae et psychologicae animadvertere, quod attinet ad actus humanos, ad effectus hereditatis, ad inclinationes sexuales, ad hypnotismum, etc., potius quam ad repetitionem opinionum quae iam obsoleverunt;

c) fusius ea exponere quae ad scientiam socialem spectant.

3. Quod attinet ad Matrimonium, enixe quaesumus:

a) Ut clare definiatur quaenam auctoritati civili competat, ex lege, traditione, etc., potestas in matrimoniis non baptizatorum; accurata requiritur definitio, ad auferendas quaestiones, dubia, obstacula in praxi, quae his in regionibus haud raro prope innumera hac de re exsurgunt pro catechumenis et eorum prole;

b) Ut edantur clariores instructiones et applicationes quod attinet ad usum privegii sive « paulini » sive « petrini » (inclusis variis Const. Apost. de quibus in can. 1125);

c) Ut, quatenus possibile et conveniens, simplificentur impedimenta matrimonialia iuris ecclesiastici, et ab iis eximantur acatholici baptizati;

d) Ut ad praesentis temporis mentem moresque accommodentur « causae canonicae » pro dispensationibus matrimonialibus;

e) Ut accuratius exponantur principia et praxis licita fidelibus, quod attinet ad prolis limitationem ...

4. Ut ad praesentis temporis mores et ad mutatae conditionis socialis adiuncta accommodentur praecepta *de operibus servilibus* diebus dominicis et festis de praecepto servanda; nova scil. detur definitio de operum servilium natura, inter praecipuas prohibitionis rationes intentionem vel etiam factum « lucri » acquirendi constituendo, « honestam autem recreationem » inter illas quasdam permittendi quae hucusque interdicebantur ratione « servilitatis »... etc.

III. *De Ordinario loci*

Valde conveniens et in praesentibus fere necessarium ducimus ut Ordinarii loci auctoritas (iurisdictio) quod attinet ad Ordines et Congregationes clericales (relate scil. ad sacerdotes regulares et religiosos etiam exemptos) canonice augeatur:

1) Ita ut Ordinarius loci possit, per tramitem quidem Superiorum localium, huiusmodi sacerdotes religiosos qui apti sint, arcessere et etiam compellere ut in cura animarum adiuvent, quoties, pro suo prudenti iudicio, numerus vel qualitas sacerdotum saecularium in Dioecesi vel in determinata quadam paroecia ad curam illam rite gerendam non sufficiat;

2) Ita ut Tertii Ordines et Piae Fidelium Associationes, si quae sint quae a Regularibus vel Religiosis exemptis in Diocesi moderentur, sub Ordinarii loci iurisdictione plenius constituantur, et fiat unitas directionis et inde facilior cooperatio inter varias formas apostolatus laici, ad assequendos fines sive particulares sive generales ...

3) Ita ut Ordinarius loci possit temperare, coarctare et etiam, si casus ferat, prohibere quaedam religiosorum opera externa, quae quidem praesentantur velut exercitium piorum operum religionis (quae religioni sunt propria), de facto autem praesertim vel unice ad lucrum captandum sunt instituta, et in damnum — ex infida aemulatione — operum eiusdem generis, quae a Dioecesi directe exercentur ...

4) His in regionibus haud raro iuvenes inveniuntur qui desiderant statum religiosum ingredi, non quidem — ut experientia constat — ex vera vocatione ad statum religiosum, sed potius ex motivis huma-

nis, ut v. gr.: ex maiore securitate oeconomica, ex vita magis ordinata, minus onerosa in statu religioso quam in statu sacerdotii saecularis ... (« Religiosi vota emittunt, sacerdotes saeculares servant! »). Utrum Ordinario loci competat auctoritas aliquo modo huic rerum conditioni remedium praebendi, et quodnam remedium ...

IV. *De re liturgica*

1. In votis est ut « Codex Liturgicus » edatur — ad instar Codicis Iuris Canonici — in quo quidquid de re liturgica decretum fuerit, seu potius quidquid servandum est, necnon Ecclesiae mentem quoad res liturgicas omnes systematice et clare proponantur... Huiusmodi Codicis Liturgici necessitas est revera urgens et maximi momenti.

2. Severioribus legibus et normis Nobis moderandae et coërcendae videntur quaedam « devotiones populares » — ubique terrarum novae in dies pullulant et crescunt — quae in damnum verae pietatis et fidei cedunt, quae et haud raro superstitionem sapiunt et scandalum ipsis paganis praebent... Huiusmodi devotiones accidit aliquando a quibusdam e clero et laicatu catholico faveri, non religionis sed lucri causa.

3. Harum regionum adiuncta, mores mentemque cum nostris sacerdotibus commentati, censemus in Domino non convenire diaconos (sive non uxoratos, sive et praesertim uxoratos) instituere: huius institutionis incommoda longe commoda excederent ... Insuper, his in regionibus, huiusmodi institutio practice aequivaleret, nostro quidem fallibili iudicio, institutioni alicuius formae « nepotismi » fere hereditarii...

4. Re diligenter in Domino perpensa, Nobis non videtur nimias concessiones esse elargiendas quod attinet ad usum linguae vernaculae in celebratione s. Sacrificii et in confectione et administratione sacramentorum, exceptis partim baptismo et matrimonio ... Huiusmodi concessiones, nostro iudicio, cum ad essentiam cultus liturgici attingant, militarent, contra unitatem, universalitatem et supra-nationalitatem Ecclesiae Catholicae ... Concessiones tamen fiant quod attinet ad sacramentalia et ad alias actiones liturgicas, si convenientes iudicentur.

V.

Ut definiatur dogma de universali mediatione gratiarum a Beata Maria Virgine.

✠ Laurentius Bianchi
Episcopus Sciiamchiamensis

10

Exc.mi P. D. IOANNIS B. VELASCO
Episcopi Sciiamenensis (Hsíamen)

Manila, die 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Obsequentissimo gratoque animo litteras Dominationis Vestrae (Prot. N. 1 C/59-597), circa medietatem mensis iulii, accepi in quibus enixe me rogatis ut breviter exponam quidquid, meo iudicio, in futuro Oecumenico Concilio tractari posset. Honore tam singulari alte permotus necnon rei gravitatem atque momentum plane noscens divinoque auxilio diuturnis precibus implorato, in foliis separatis, Vestro iudicio validiori aliqua puncta et argumenta humiliter submitto.

Omni qua par est observantia et reverentia

maneo addictissimus
in Christo servus
✠ Ioannes B. Velasco, O. P.
Episcopus Sciiamenensis

I. *De re Dogmatica*

Licet forsitan plures sint qui ferventer exoptent ut doctrina de B. V. Mariae universali mediatione quamprimum dogma fidei definiatur, nobis videtur in adiunctis hoc non tam opportunum apparere si unio tam desiderata Christianorum sectarum dissidentium cum Romana Ecclesia prae mente habeatur ...

II. *De Episcopis*

Habita ratione ad continuum in toto mundo incrementum in numero catholicorum proindeque in Romana Curia cuiuscumque generis negotiorum, forsan optandum esset ut Episcopi dioecesani maiori ordinaria auctoritate amplioribusque facultatibus gauderent, ita ut non nisi in paucis gravissimisque casibus tenerentur obligatione recurrendi ad Sedem Apostolicam. Saepe saepius accidit ut temporis dilatio, quae semper habetur in huiusmodi recursu, in damnum spirituale vertitur animarum. Ne tamen ex hac innovatione oriatur periculum minus de suprema Sanctae Sedis auctoritate sentiendi, teneantur Episcopi frequenter ra-

tionem reddere de usu illarum extraordinariarum facultatum. Alia, forsan, solutio esset, pro casibus de quibus agimus, ut ubi in Iure Canonico legitur « pro hoc vel illo recurratur ad Sedem Apostolicam », mutetur in « pro hoc vel illo recursus fiat ad Nuntiaturam vel Delegationem Apostolicam cuiusque nationis seu territorii ». De cetero ubi casus sint difficiliores Episcopi, onerata eorum conscientia, recurrere semper debeant ad Sanctam Sedem. Omnia illa quae in Lib. IV Iuris Canonici, *De Processibus,* immutata manere debent.

III. *De Clericis*

a) De Clero dioecesano seu saeculari:

1) Optandum esset ut ante promotionem ad sacerdotium candidati pactum cum suo Episcopo inirent in quo illi serio promitterent *omnia bona seu emolumenta, sive ex* sic dicto *iure stolae sive ex servitio ecclesiae provenientia* (exceptis Missarum manualium stipendiis aliisque donis intuitu personae oblatis), *integra suo episcopo tradere.* Episcopus vero sese obligaret, ad providendum candidato de decenti victu et vestitu, atque de aliis auxiliis tam in sanitate quam in infirmitate et senectute. Huiusmodi innovatio Episcopis et Sacerdotibus aeque faveret. Episcopis quidem, quia, ex ista quasi centralizatione et mediorum viriumque coadunatione, dioeceses haberent maiores melioresque facilitates oeconomicas ad cappellas, ecclesias, domus paroeciales etc., sive reparandas, sive ampliandas vel construendas. Inde multo facilius ad bonum commune provideretur ... Sacerdotibus omnibus innovatio, de qua nunc, faveret dum de eorum oeconomica securitate, tam in sanitate atque infirmitate quam in senectute congruenter provideret.

2) Ad hoc ut vita sacerdotum in omnibus exemplum vivum sit pro fidelibus et non fidelibus nimia libertas, qua hodie gaudent, restringenda esset ita quod tam in habitu quam in omnibus aliis dignitas atque sanctitas status sacerdotalis magis praeemineret. Et hoc etiam in licitis et honestibus, iuxta illud Apostoli: « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt » (*I Cor.,* 6, 12). Expedit quidem ut detur plana ac manifesta differentia inter sacerdotes — saeculares atque regulares — et laicos etiam pios. Minus atque minus haec differentia datur ...

b) De clero regulari:

1) Forsan oporteret ut sic dicta Religiosorum exemptio, vel absolute abrogaretur, vel privilegia ex illa emanantia suspendantur ubi et quando religiosi in paroeciis, in missionibus et in aliis muneribus, ipsis ab Episcopo concreditis, laborant... Multoties libertas actionis necnon unio virium in munere pastorali Episcoporum graviter minuitur et in-

firmatur ob illam quasi *dualitatem* regiminis in Religiosorum exemptione implicitam ...

2) Prae mente habentes Ecclesiae Unitatem, quae primum locum obtinet inter essentiales verae ecclesiae notas, necnon temporum hodiernorum conditiones, a saeculis praeteritis sat diversas, optandum esset ut omnes uno Romano ritui sese accomodarent, aliis suppressis in Ecclesia Latina. Uniformitas etiam in *habitu* externo religiosorum forsan opportuna videtur, praesertim in territoriis missionum ...

IV. *De re disciplinari*

1. Moderatio quaedam desideratur ne in infinitum multiplicentur populares devotiones, praesertim in locis vel nationibus ubi ignorantia religiosa magis grassatur, ne fideles propter novas devotiones, ut saepe vidimus, a traditionalibus maximique momenti devotionibus erga Sanctissimam Trinitatem, D. N. Iesum Christum in mysteriis Incarnationis, Crucis et Eucharistiae, erga Spiritum Sanctum, Beatissimam Virginem etc. paulatim, sensim sine sensu, discedant.

2. Motus sic dictus « Pro Mundo Meliori » confusionis potest esse origo in mundo catholico. Quare? Motus ille nihil aliud in re videtur intendere nisi quod Religio nostra iam a suo Divino Fundatore iam intendit, nempe renovationem et regenerationem totius mundi. Quid novi? Nonne admittenda est quasi nova ecclesia intra Ecclesiam? Aliter dicendum esset si motus ille sub novo quodam Religioso Instituto ad hunc finem fundatum laborare intenderet.

3. Aequiparatio declaretur inter leges morales et disciplinares quoad earum in conscientia obligationem, servatis servandis circa gravitatem iuxta principia in Theologia Morali edocta. Leges disciplinares dicimus quae a Romano Pontifice, ab Episcopis, Synodis Dioecesanis, etc. promulgatur ...

4. Strictiores planioresque normae promulgentur ad vitandum periculum ne traditionalis Theologia Moralis in praxi in Casuisticam convertatur seu mutetur. Privata principiorum Theologiae Moralis libera interpretatio et ad praxim applicatio severa indiget coarctatione seu limitatione. Circa moralitatem, ex. gr., chorearum, repraesentationum cinematographicarum etc. firmas planasque normas promulgare omnino necessarium existimamus. Saepe saepius accidit nunc ut in eadem civitate sacerdotes et confessarii de earum liceitate ac moralitate diversimode sentiant, et hoc cum admiratione, immo cum scandalo fidelium ...

5. Non tantum in missionum territoriis sed et in toto mundo nationalismus exaggeratus in damnum spirituale animarum vertitur. Valde

utile, immo necessarium, existimamus ut a Supremo Ecclesiae Magisterio solida sanaque doctrina fidelibus patefiat circa verum validumque nationalismum.

6. Manifeste apparet quod, praesertim ab ultimo bello et universali Communismi periculo, apud nostros sacerdotes et fideles maior quasi spiritus mutuae intelligentiae et « transigentiae » cum non-fidelibus cuiusque generis existit. Hoc, etsi prima facie, esse optimum, ad vires coadunandas contra commune inimicum, appareat, re tamen periculis non caret si paulatim, ut saepe accidit, « transigentia » illa etiam terminos fidei et morum tangat ... « *In necessariis unitas,* in dubiis libertas et in omnibus caritas » (S. Augustinus). Traditionalis Ecclesiae « intransigentia » in rebus fidei ac morum totis viribus sustinenda est ...

V. *De re liturgica*

a) Ritus et Caeremoniae in Baptismo Adultorum, in Consecratione Ecclesiarum et Altarium etc. forsan aliquantulum abbreviandae essent ad fovendam fidelium devotionem, assistentiam et attentionem ...

b) In administratione Baptismi omittatur caeremonia « ... Sacerdos pollice *accipit de saliva oris sui* » ac loco eius sic fiat atque legatur: « Postea Sacerdos pollice tangit aures et nares etc. ».

c) In administratione Sacramentorum praeter Ritualem Romanum nullibi liceat alio uti in Ecclesia Latina.

d) Forsan utile esset ad excitandam devotionem fidelium ut in administratione Sacramentorum Baptismi, Matrimonii, Confirmationis atque Extremae Unctionis lingua vulgari, non latina, uteretur ...

✠ Ioannes B. Velasco, O. P.
Episcopus Sciiamenensis

11

Exc.mi P. D. CAROLI WEBER
Episcopi Iceuvensis (Ichow)

Maria Rosenberg, die 1 decembris 1959

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Aegrotus fui per plures menses. Quare non nisi hoc mense potui componere vota mea, quae Eminentiae Vestrae humillime transmitto.

Nec habeo sigillum episcopale, quia omnia mea rapta et destructa

fuerunt a communistis et ego ipse expulsus sum postquam detentus fui in carcere per 26 menses.

Sed quotidie oro et offero pro successu quam maximo Concilii venturi persuasus, quod Gratia Spiritus Sancti velit tandem omnia illa perficere, in quibus humana facultas usque huc defecit.

Eminentiae Vestrae
humillimus servus et confrater
✠ CAROLUS WEBER
Episcopus Iceuvensis

Clare enuntietur *Ecclesiam* esse congregationem fidelium baptismate sanctificatorum, potestates vero hierarchicas conditas esse in servitium fidelium et episcopum non esse administratorem tantum, sed pastorem animarum.

De *doctrina christiana* dicatur eius finem non esse, ut multitudo conceptuum et doctrinarum memoriae imprimatur, sed ut evangelium Regni Dei annuntietur et gaudium Spiritus Sancti de divina bonitate in cordibus fidelium accendatur. Servetur autem ius episcoporum approbandi catechismum.

Ut Deo in *cultu divino* digne et laudabiliter a fidelibus serviatur, id agatur ut fideles non ut muti spectatores sacris intersint, sed respondendo, cantando, orando actuose participent. Cum unitas Ecclesiae magis promoveatur communi prece quae ab omnibus intelligitur quam verbis communibus quae non intelliguntur, *lex linguae* latinae ita restringatur, ut fideles etiam in Missis quae in cantu celebrantur in sua lingua lectiones audire et cantica cantare possint.

Cum Missae sacrificium per se non sit officium privatum, ubicumque plures sacerdotes simul congregantur, debitis sub cautelis concedatur *concelebratio,* cuius ritus tamen non sit idem ac in Missa ordinationis.

Saltem pro clero in cura animarum laboranti *Breviarium* ita reformetur, ut non sit onus, sed nutrimentum spirituale. Ideo eius structura, servata in quantum fieri potest traditione, ita mutetur, ut magis conveniat privatae recitationi quam choro monachorum. Psalmi apte seligantur. Preces pro Ecclesiae necessitatibus restaurentur. Loco lectionum minutarum toties recurrentium praescribatur lectio spiritualis ex S. Scriptura et ex libris spiritualibus, quorum canon ab episcopis singularum nationum statuatur et suo tempore revideatur. Et sacerdotibus lingua latina non bene versatis permittatur uti lingua vernacula.

✠ CAROLUS WEBER
Episcopus Iceuvensis

12

Exc.mi P. D. IOSEPHI I. OSTE

Episcopi Geholensis (Jehol)

Hong Kong, 9 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Tardius quam oporteret, haesitanter mitto ea quae scripsi tamquam responsiones ad litteras Eminentiae Vestrae, datas die 18 iunii 1959.
Dignetur Eminentia Vestra me excusare et benedicere.

Humilis servus in Christo
✠ Ioseph J. Oste, C.I.C.M.
Episcopus Geholensis

Proximum Concilium Oecumenicum cuius specialis scopus videtur esse obtinere ut fiat « Unum Ovile et Unus Pastor », convocatur precise eo tempore quo pars gregis, machinationibus inimicorum Ecclesiae et Dei, violenter separatur a Pastore, et quo timetur quod aliae partes gregis in eo sint ut in periculum defectionis ab Ecclesia inducantur. Materialismus atheus enim invadit mundum. Magna pars humanitatis iam est sub dominio communistarum, qui insuper in regionibus adhuc liberis ubique habent sequaces qui ibi praeparant adventum communismi. Innumerabiles sunt homines qui metuunt communismum sed de facto cum communistis collaborant ad spargendum materialismum et inter eos inveniuntur permulti christiani: materialistae practici, amatores saeculi, mundani qui in mundo suum finem ponunt et suam felicitatem quaerunt, fere nihil curantes de gloria Deo procuranda neque de felicitate aeterna merenda. Illi spiritui materialistico, mundano qui ubique penetrat, opponendus est spiritus christianus, spiritus caritatis supernaturalis, spiritus Christi qui solus potest renovare faciem terrae.

Oportet quod illi qui iam sunt membra corporis mystici Christi, spiritum Christi in se ipsis purum conservent et sinant se duci ab illo spiritu. Oportet quod omnes activitates apostolatus a spiritu Christi vivificentur. Hodiernis temporibus activitates ministerii pastoralis fiunt in dies exactiores; pro apostolatu continuo proponuntur novae methodus, nova media technica, nova instrumenta; videtur praevalere spiritus innovationis, multi putant quod nunc aliter faciendum quam usque huc factum fuit. Aliquando innovationes sunt faciendae; possumus et debe-

mus uti novis inventionibus utilibus ad apostolatum, novis methodis etc. Sed non possumus indiscriminatim admittere omne novum et reiicere omne antiquum. Methodus a Christo commendata et in decursu temporum a sanctis usitata manet semper efficax. In moderno apostolatu forsan nimia efficacitas tribuitur mediis mere naturalibus et materialibus, cum consequentia quod gratia et media supernaturalia ad gratias obtinendam non sufficienter aestimantur. Periculum est quod quis tales et tantas activitates exteriores, etiam non stricte religiosas in se assumit, quod totus in illis, suam propriam vitam interiorem negligit cum detrimento apostolatus. Ut quis possit sanctificare alios debet in primis se ipsum sanctificare; ut quis possit alios adducere ad Christum, debet ipse intime coniunctus esse cum Christo.

Sanctitas membrorum Corporis mystici Christi est prima conditio ut corpus mysticum dilatari possit et ad se attrahere illos qui nondum sunt membra vel sunt membra separata. Praesertim sanctitas ministrorum Christi est maxime necessaria. Unusquisque sacerdos, cum sit alter Christus, debet cum Christo dicere: « Pro eis sanctifico meipsum ». In lucta contra materialismum, memores simul verborum Christi: « Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi per orationem et ieiunium ». Omnis apostolatus debet fecundari per gratiam, quae obtinetur oratione et paenitentia.

Ut fiat unum ovile et unus Pastor, omnes, intra et extra ovile debent audire vocem Pastoris, vocem Christi. Evangelium praedicandum est tale quale a Christo praedicatum fuit et cum spiritu Christi, ita ut auditores realiter alterum Christum audiant et videant. Quales virtutes Christus in ministris suis desiderat, Ipse clare indicavit in Evangelio; debemus continuos et serios conatus facere ad has virtutes acquirendas et colendas.

Seminaria et domus formationis religiosae, ubi iuvenes educantur ad sacrum ministerium et apostolatum exercendum, debent primo esse scholae sanctitatis, ubi solida fundamenta vitae interioris, vitae unionis cum Christo ponuntur. Pro illis scientia sanctitatis est maioris momenti quam aliae scientiae. Optandum est quod formentum specialistae in variis scientiis sacris et etiam profanis, sed non omnes debent esse specialistae: scientia autem practica sanctitatis necessaria est omnibus et pro tota vita. Praesertim in primis annis vitae activae, sacerdotes et religiosi adiuvandi sunt et dirigendi ut bonum spiritum Christi durantibus annis formationis haustum, conservare valeant et consolidare. Nonnumquam enim videtur quod aliquid illius boni spiritus in mundo deperdunt et ipsi paulatim fiunt nimis mundani. « Si sal evanuerit in quo salietur? ».

Ut fiat unum ovile et unus Pastor, oportet quod Ecclesia Catholica sit sancta et immaculata et in suis membris et ministris sancta et immacu-

lata appareat omnibus, praesertim eis qui sunt extra Ecclesiam; oportet quod omnia membra per caritatem coniuncti sint inter se et cum Capite; oportet quod christiani laici cum hierarchia active collaborent. Apostolatus laicorum est vera necessitas: pro Ecclesia, ut missionem praedicandi Evangelium efficaciter adimplere valeat; pro individuis ipsis, ut possint esse veri christiani, nam qui negligit apostolatum negligit obligationem ad quam ut christianus tenetur. Orator fit, poëta nascitur, apostolus baptizatur; et omnes qui baptizantur, baptizantur apostoli. Per baptismus enim quis incorporatur Corpori mystico Christi, fit membrum corporis Christi. Unumquodque membrum debet cum Capite sollicitum esse pro aliis membris et pro toto corpore: ut totum corpus mysticum bene valeat et crescat. Sic omnis bapizatus est per se apostolus, saltem in potentia; ut fiat etiam apostolus in actu, hoc multum pendet ab Ecclesia, a ministris Ecclesiae quorum curae commissus est. Propterea doctrina de corpore mystico est maximi momenti, et clare elucidanda est pueris catholicis et catechumenis adultis baptizandis, saltem occasione praeparationis ad Confirmationem, si antea non factum fuit. Per sacramentum Confirmationis christianus de novo et magis formaliter assumit officium apostolatus, ascribitur militiae Christi et Ecclesiae. Omnis christianus qui bene intelligit doctrinam Corporis mystici et eam doctrinam vivit est necessario apostolus, si dirigitur a sacerdote qui ipse est verus apostolus.

Forsan, praesertim in missionibus, aliquando qualitas Christianorum aliquantum negligitur pro quantitate. Periculum est quod inter eos qui citius baptizantur, habentur qui non sufficienter praeparati sunt ad ducendum vitam vere christianam et, data aliqua occasione, v. g. mutatione domicilii, etiam citius deficiant.

Interdum quaeritur: Quid magis importat, curam habere gregis christiani vel convertere eos qui nondum pertinent ad gregem? Oportet illud facere et hoc non omittere. Si alicui parocho vel missionario deest tempus ad utrumque agendum, non potest negligere eos qui sunt intra ovile pro eis qui sunt extra. De coetero formare fervidos christianos est primum medium ad promovendum apostolatum intra et extra gregem. Paroecia enim vel christianitas fervida per solum exemplum exercet apostolatum fructuosum; in paroecia fervida associationes piae et actionis catholicae prosperant numero et zelo vere apostolico membrorum; et vocationes ad statum clericalem et religiosum in maiore numero oriuntur.

Queritur quod fere ubique vocationes, numero minuuntur et etiam quod sunt minus stabiles, ita ut vocati, saepius quam antea, non perseverent. An hoc non est signum quod materialismus, spiritus mundanus iam contaminavit familias christianas, iuventutem christianam. Sunt

iuvenes qui abutuntur libertate quae eis in maiore gradu nunc conceditur in collegiis et scholis catholicis, et parentes non sat curant.

Spiritus christianus familiarum christianarum renovandus est et firmandus. Pastor debet cognoscere oves et oves debent cognoscere pastorem. Propterea pastor frequenter visitet familias eius curae commissas, ad exhortandum, consolandum, defectum aliquem citius corrigendum, providendum bonae educationi puerorum etc. Pastor et grex sint unum ut bonum totius gregis procuretur.

Invigilandum est ut associationes actionis catholicae spiritum apostolicum purum conservent et semper maneant sub directione Hierarchiae. Inter varias formas actionis catholicae, Legio Mariae est certe valde commendabilis quia Legio Mariae in primis sollicita est de sanctificatione membrorum; quia est vere supernaturalis et humilis, scit quod sine Christo nihil potest facere et praeparat apostolatum per orationem; operatur ad ductum Mariae quae caput serpentis contrivit et in omnibus confidit auxilio Mariae; est plene submissa Hierarchiae et parata ad omnem activitatem apostolicam ad nutum Hierarchiae.

Accusationes contra Ecclesiam Catholicam in Sinis et alibi a communistis prolatae nos invitant ad maiorem adhuc prudentiam, ne nec minimam quidem occasionem demus ad tales accusationes faciendas. V. g. Ecclesia et ministri Ecclesiae numquam se immisceant in rebus politicis. Missionarii extranei habeant sacerdotes indigenos ut confratres et aequales, et eos debita veneratione et caritate tractent; sint miter et humiles in omnibus relationibus cum populo quem evangelizant; bene calleant linguam huius populi.

Melius videtur quod inde abhinc, in quantum fieri potest, in omnibus missionibus missionarii extranei partes agant cooperatorum et auxiliarium cleri indigenae, cui directio Ecclesiae localis concreditur.

Optandum est ut lingua Latina ubique conservetur ut lingua liturgica, saltem pro liturgia Missae. Ut studium linguae latinae promoveatur in seminariis et in institutis religiosis clericalibus. Est vinculum unionis.

Optandum est ut in regionibus ubi vestis talaris non portatur, praescribatur habitus ecclesiasticus bene determinatus. Signum externum unionis. Clerici et religiosi fideliter observent ea quae a Iure Canonico et ab Ordinario loci in quo degunt statuta sunt de habito ecclesiastico, de conversatione cum mulieribus, de spectaculis publicis etc.

Doctrina matrimonialis quae agit de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis videtur intricata, minus practica et interdum, post factum, locum dans dubiis circa validitatem matrimonii (saltem in Sinis). In multis casibus timetur quod, si dispensatio non datur, matrimonium etiam sine dispensatione contraha-

tur, invalide et cum scandalo. Sed si coniuges taliter dispositi sunt, ut, si necesse est, matrimonium sine dispensatione contraherent, qualis certitudo habere potest de cautionum implemento, praesertim a parte coniugis acatholici? Praesentatio cautionum, a coniuge acatholico saepe habetur ut aliqua formalitas, ad quam hic et nunc tenetur, sine consequentia pro futuro. Nonne sufficeret si solus coniux catholicus cautionem praestat de universa prole catholica tantum baptizanda et educanda, et coniux acatholicus coniugi catholico plenam libertatem promittit ad adimplenda officia suae religionis? Idem effectus obtineretur, facilius et cum maiore securitate. In omni casu maxime importat quod pastores animarum sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant, et quod cum coniuge catholico prudenter conversiones coniugis acatholici curent.

Certe habentur plures leges et dispositiones Iuris Canonici, pro quibus aliqua reformatio videtur desiderabilis.

Discipulis Christi, praesertim religiosis et ministris Christi qui natus in stabulo, pauper vixit et manibus laboravit in humili domo Nazarethana, dum evangelium praedicaret aliquando non habuit ubi caput reclinaret, et despoliatus mortuus est in cruce, commendatur evangelica simplicitas et paupertas.

✠ IOSEPH J. OSTE, C.I.C.M.
Episcopus Geholensis

13

EXC.MI P. D. CAIETANI POLLIO
Archiepiscopi Chaefomensis (Kaifeng)

Eminentissime Domine,

Magno cum gaudio nuntium accepi de institutione Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico ex auctoritate Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis.

Placitis Commissionis Antepraeparatoriae per litteras N. 1 C/59-659 diei 18 iunii 1959 mihi missas humiliter obtemperans, haec quae utilia mihi videntur esse pro Ecclesia universali iudicio huius Commissionis submitto.

1. *Doctrina communistarum* atheistica et materialistica, pluries a Pontificibus reprobata, rursum a Plenario Concilio Oecumenico sollemniter damnetur.

2. Etsi quidam arbitrentur abolendum esse *coelibatum ecclesiasticum,* ut sic (aiunt) facilior reddatur reditus ad Ecclesiam ministrorum protestantium, lapsi corrigantur et ulteriora scandala vitentur, mihi tamen persuasissimum habeo servandum esse coelibatum ecclesiasticum, tum quia ex ipso provenit magnus splendor cleri ubique terrarum, tum quia sacerdotes, ab omni terrenarum cura soluti, omni diligentia se tradere valeant suo muneri, tum denique quia sine caelibatu sacerdotali ministerium ad genus cuiuslibet aliae professionis reduceretur.

3. Sicut in mixtae religionis nationibus sacerdotes deferunt sic dictum *clergyman,* sic in locis missionum, et si possibile est etiam ubique terrarum, adhibeatur idem clergyman, dum habitus ecclesiasticus (vestis talaris) induatur in loco sacro atque in functionibus liturgicis. Color vero potest esse albus vel niger, iuxta consuetudinem locorum et necessitates.

4. Eadem *vita communis sacerdotum,* quam religiosi per orbem degentes et sacerdotes in Statibus Foederatis Americae agunt, imponenda videtur omnibus ubique sacerdotibus ob utilitates permultas: v.g. ad bonum aemulatio, saedulitas ad officium implendum, necnon ad minuenda pericula praesertim nepotismum.

5. Item in communi congerendi essent *redditus paroeciales,* cuius unica administratio fiat sub Curiae episcopalis vigilantia. Ex cassa communi sumatur congrua retributio menstrua pro parocho et sacerdotibus, ut fit in U.S.A.

6. In universalis Ecclesiae Liturgia omnino servandus est *usus linguae latinae,* quae est signum unitatis. Lingua autem vernacula adhiberi potest in missis dialogatis, in administratione baptismatis, in renovatione promissarum baptismi in sabbato sancto, in functionibus paraliturgicis,etc.

7. Opportunum duco ut in Codice Iuris Canonici inseratur *liber specialis de re missionaria,* ex aliis libris et titulis hanc rem respicientibus collectus, cum additione eorum quae statuta sunt ab aliis Conciliis Plenariis. In hoc iuris missionalis libro titulus adsit in quo speciales indoles et constitutio illorum Institutorum missionariorum sine votis, quae in dies augentur, clare ordinateque denotentur.

8. Ad *inopiam sacerdotum* in multis nationibus suppeditandam, conveniens fortasse erit quod Ordinarii illorum locorum ad sacerdotium promoveant viros probatae vitae, quorum tirocinium studiorum quoad disciplinas et tempus ad dimidium contrahatur. Sacerdotes isti paroecias vel quasi-paroecias ruri vel ad montes positas regere vel coadiutoris munus in amplioribus paroeciis exercere possunt.

9. Quo expeditior reddatur tractatio negotiorum ecclesiasticorum

in Sacris Romanis Congregationibus, opportunum esset ut Romani Pontificis *Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici amplioribus gauderent facultatibus.*

10. Propono denique ut omnibus et singulis sacerdotibus, rite adprobatis, facultas concedatur a iure sibi invicem confitendi in toto orbe terrarum.

Maxime qua par est reverentia me profiteor

addictissimus in Domino
✠ Caietanus Pollio
Archiepiscopus Chaefomensis

14

Exc.mi P. D. PETRI S. VALENTIN
Episcopi Camtimensis (Kangting)

Venerabiles Patres Concilii,

Exultante animo, Concilii Oecumenici proxime habendi nuntium excepi; ad eiusque felicem exitum promovendum humiliter ac ardenter Spiritus Sancti divinum auxilium imploro.

Vertente anno quinquagesimo secundo, eiectus e Sinis semi-vivus, reversus sum in Galliam ubi per viginti circiter menses in diversis hospitalibus sub cura medicorum et chyrurgicorum manere debui. Post hoc autem veni in Sanatorium Sancti Raphaëlis ubi hucusque vix sustineo flatus spiritum.

Nolite mirari, Venerabiles Patres Conciliarii, fateor quod propriis mediis vix has paucas Litteras exarare valeo. Etenim exhaustae sunt vires mentis et corporis. Maneo tandem Vobis unitus et orationis et sacrificiorum ministerium praestabo apud Deum singulis diebus donec opus Concilii perficiatur.

Iuxta tamen Vestrum Consilium, in quantum ecclesiastici invitari poterunt prudentes et periti in quaestionibus in Concilio Oecumenico tractandis, libenter eorum consultationes remittam.

Humillimus Frater in Domino
✠ Petrus S. Valentin
Episcopus Camtimensis

15

Exc.mi P. D. CAIETANI MIGNANI

Episcopi Chinganensis (Kian)

Beatissime Pater!

Die octodecima m. iunii decurrentis anni, epistolam accepi (Prot. N. 1 C/59-677) Eminentissimi Domini Cardinalis Tardini, a Secretis Status Sanctitatis Vestrae, et Praesidis Commissionis Antepraeparatoriae « pro futuro Concilio Oecumenico », mihi significantis Sanctitatis Vestrae desiderium cognoscendi ante omnia « opiniones seu sententias » atque colligendi « consilia et vota » Episcoporum et Praelatorum qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur (can. 223): ea autem maxime exstabunt utilitatis pro Concilii argumentis apparandis », et rogantis ut — per praedictae Commissionis Antepraeparatoriae tramitem — omni cum libertate et sinceritate innotescant animadversiones, consilia et vota quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum mihi suggesserint circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

En, Beatissime Pater, humiles animadversiones, opiniones et vota, quae promit novissimus filius Vester (Missionarius in Sinis ab an. 1923; Episcopus Coadiutor de Kian ab a. 1933; Vicarius Apostolicus ibidem ab anno 1933; primus Episcopus ibidem ab anno 1946, indeque mense iunio a. 1951 expulsus) et ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliare audet.

I. *Animadversiones*

Die 12 mensis octobris anni 1924 Summus Pontifex Pius XI f. m. Celso Costantini, Delegato Apostolico in Sinis, celebrem dirigebat Epistolam « De primo Plenario Concilio Sinensi feliciter peracto »; in qua Sanctus Pater suum Deo gratissimum animum exprimebat ob arctissimam omnium eiusdem unionem in unitate fidei et in vinculo caritatis Christi, quae praecipua fuit causa magnifici operis sic absoluti et uberrimos fructus despondentis.

Scribit in specie:

« Memorabile sane spectaculum cepere oculi omnes, quotquot in Urbe Shang-Hai frequentissima, eo tempore, versabantur: conspicere nempe licuit homines unum in locum congregatos ex nationibus bene multis, e clero saeculari atque ex religiosis paene omne genus sodalitatibus,

qui nulla originis morumque varietate ac dissimilitudine distinebantur, atque impediebantur, quominus in unitate fidei et vinculo Caritatis non illa quidem quaererent ac decernerent quae sua vel patriae ac sodalitatis cuiusque suae interessent, sed ea prorsus atque unice quae ad aeternam Sinensium salutem pertinerent ».

Utinam soluta fuissent Pii XI fervida vota, quae omnium vota erant! Sed, eheu! cito rediit animorum dissidium et virium, quod ante Concilium deprecatum fuerat, quodque fuit causa tantorum malorum.

Protectoratus unius loco, quem Gallia sic mordicus tenebat, ut missionem Delegati Apostolici ad Sinenses omnimodis impediret — tot constituti sunt *Protectoratus* quot erant Nationes a variis Vicariis Apostolicis et Missionariis repraesentatae; et augescente numero missionariorum ac mulierum sanctimonialium missionibus dicatarum, auctae sunt etiam Auctoritates Consulares, item Ministri, Legati ex Europa et ex America suam influentiam extendere studuerunt in Missionarios et in Missionum loca, secundo loco reponendo aut etiam negligendo normas et decreta a Concilio de Shang-Hai statuta, ipsamque Delegati Apostolici auctoritatem.

Crevit discordia praesertim ob intestina praelia Meridiem inter et Septemtrionem, Septemtrionalium videlicet et Meridionalium, ducibus Communistis russis, qui per decennium meridionali regioni imperantes, ad immensa castra eam adduxerunt; unde non semel missiones nostrae direptae vastataeque fuerunt. Regio de Kiang Si, et praesertim Vicariatus de Ki-An, cum eius finitimo de Ka-Cheou, habuerunt omnes suas domus residentiales et Ecclesias ad litteram occupatas per plures annos a militiarum agminibus excitatis et odio imbutis contra Missiones catholicas. Bona et quidquid aliud, translatum alibi aut pessumdatum fuit. Plures Missionarii nostri, itali et sinenses, persecutioni obnoxii in carcerem trusi et trucidati. Per decennium (1924-1934) regio de Kiang-Si facta est parva Respublica, in qua hodierni Sinarum duces Communistae apte ordinati, sua agmina auxerunt, itemque suam potentiam civilem et militarem direptionibus systematicis pagorum et urbium; et truderunt in carcerem aut occiderunt quemcumque ipsis se opponere ausus fuisset: sic redigentes vexatam Missionem catholicam ad totalem eversionem materialem et moralem; ita ut ipse Delegatus Apostolicus nostrum Vicariatum appellare potuerit « Vicariatum Martyrem ».

Etiam in aliis Sinarum provinciis, eheu!, id contigit quod Pius XI, in sua « Epistola » de qua supra, magna apprehensione scribebat: « Dolemus profecto in regionibus istis, quae albae ad messem videbantur, ex bellis intestinis, saepius aut rei catholicae incrementa intercipi aut Christifidelibus et Missionum stationibus caedes vastitatisque conflari pe-

ricula: utinam pro optatis vestris, quae ad Nos pertulistis, quaeque communia vobiscum habemus, « quam citissime Pax Christi, etiam in Sinis, stabiliatur et . . . perseveret »!

Animorum autem divisio et disiunctio Sinenses inter et exteros summa facta est ob eventus mali exempli, qui in aliquibus (eheu! multis) Vicariatibus et Missionum sedibus acciderunt. Res utique incredibilis et dolorem afferens! Qui Sinas petierat ad convertendum, depravatus est, et petra scandali factus! Fieri enim non poterat ut clerus indigena gravem scandalum caperet: non pauci sacerdotes sinenses, eheu!, prava secuti sunt exempla.

Eiusmodi deploranda facta, quae per summa capita recensui, me movent ad considerandum haec uti necessaria:

1. Ut quantocius constituatur in Sinis *coetus* — directe per Summum Pontificem electus — cuius omnia membra sint Episcopi Sinenses (singuli pro singulis provinciis ecclesiasticis) cuiusque centrum sit in urbe Shanghai — qui omnimodis observantiam curet legum et decretorum Primi Concilii plenarii Sinensis; et de omnibus rebus semper et strictim Summum Pontificem et Congregr. de Propaganda Fide certiores faciat.

2. Ut omnes indistincte Missionarii Exteri, qui suo tempore in Sinas mitti poterunt, per biennium sistant in urbe Pechino, ut linguae et moribus sinensibus studeant, in scholis ad id praestatutis et sub disciplina electorum magistrorum, antequam ad opus exsequendum in variis missionum sedibus mittantur, cum praedicti Coetus episcopalis sinensis approbatione.

3. Ut quamprimum eligantur — ubi fieri poterit — episcopi sinenses uti Coadiutores, cum iure successionis — Episcoporum qui sint expulsi nec unquam redire poterint ad dioecesim per se regendam; etiam si, uti sperandum est, redierit pax et tranquillitas.

II. *Scribentis opiniones et vota*

1. Non satis clara mihi videntur puncta damnationis Communismi, eaque disciplinaria contra Communistas ubique terrarum utilia. Quapropter mihi liceat vota promere ut futurum Concilium Oecumenicum ea omnia gravi subiciat examini, et bene ista puncta, damnationem et disciplinam contra Communistas, necnon simplicium christianorum relationes cum Communistis, definiat tutamque viam sequendam in sacerdotali ministerio cum ipsis exercendo; attente etiam examini subiciendo quaestionem (negotium) de sacerdotibus apostatis seu quomodocumque reprehensibilibus in vivendi ratione.

2. Mihi praeterea videtur hodie maximam partem sacerdotum, curam animarum habentium, aegre tempus et locum aptum invenire posse

ad precem fundendam, eis multo magis quam aliis necessariam; ipsa Breviarii recitatio fit quando et ubi possibilis est eis, qui eam considerant nimis grave onus.

Opportunum ideo mihi videtur ut ineatur Liturgiae reformatio, peculiariter Breviarii; ita scilicet ut iterum fiat *vera* sacerdotis *deprecatio*. Liceat, ergo votum promere ut ea ratione Divinum Officium reformetur, qua etiam sacerdotes, in hodierna inevitabili vita dynamica, illud experiantur ut *precem* qua pietas alitur, non vero ut *pondus* quo citius poterit repudiandum ...

3. Tandem mihi videtur ut proxime futurum Concilium Oecumenicum, Auctoritate qua pollet, relationes definiat Sedem Episcopalem Romanam inter et Supremum Vicarii D. N. Iesu Christi Pontificatum; atque authentice concludat studia a Concilio Vaticano iam facta.

4. Si possibile sit, definiatur Romanitas veluti nota verae Ecclesiae; eo ipso novum impulsum imprimendo illi spirituum unioni, circa Romanum Pontificem, quae tam urgens est inter Catholicos, praesertim veteres Catholicas Nationes.

5. *Apostolatus*. Etiam de hoc themate, quo tota Ecclesiae vita involvitur clarior doctrinalis ordinatio desideratur. Quid est nempe Apostolatus? Qua ratione distinguitur? A quibus est exercendus? Quinam Hierarchiae locus? Quinam laicorum, Religiosorum in statu laico? Quinam Sanctimonialium feminarum? Exercent ne laici verum et proprium apostolatum?

6. Tandem, quoad missionale problema, necessaria est magis radicalis, seu magis structuralis solutio. Problema istud est valde complexum et alia problemata secumferens, uti sunt, e. g., de personarum specie (missionariis, sanctimonialibus, catechistis etc.); de mediis oeconomicis; de formatione Missionarorum; de clero indigena; item de novis systematibus acceptandis aut respuendis.

Inducendus adhuc est animus ad hoc: futuram nempe Ecclesiae vitam esse in missionibus, non vero in arte politica, quae, in eius actione, est sector infirmior ...

Beatissime Pater!

Omnia super exposita iudicio utique illuminato Sanctitatis Vestrae — ad cuius pedes me prosterno — filialiter me subicio; fervide super me et meam infelicem dioecesim de Ki An, Vestram implorans Apostolicam Benedictionem.

Sanctitatis Vestrae humill. filius
✠ Caietanus Mignani
Episcopus Chinganensis

16

EXC.MI P. D. LEOPOLDI BRELLINGER
Episcopi Chimscienensis (Kinghsien)

Cagayan de Oro, Philippines, die 18 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Ob rationes particulares litterae Eminentiae Vestrae, die 18 iunii datae, nonnisi die 30 iulii ad me pervenerunt. Ideo non multum temporis remanebat ad responsum elaborandum et ad peritos consulendum. Puncta quae Pontificiae Commissioni referenda in Domino iudicavi sunt haec:

1. *Breviarii Romani* instauratio. Relate ad hanc rem iam prius, die 5 septembris, relationi annuae ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide folium votorum addidi, cuius exemplar hisce adiungo. Quod praeprimis, in favorem Missionariorum praesertim, valde optatur, quaedam reductio est pensi Breviarii quotidie recitandi. Mensura conveniens esse videtur ambitus Officii Hebdomadae Paschatis.

Officium divinum, e. g. « Parvum Officium B. M. V. » vel aliud, si praescribitur, a Religiosis linguae latinae ignaris, lingua quidem vernacula recitetur.

2. *Missale Romanum,* quoad lectiones Epistolae et Evangelii dierum dominicalium, modificetur. Quaedam enim Epistolae intellectu difficiliores sunt, Epistola et Evangelium plerumque nullam connexionem inter se habent, nulla cohaesio systematica inter Evangelia dominicalia anni liturgici apparet.

Quaedam Missae partes, maxime Epistola et Evangelium, in Missa publica lingua vernacula legantur. Lector illam partem legat, Celebrans auscultet sicut « Ordo Hebdomadae Sanctae Instauratus » in pluribus locis iam habet.

3. Relate ad *Rituale Romanum* quaedam modificationes proponuntur:

a) quoad Baptismum, « Ordo baptismi parvulorum » liceat adhiberi pro omnibus, parvulis et adultis; « Ordo baptismi adultorum » maneat ad libitum. Si plures sint baptizandi, actiones quidem repetantur singulariter singulis; verba vero dicantur semel, sicut « Ordo baptismi parvulorum » n. 3 iam habet. Idem in pluribus aliis locis haberi possit;

b) quoad Matrimonium, in « Benedictione nuptiali » sive infra sive extra Missam conferenda allusio ad personas biblicas V. T. omitta-

tur, nam haud pauci minus instructi illas personas ignorant. Fiat forte allusio ad Matrimonium in Cana.

4. *Vestis* clericalis debet esse clare distinctiva clericorum a laicis; alia ex parte vestis clericalis quae dicitur « sottana » videtur adhibenda tantum in functionibus sacris. Ideo permittatur — vel uniformitatis causa praescribatur — ut foris induantur vestes laicales.

5. Sunt qui desiderent ut *Diaconi*-laici (ut aiunt) ordinentur, non in ordine ad sacrum presbyteratum recipiendum, sed eo fine tantum, ut — in saeculo manentes atque ad caelibatum et Officium divinum non obligati — munus Diaconi perpetuo exerceant in auxilium Ecclesiae seu cleri parochialis.

In terra Missionum, mea opinione, ad hoc sufficere videntur Minoristae-laici, quippe qui, ob ordines receptos, iam nomine et auctoritate Ecclesiae coram Fidelibus agere valeant, e. g. ut Lectores, Catechistae, Administratores Christianitatum.

6. *Dies festi* et abstinentiae.

Dies festi (can. 1247) sint illi qui simul publice, ab auctoritate civili, observantur; ceteri in proximum diem dominicum transferantur.

Dies abstinentiae sint singulae sextae feriae (can. 1252); dies abstinentiae et ieiunii singulae feriae sextae Quadragesimae.

Huiusmodi simplificatio, memoria facile tenenda, praeprimis pro terris Missionum seu pro neophytis optanda est.

7. In *curriculo* studiorum Seminarii Maioris magis evolvenda videtur:

a) cognitio systematis Communismi athei atque modi agendi Communistarum;

b) cognitio Scripturae Sacrae. In decursu studiorum tota Biblia sacra legatur, privatim quidem, sed sub directione Professoris;

c) methodus docendi theologiam dogmaticam. Methodus sit scholastica (in forma thesis et syllogistica) et simul doctrina ita proponatur, ut illustret intellectum et moveat cor, simili modo ac Discipuli ad Emmaus id experti sunt: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturam » (*Lc.* 24, 32).

Haec sunt quae Eminentiae Vestrae atque Pontificae Commissioni proponenda censui, omni qua par est reverentia et submissione.

Eminentiae Vestrae
servus in Christo infimus

✠ Leopoldus Brellinger
Episcopus Chimscienensis

VOTA QUAEDAM AD BREVIARII ROMANI INSTAURATIONEM PROPONENDA

Principium, in quo desiderata infra posita nituntur, in eo est, ut « in hac Mystici Iesu Christi precatione » (*Mediator Dei*) *Patrem perfectius* adorare atque Ecclesiae et nobismetipsis *uberius* mereri valeamus. Ad hunc finem consequendum proponuntur ea quae infra sequuntur quoad Breviarium seu Horas canonicas in genere et quoad singulas Horas in specie dicenda.

I. *De Horis canonicis in genere*

1. *Mensura conveniens* pensi quotidiani sit ambitus Officii Hebdomadae Paschatis. Hoc Officium — spectatis hodiernis circumstantiis — clero cura animarum occupato admensum esse videtur atque ab illo in tali ambitu libentissime accipietur et cum alacritate persolvetur.

2. *Antiphonae* ad Psalmos semper integrae dicantur, nam Antiphonae ordinarie argumentum Psalmorum eorumque partium explicant; Antiphonae vero dimidiatae non raro sensu carent.

3. *Partes minus essentiales* Officii, scil.: Hymni, Capitula, Responsoria brevia, uti in Officio Hebdomadae Paschatis iam fit, omittantur.

4. *Commemorationes* omnes praeter eas quae « numquam omittendae » (Decr. Gen., 25 martii 1955, S. R. C. tit. III, n. 2) saltem extra chorum abrogentur. Ratio: quia distrahunt.

5. *Facultas* concedatur Ordinariis, praeprimis Missionum, — praesertim si pensum maius quam supra propositum retinendum censetur — dispensandi habitualiter a parte proportionata Breviarii illos ex eorum subditis, qui — ob difficultatem linguae, scrupulositatem aliasve legitimas causas — intra circiter unius horae spatium Horas canonicas persolvere nequeunt. Ratio est, quia a detrimento alacritatis spiritualis et laboris apostolici.

II. *De singulis Horis canonicis in specie*

6. Ad *Matutinum.* Psalmi et Lectiones ad numerum ternum restringantur: Lectio I et II sit Sacra Scriptura (scilicet, V. T., ab Adventu usque ad Pascha, et quidem partes pro vita spirituali sacerdotum frugiferae ; N. T., a Paschate usque ad Adventum, et quidem Acta Apostolorum et partes Epistolarum Apostolorum). Lectio III in festis Sanctorum sit ex eorum vita, sed purgata ab omnibus quae veritati non sunt consona vel addita expressione « ut ferunt » vel alia simili.

Diebus dominicis et festivis (de praecepto) locum Lect. III teneat Evangelium Missae diei. Totum Evangelium legatur.

Homiliae, quia non raro sunt minus « fructificantes », eliminentur sive in Vigiliis sive in Feriis Quadragesimae; suppleantur lectionibus de Sacra Scriptura occurrente.

Responsoria post lectiones Nocturni sint stabilia, non variabilia sicut nunc v. g. Dom. X et XVI p. Pent. in Noct. III. Exprimant affectum temporis.

Absolutio et Benedictiones Matutini numquam mutentur. Absolutio sit: Ipsius pietas. Benedictiones: Deus Pater, Christus perpetuae. Ignem amoris. Ratio: Minuitur « copiosus instructus rubricarum ».

7. Ad *Laudes*. Cantica ex V. T., quae nunc ad Laudes quarto loco dicuntur, locum cedant Psalmis.

Duplex forma ad Laudes, scil. Schema I et II, eliminetur. Etiam diebus Poenitentiae et luctus Schema I adhibeatur. Laudes etiam illis diebus indolem propriam ne amittant: sint quae vocantur.

8. Ad *Primam*. Haec Hora concludatur eodem modo quo ceterae Horae, Martyrologio cum suo Versu et Oratione « Sancta Maria et omnes Sancti », etc., extra chorum abrogato.

Psalmus 4 — abrogato Schemate II ad Laudes — tollatur hic ad Primam.

9. Ad *Parvas Horas*. Nihil mutandum nisi quod supra sub n. 3 pro omnibus Horis propositum est.

10. Ad *Vesperas*. Vesperae I abrogentur. Quodlibet Officium Festi incipiat a Matutino, finiatur Completorio. Ratio: Eliminatio regularum concurrentiae et factum, quod dignae et fructuosae praeparationi Festorum principalium Vigiliis propriis praevisum est.

Omnibus diebus, dominicis et festivis, quando Psalmi de Dominica praescribuntur, dicantur et Antiphonae et Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Ps. 113 recitetur semper Ps. 116 « Laudate Dominum omnes gentes ».

11. Ad *Completorium*. Nulla mutatio.

III. *De quibusdam Rubricis*

12. Deleatur Rubrica quae — iuxta Missale Romanum, Ritus servandus in caelebratione Missae, I. 1., — recitationem Matutini cum Laudibus *ante* Missam postulat. Ratio: Ordinarie suppletur conveniens praeparatio ad Missam aliis piis exercitiis. Rubrica nimis promovet usum anticipandi Matutinum cum Laudibus, quod magis concessio est quam commendatio.

13. Deleatur alia Rubrica quae quidem — iuxta Vermeersch, *Theol. mor.*, III, ed. 4, p. 36 — non obligat sub peccato, tamen imponit « intra Quadragesimam recitationem Vesperarum *ante* prandium ». Ratio: Ordo temporis Horarum disturbatur.

✠ LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

17

EXC.MI P. D. ADOLPHI J. PASCHANG
Episcopi Chiammenensis (Kongmoon)

Hong Kong, August 26, 1959

Your Eminence,

Thank you for your letter to Bishop Paschang concerning the forthcoming Council.

I wish to inform you that Bishop Paschang is in hospital and failing in health. Most of the time he is not conscious of what is going on, and so will not be able to make any suggestions for the Council.

I have the honor to be Your Eminence's devoted servant,

✠ ADOLPHUS J. PASCHANG
Episcopus Chiammenensis

18

EXC.MI P. D. ALEXANDRI DEROUINEAU
Archiepiscopi Coenmimensis (Kunming)

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Postquam e Sinis anno 1952, mense martio, aliquot mensibus in carcere actis, expulsus sum, paucis tantum epistulis nuntios paucissimos a sede mea archiepiscopali accepi: omnes fideles sacerdotes in vinculis habentur, saltem ii qui in urbe Kunming laborabant; de rusticis autem septem iam annos omnia ignoro. Tres sacerdotes ecclesiae quae nationalis dicitur scriptis assensi sunt, quorum unus, admodum quidem iuvenis « miao » genere oriundus, sententiam suam revocavit et in carcere vitam

degit; at ceteri sententiam non mutaverunt immo etiam gravius peccaverunt: nam sacerdos K'ong sacrilege consecrationem episcopalem die 15 iunii 1958 accipere non recusavit et sacerdos Ioseph Sen eius vicarius generalis creatus est; qui ambo Seminarii Sulpitiani Parisiensis alumni fuerunt. Quod igitur ad Concilium Oecumenicum parandum attinet, difficillime de dioecesi mea desideria enuntiare vel consilia proponere possum.

Sed, ut ad aliam rem veniam, Ss.mus D. N. felicis recordationis Pius Pp. XII, die 20 decembris anno 1955, mihi curam tradidit laborandi ut ad matrem Romanam Ecclesiam reducerentur ii qui ab ea in Gallia discesserunt et vulgo « Petite Eglise » vel anticoncordatorii vocantur; numero sunt Lugduni circiter 700 et in agro Pictonico fere 5000. Quorum domos ego quotannis, per ianuarium et februarium et martium menses, visito; postea vero de laboribus meis ad Exc.mum Parisiensem Nuntium refero, qui litteras Romam mittit.

Anno Domini 1869, duo cives Lugdunenses: Marius Duc et Iacobus Berliet, Romam venerunt ut ad Vaticani Concilii Patres, duobus opusculis, quae singulis Patribus distribuerunt, typis mandatis, de re sua referrent; quorum alterum erat commentariolum, gallice latineque scriptum, ubi res explicabant; in altero vero canonicae reclamationes XXXVIII Episcoporum transcriptae erant. Sed, cum bello Gallorum cum Germanis orto, Patres subito dilapsi essent, nullum responsum acceperunt, et postea a Gallico clero separati manserunt. Nunc, cum illorum familias visito, perpetuo haec verba audio: « Nos in Catholicam Ecclesiam rursus intrare parati sumus; sed petimus, quo semper adhuc, ut a Concilio a Pontefice Romano convocato vix iubeamur. Nam olim et Episcopi et sacerdotes nostri quasi excubitores et fidei veraeque doctrinae custodes nos posuerunt et vestigio moveri nos vetuerunt dum summa auctoritas quam agnoscimus, id est Concilium Papae subiectum, aperte praescriberet; sin aliter, non movebimur nec sententiam mutabimus ».

Istos infelices homines fidelitas quaedam perdidit: Lugdunenses iansenista propensione sunt, superbi et pertinaces. Pictores vero, rustici plurique, bona fide sunt et ducibus Lugdunensibus, familiae dico Rolland nominatae, obsecundant. Seniores maiorum moribus semper steterunt, sed iuniores, in laicis scholis instituti, ad segnitiam et atheismum paulatim verguntur.

Cum proximum Concilium nuntiaretur, multi gaudium, quidam vero sollicitudinem senserunt. Omnibus mense iunio priore de Concilio epistulam misi. Ob ea quae quidam mihi dixerunt, opinor Lugdunenses se a loco non moturos et Pictomum multos sperare Concilium quaestionem suam soluturum. Vir quidam potens, qui Bersuiriae, in provincia dicta « Deux-Sèvres », habitat, mihi mense februario dicebat: Duas epistulas ad Lug-

dunenses scripsi, sed ambigue responderunt. Si nihil facere volunt, eos praetermittemus et nos ipsi agemus. Post cognovi illum cum gravibus auctoritate viris in sua provincia sermonem conferre ut ad consilium suum accederent, sed nonnullos favore et ignorantia exspectare Lugdunenses, qui doctiores sunt et res melius cognoscunt. Valde timeo ne Lugdunenses omnia quae poterunt faciant ut progressum impediant. Non iam possum scire quid de proximo Concilio facturi sint; fortasse anno finem habente propositum eorum pernoscemus.

Nemo adhuc in Ecclesiam rediit, praeter aliquot iuvenes qui catholicas uxores ducere volebant; illi quidem optant ut omnes vulgo redeant, ne cognati irascantur vel ulciscantur. Utinam omnes Concilii Patribus humillime religionem suam permittant et eorum iudiciis pareant, ut tandem in Christi veram unamque Ecclesiam ingrediantur.

Me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae humillimus servum in Domino.

✠ Alexander Derouineau
Archiepiscopus Coenmimensis

19

EXC.MI P. D. ARCTURI QUINTANILLA
Episcopi Coeitevensis (Kweiteh)

Meum votum est ut doctrina de Virgine Maria, tamquam mediatrice omnium gratiarum firmetur et, si possibile est, tamquam dogma declaretur in Concilio Oecumenico.

Ipsa Virgo, quae Christi et eius Corporis Mystici mater est, multum adiuvabit ad felicem exitum Concilii, praecipue ad unionem inter christianos fovendam.

Ad Mariam enim hodie omnes confugiunt: catholici, orthodoxi schismatici et etiam multi ex protestantibus.

✠ Arcturus Quintanilla
Episcopus Coeitevensis

20

Exc.mi P. D. IOANNIS LARRART
Archiepiscopi Coeiiamensis (Kweyang)

Ciboure, die 31 augusti 1959

Eminentia,

Iam ab uno mense pervenerat epistola Pontificalis Commissionis pro Concilio Oecumenico; sed, fere eodem die, profectus ad domum natalem — hic derelinquens « machinam ad scribendum », et incapax scribendi manu iam a pluribus annis — excusatum, quaeso, velitis me habere.

Per duos annos, fere quotidie et diversis modis cruciatus a communistis in civitate mea de Kweiyang in Sinis, ultimis novem mensibus, fere totaliter perdideram visum ... incapax vel unam legendi lineam ... corpus, non equidem aegrotans sed valde debilitatum ..., mens et memoria notabiliter obnubilatae ...

A septem et plus annis expulsus, per sex annos vivo in ista solitudine Béthanie. Corpus vigorem recuperavit; quoad visum, possum equidem legere, possum sine difficultate sanctam celebrare Missam et administrare sacramenta. Sed, quoad mentem, nullus est progressus ... Vivo « solitarius », quotidie celebrans missam in cappella minima domus ad utilitatem Fratrum « de Lamennais » et eorum quindecim alumnorum. Solus et solitarius vivo intra cellam meam, corde et cogitatione semper prope fideles meos (et etiam paganos) quos scio vere dolentes in calamitate inenarrabili.

Et nunc... quaenam consilia, quaenam vota emittere possum Commissioni Vestrae? Cogitationes equidem mentis meae vere sunt multae et diversae, sed omnino obnubilatae, sine ordine, sine claritate. Simpliciter Vobis dico: totaliter inutiles et etiam incongruae essent divagationes a me emissae ...

« Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Vere maxima gratia Spiritus Sancti mihi videtur fuisse definitio in Concilio Vaticano dogmatis infallibilitatis Summi Pontificis. Lapis angularis firmatus fuit ista definitione, et tempore opportuno: tali lapide labante nostro tempore, quid evenisset sanctae Ecclesiae? Communistae sciunt et admittunt istud factum, totis viribus debellant cum Summo Pontifice... Utinam, in Concilio futuro, clare et firmiter doceatur ista veritas.

Secundo, ni fallor, mihi videtur necessarium vel bonum ut Concilium

urgeat super necessitatem primariam pietatis, devotionis, et hoc apud sacerdotes saeculares et religiosos ... Quaerite primum regnum Dei ...

Et tertio, unio Sanctae Ecclesiae, unio omnium credentium sub unica auctoritate Summi Pontificis ... Oh, quantum placeret Deo tale miraculum et quam apparet cor adamantinum nostri Pontificis Ioannis XXIII; quam apparet etiam Eius fortitudo et confidentia... Ardenter oret quisque nostrum ut fiat tale factum.

Quotidie precor Deum ut vos adiuvet. Nil aliud possum Vobis offerre, nisi parva sacrificia mea et preces.

Velitis, Eminentia, parcere mihi misero istas elucubrationes Corde et animo, totis viribus spero quod Deus benedicat Opera vestra ad Eius Gloriam et salutem animarum

✠ IOANNES LARRART
Archiepiscopus Coeiiamensis

21

EXC.MI P. D. ASSUERI T. BASSI
Episcopi Loiamensis (Loyang)

Poços de Caldas, (Brasilia), die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Maximo cum gaudio Litteras Tuas accepi Tibique ex corde gratulor qui tanti negotii, quale est praeesse Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, a Summo Pontifice, feliciter regnante, par inventus es.

Quaedam puncta Tibi suggero, pauca et quae mihi videntur maioris momenti, utpote qui extra meam dioecesim Loiamensim dego nec Ordinarius sum in Brasilia.

En praecipua suggestionum capita:

Relate ad Concilium ipsum

Magna cum laetitia acceptata est convocatio Concilii ad mentem Romani Pontificis et inde pergrandes evenient fructus pro tota Ecclesia, etiamsi illa desiderata unio omnium christianorum non totaliter obtineatur. Concilium erit signum magnum unitatis Ecclesiae in universo orbe diffusae.

Quoad doctrinam

Ad hoc ut magis ac magis explicitum fiat momentum et praestantia Beatae Virginis in oeconomia salutis, in maximo est desiderio cuncti populi christiani proclamatio *dogmatis mediationis universalis eiusdem Virginis,* tamquam ex Sua divina Maternitate decurrentis.

Quoad cleri disciplinam

1. Maxima erit urgenda in Seminariis cura ad hoc ut Levitae apte formentur in pietate profunda et fundata, ne praeoccupatio modernae methodi adhibendae in apostolatu in praeiudicium vertat missionis omnino supernaturalis, qualis est sacerdotalis missio.

2. Definitiva danda erit lex pro sacerdotibus ritus latini de habitu et veste ecclesiastica, ne manifestationes oppositarum opinionum publice factae vertant in scandalum fidelium.

3. Breviarii Romani reformatio iuxta peritorum studia ab omnibus desideratur, quippe quae facilius accomodetur hodierni apostolatus necessitatibus. Praesertim, desideratur reductio Matutini ad unum tantum Nocturnum.

Quaedam alia vota

1. Cardinales et membra Corporis Diplomatici Sanctae Romanae Ecclesiae ex omni natione eligantur ad hoc ut appareat semper magis Ecclesiam esse catholicam et supernationalem.

2. Magna est acceptatio et inde pergrandis fructus ex usu linguae vernaculae permisso. Desideratur ergo ampliatio istius permissionis quoad sacramenta et sacramentalia, ut maior adsit conscia participatio fidelium in caeremoniis sacris.

3. Repristinatio *Diaconatus*, prasertim in nationibus ubi deest copia sacerdotum. Talis usus permittet maiorem participationem in apostolatu Ecclesiae cum maiore sensu responsabilitatis in laicis ad talem dignitatem evectis.

Hae sunt, Eminentissime Domine, animadversiones et vota quae mihi videntur pro bono Ecclesiae utiliter in Concilio tractanda.

Rogo Eminentiam Tuam ut praesentes Romano Pontifici, feliciter regnanti, humiles sensus Nostrae devotionis et oboedientiae plenae.

Tibi tandem imo ex corde humiles animi sensus profiteor Dominum adprecans ut det Tibi lumen et robur ad tantum opus perficiendum pro Ecclesia Dei.

✠ ASSUERUS THEOPHANUS BASSI
Episcopus Loiamensis

22

EXC.MI P. D. POLYCARPI DA COSTA VAZ
Episcopi Macaonensis (Macau)

Macai, die 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Futuri Oecumenici Concilii convocationis nuntium mihi et clero fidelibusque christianis huius dioecesis Macaonensis gaudium magnum attulit. Romano et Augusto Pontifici SS. Papae N. Ioannis XXIII, feliciter regnanti, filialiter oboedientes, per intercessionem Beatae Mariae Virginis Immaculatae omnes nos preces ad Deum effundimus ut felicissimum exitum et uberrimum fructum novo Oecumenico Concilio obtineamus. Atque magnam in Deo spem habemus hoc Concilium sicut viginti alia quae usque nunc iam habita sunt magnas novasque vires Sanctae Matri Ecclesiae acquisiturum esse in nostra aetate quae iam magno Missionum apud infideles incremento recte distingui posset. Per illud etiam catholica unitas in communione cum Romano Pontifice haud dubio augebitur et complebitur. Haec satis argumentum ad Concilium convocandum iam ministrarent, sed alia multa et felicia consectaria et beneficia fas est ex eo sperare. Praelati sapientes eminentesque theologi facient ut Ecclesia nova luce ante populos circumfulgeat, doctrinam catholicam uberius explicabunt et media suppeditabunt ut Ecclesia magis atque magis in bona opera floreat.

Litteris sub n. 786 ab Eminentia Tua signatis, invitatus sum, magno cum meo honore, ut opiniones et vota in futuro Concilio discutienda proponam. Ecce capita quae, praeter alia, cum magna Ecclesiae utilitate, in illo agitari posse sentio: A) *Ecclesiasticam disciplinam;* B) *Leges generales Ecclesiae;* C) *Morum reformationem.*

A) *Ecclesiastica disciplina*

1. Mutatio quam novissimis temporibus ratio vivendi perpessa est homines ad terrena convertit haud sine magno detrimento animarum suarum. Difficile etiam non est non videre quomodo clerici non pauci magis atque magis proclives se ostendant ad se conformandum cum hoc saeculo et in negotiis saecularibus se immiscendum. Quare puto magni esse momenti investigare in Concilio media magis efficacia ad solidam moralem et spiritualem formationem clericis obtinendam, mea sententia magis necessariam quam litterariam et scientificam, ut illi, sine ruina et detrimento dignitatis sacerdotalis, ad homines possent descendere et eos ad Christum adducere.

2. Media ad maiorem unionem et cooperationem obtinendam inter Episcopum, clerum et fideles. Nostro tempore, secus ac in praeteritis saeculis, fideles atque infideles pluris aestimare videntur simplicitatem et mansuetudinem pastorum, et eis magis elici, quam eorumque externum apparatum et maiestatem.

3. Ne fideles arceantur a caeremoniis religiosis, videtur etiam magni esse momenti rubricas aliquarum solemnitatum ad breviorem et simpliciorem formam redigere et, attentis diversis moribus et climate, ad circumstantias locorum eas adaptare.

B) *Leges generales ecclesiae*

1. Novae leges et mutationes post Codicem Iuris Canonici introductae et sensus dubius aliquorum canonum videntur novam codificationem et simplificationem iuris Ecclesiae imponere.

2. Apostolatus uberiores fructus obtinere posse videtur si Religiosi viri ac mulieres sub strictiore dependentia ab Ordinariis locorum constituerentur et si Instituta Saecularia maiorem expansionem obtinerent.

C) *Morum reformatio*

Cum civilizatio hodierna pericula non pauca bono animarum afferat et vox Ecclesiae abusus flagellando nec semper efficaciter conclamaverit, nam mala in dies invalent et populos et nationes invadit corruptio morum, mihi etiam videtur opportunum investigare in Concilio:

1. Media efficaciora ad familiam tuendam et ad parentes ducendos ut sanctitatem matrimonii bene comprehendant et magni aestiment, scientes se ad cooperandum cum Creatore humani generis in transmissionem vitae a Deo esse vocatos.

2. Media ad fovendam mutuam et supernaturalem dilectionem inter coniuges ita ut perfecta inter eos et filios unio servetur et bonum familiae promoveatur.

3. Media efficacia ad adolescentes adducendos per semitas christianarum virtutum ut, etiam in saeculo, perfectionis ideale prosequantur et magni pendant castitatem animi et corporis.

Interim ad pedes Suae Sanctitatis provolutus et Apostolicam Benedictionem implorans, testimonium meae fidelis oboedientiae Augusto Pontifici renovo, et simul impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae cui omnia caelestia bona adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ Polycarpus Da Costa Vaz
Episcopus Macaonensis

23

Exc.mi P. D. PETRI MASSA
Episcopi Naniamensis (Nanyang)

31 augusti 1959

Placitis huius Commissionis mihi significatis per litteras N. 1 C/59-899 die 18 iunii datas humiliter obtemperans, haec quae mihi per experientiam satis longam in dissitis Sinarum Missionibus elexerunt proponenda puto. Quid enim ea pro universali Ecclesia valeant ipsa Pontificia commissio videat.

1. *Doctrina communistarum* atheistica et materialistica a Concilio Oecumenico rursus sollemniter damnetur.

2. *De caelibatu Ecclesiastico.* Cum mihi constet quosdam in Ecclesia esse qui caelibatum ecclesiasticum aboleri posse censeant, antiquissimam caelibatus regulam mihi integram ob graves rationes servandam videtur; nam in locis missionum magisterium ecclesiasticum cuiuscumque laicae professionis instar, sublato caelibatu, reduci experti sumus.

3. *De habitu ecclesiastico.* Sacerdotes, praesertim in locis missionum, habitum ecclesiasticum (seu vestem romanam) in ecclesia tantum et in functionibus liturgicis deferre iubeantur.

4. *De codice iuris missionariorum.* Codex iuris missionariorum redigatur qui *C.I.C.* praecepta simpliciora reddat circa ea ad quae nova hierarchia in locis missionum constituta se conformare non valeat (circa v. g. canonicos Ecclesiae Cathedralis, numerum Curiae Officialium, Missas pro populo); sed iura quae *C.I.C.* aliis Ecclesiae hierarchis tribuit ipsa nova hierarchia minime amittat ut Ecclesia in locis missionum constituta quasi Ecclesia gradus inferioris habeatur.

5. *De breviario Romano.* Breviarium Romanum brevi tempore corrigatur et emendetur ita ut sacerdotes quotidianam divini Ufficii recitationem una integra hora absolvere valeant.

6. *Inveniuntur qui,* dotibus animique virtutibus praediti ut sacerdotium honeste ineant, minus ad integrum studiorum curriculum explendum ob provectam aetatem apti sint. Quo sacerdotum paucitati, praesertim in locis missionum, facilius expeditiusque consuli possit, hos litterarum studiis disciplinisque ecclesiasticis leviter imbui satis puto. Nam in mea Dioecesi quidam aderant catechistae qui disciplinas ecclesiasticas carptim breviterque cognoverant virtutibus et studio in Deum et in animas capiebantur; si illi, ut mihi videbatur, linguae latinae principia cognovis-

sent, ita ut latinum ecclesiasticum legerent atque intelligerent, boni honestique sacerdotes fuissent optimeque Christi legatione functi essent apud ruricolas, quod ministerium in locis Missionum commune et necessarium est.

Cum recogitavi quid erit de ministerio pastorali inter Sinas cum Ecclesia, quiete temporum a Deo concessa, iterum libertate gaudebit magno animi dolore afficio! tunc duodecim saltem habentur anni antequam novi sacerdotes exstiterint. Haec graviter consideranda existimo.

7. *De bonis ecclesiasticis.* Hisce temporibus, imperantibus communistis, bona ecclesiastica (domus, agros etc.) quae fructus praebeant vehementer respublicas allicere experti sumus; bona ecclesiastica quavis de causa publicare ius commune factum est rerum publicarum praesertim recentium. Itaque censeo.

a) novas hierarchias intercludi, praesertim in locis missionum, quo minus patrimonium efforment novaque bona acquirant (domos, agros etc.);

b) novum quid recentibus aetatibus magis aptum quo sublatis molestiis omnibus victus sacerdotibus honestus et Ecclesiae decus suppeditetur meditari;

(rationes vitae sacerdotum Americae ut exempla habeantur).

Maxima qua par est reverentia me profiteor,

Addictissimus in Domino
✠ PETRUS MASSA P. I. M. E.
Episcopus de Nanyang

24

EXC.MI P. D. ANDREAE I. F. DEFEBVRE
Episcopi Nimpuovensis (Ning Po)

Parisiis, 9 augusti 1959

Ad mentem litterarum Emin.mi Cardinalis Tardini, diei 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-920) has sequentes suggestiones ad Commissionem Antepraeparatoriam mitto. Quia 50 annis in Missionibus exteris vitam duxi non potui assidue sequi motum idearum, ut aiunt, propterea pauca tantum habeo suggerenda.

De Missa die dominica audienda. Propter varias occupationes quibus non pauci christiani tenentur die dominica, non tantum mane sed etiam vespere, quidam sacerdotes in votis habent ut Summus Pontifex

permittere velit ut hi fideles possint obligationi missam audiendi satisfacere alio die magis apto in quo occupationes non tam urgent, dummodo quaque hebdomada saltem uni Sacro adsint. Concedo hoc non sine periculo fieri posse sed videtur quod, si actualis disciplina in vigore manet non pauci fideles perdifficile Missam audire valebunt non semel tantum sed fere toto anni tempore.

Quoad confessionem et communionem annualem de praecepto, possumusque sperare extensionem temporis utilis ad haec perficienda? *In Sinis*, ubi ministerium peregi, nullum tempus determinatum est sed per totum annum satisfacere his Ecclesiae praeceptis catholici valebant. Ratio huius petitionis est quod dantur fideles qui citra voluntatem suam tempore Paschali obligationes suas adimplere non possunt et diversa est in diversis dioecesibus lex de tempore utili quod mentem christianorum perturbat et confessariorum dubiam reddit.

Pro his qui ducunt turmas catholicorum iter facientium desideratur ut iurisdictio eis detur ita ut, sicut iam in praxi est pro iis qui pias peregrinationes perficiunt, possint audire confessiones suorum simul itinerantium, dummodo hi sacerdotes iam aliunde iurisdictionem acceperint sive a proprio sive a quocumque Ordinario in decursu itineris.

Immo optandum est, eodem modo ac pro itinere maritimo, omnis sacerdos per diversas regiones transiens possit absolvere eos qui sponte apud eum confessionem instituere petunt dummodo ut supra, sacerdos aliunde approbatus sit pro confessionibus audiendis.

✠ ANDREAS DEFEBVRE
Episcopus Nimpuovensis

5

EXC.MI P. D. CAROLI J. VAN MELCKEBEKE
Episcopi Nimsciani (Ningsia)

Bruxelles, die 23 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Officio fungens Visitatoris Apostolici pro Diaspora Sinensi, nuperrime regiones perlustravi Indonesiae et Vietnam, necnon Africae Meridionalis et Orientalis, ubi Sacerdotes Sinenses ac Missionarii ex Sinis, in diaspora apostolico operi adlaborant.

Quae visitatio ecclesiarum causa fuit cur citius potuerim respondere litteris permagni momenti quibus Eminentia Tua me famulum suum

invitat ut omni cum libertate et sinceritate Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae animadversiones, consilia et vota communicem, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Humiliter proinde pauca subiungo quae in adimplendo officio meo magis notatu digna expertus sum, eaque iudicio Commissionis supradictae submitto.

Qua par est reverentia in Christo purpuram Eminentiae Tuae Reverendissimae deosculor.

✠ Carolus M. J. van Melckebeke
Episcopus Nimscianus
Visitator Apostolicus

1. Maxime optandum est ut Legati Apostolici in Missionibus, sive Delegati sint, sivi Nuntii aut Internuntii, magis periti sint in rebus missionalibus ipsius ditionis sibi concreditae, et etiam illius aliquam linguam calleant aut addiscant. Saepe necessarium erit ut ipsi coordinent activitates variorum Vicariatuum aut Praefecturarum Apostolicarum, et excitent organa quaedam nova et centralia, quibus vires et opes unius alteriusve territorii ecclesiastici impares sunt: saepe enim versamur in stadio adhuc primitivo, ut dicam, christianitatis; inde Legati praediti sint scientia, experientia, qualitatibus et facultatibus ut munus ecclesiasticum in tali missione perficiant. Et hoc enim onus gravius eis non erit, siquidem munus pure diplomaticum raro nimium virium aut temporis exiget.

2. Magis cordi habeatur opus iuvenum territorii missionum, qui in regionibus catholicis studiis variis operam dant. Hic fas est et ab hoste doceri, qui omni modo et opere hos iuvenes ad se attrahere satagit, conscius de eorum maximo influxu futuro in rebus publicis, politicis socialibus ac religiosis patriae suae. Quod experientia iam saepius demonstravit. Melior ergo coordinatio fiat, ope organismi alicuius centralis, v. g. Romae, inter Ordinarios locorum et eos qui deputant sacerdotes aliosve viros electos ad hoc opus apostolicum, ne tentamina nimis individualia voluntate aut lubitu unius incassa reddantur.

3. Adiuncta missionum quandoque necessarium reddunt celerem translationem operariorum missionalium sive e patria sive ex alia missione. Experientia tamen constat tales translationes, ob varias personas interpositas, nimium tempus, immo plures annos, requirere, ita ut maximae opportunitates pro apostolatu deperdantur, v. g. quia interim difficilior fit ingressus in determinatam regionem.

Expeditior ergo via pateat et maior mobilitas ut occurrenti necessitati citius et efficacius occuratur.

4. Enixe exoptatur ut Curia Romana, pro rebus quae non possunt immediate tractari, de receptione documentorum vel litterarum auctorem paucis verbis certiorem faciat, ita ut ipse quam citius certus sit de acceptione documentorum vel litterarum.

5. Cum Curia Romana multis populis exteris nimis appareat personis unius nationis constare, expedire videtur ut relative plures personae aliarum nationum ad officia et munera tum in ipsa Curia Romana, tum in servitio Diplomatico Sanctae Sedis nominentur.

6. Maior diversitas et latitudo concedatur pro rebus disciplinaribus et liturgicis, ubi agitur de populis qui origine, lingua, cultu diversissimi sunt, utputa populos Asiae et Africae respectu cultus occidentalis Europae.

Quapropter votum promimus ut, ad mentem Hebdomadae Studiorum pro rebus Missionis et Liturgiae nuperrime in civitate Nimègue habitae, concedatur Ordinariis locorum in missionibus maior potestas in rebus disciplinaribus et liturgicis, praesertim quoad adaptationem cultui populorum.

✠ CAROLUS M. J. VAN MELCKEBEKE
Episcopus Nimscianus
Visitator Apostolicus

26

EM.MI P. D. THOMAE CARD. TIENCHENSIN
Archiepiscopi Pechimensis (Peking)

Die 22 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Respondens desiderio a Tua Eminentia, in epistola diei 18 iunii huius anni mihi communicato, submitto aliquas propositiones pro consideratione Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico.

Ut Deus benedicere labores istius Commissionis dignetur, quotidie orabo.

Eminentiae Tuae humillimus servus
✠ THOMAS CARD. TIENCHENSIN
Archiepiscopus Pechimensis

I

Veritas Evangelica, ut optimum medium ad Communismum expugnandum.

De nefanda haeresi Marxismi haud dubium est quin Patres Concilii Oecumenici semel atque iterum pertractaverint. Recentibus annis cum conditiones lacrimosas in omnibus partibus patriae meae sinensis, ortu Gubernii Rubri, usque ad hodiernum diem existentibus prae oculis habuerim, Deum sine intermissione animo contrito rogavi ut me illuminaret quonam modo quibusve mediis Christifideles ubique terrarum libertate gaudentes fratres suasque sorores sinenses ad libertatem filiorum Dei recuperandam adiuvare possent.

Medium optimum, si unicum, quo ecclesia universalis fratribus oppressis auxilio esse potest, inveniri in efficaciori praedicatione *Veritatis Divinae,* mihi persuasum est. Nam nemo est qui negare audeat talem praedicationem Verbi Dei Revelati, in utroque Testamento contenti, necnon ab infallibili magisterio Ecclesiae interpretati, ad libertatem omnium populorum acquirendam et recuperandam, secundum Dei providentiam, esse medium optimum et efficacissimum.

Omnes qui sincero animo modum agendi Communistarum indagant, perspiciunt hos nostros adversarios infestissimos omnes nervos contendere ut fides atque religio christiana evellatur necnon et libertas humana aboleatur. Ad quem finem attingendum mendacium adhibent tamquam telum principale. Quorum mendacium, omnium quidem pessimum, in eo radicatum est quod non est Deus! Immo, hisce vocabulis ipsi Marxistae opinantur se Deum ab eius throno coelesti deiecisse eodemque ictu religionem Christianam subrepsisse.

Attamen intellectum est nobis quidem omnibus talem iactationem esse inamen. Etenim Dominus noster Iesus Christus asseruit: Cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. Quae vero veritas a temporibus apostolicis usque ad hodiernum diem innumeras nationes ab idolatria et a servitute diaboli liberavit; etiam hisce temporibus liberationem omnium populorum sub iugo marxistico vigentium certissime efficiet.

Ad tantas victorias pro causa Christi obtinendas oportet nos omnia media modernae scientiae adhibere necnon ingentem exercitum animarum apostolicarum ad veritatem evangelicam verbis et exemplis praedicandam mobilitare. Qua mobilitatione iam scimus communistas ipsos in sua doctrinatione et educatione iuventutis uti. Ita fit ut ista iuventus a Marxismo corrupta, commodis propriis neglectis, zelo quodam fanatico, in totali victoria permanenti et mundiali Communismi sese associare cupiat.

Luce ergo clarius patet necessitatem qua Ecclesia Catholica similem exercitum praeconum Evangelii, doctrina Christi, amore proximi, zelo apostolico et spiritu abnegationis imbutorum, sine mora mittere ad pugnam decisivam contra haeresim Marxistarum assequendam impelli debeat esse omnino urgentem.

Quapropter humillime peto ut, hac necessitate compulsi, Patres Concilii meam considerationem benevole audiant atque studium operamque navent ut actionem immediatam ac practicam inveniant qua hunc finem orbis catholicus realizare possit.

II

De aequiori distributione sacerdotum

Cum primum diversas regiones cum Europae Occidentalis tum Americae Septentrionalis perlustravi, certior factus sum de quodam superfluo numero sacerdotum, variis muneribus fungentium, in servitio Ecclesiae. Numerus sacerdotum, ut mihi videtur, qui curam animarum in multis parochiis exercent, quandoque plus quam sufficit. Idem quoque dicendum est de multis aliis muneribus et negotiis in quibus magnus numerus sacerdotum harum terrarum occupantur. Ex quibus multos solummodo exigua temporis parte in laboribus proprie et vere ecclesiasticis esse occupatos constat.

Qua de causa mihi in mentem venit sequens quaestio: « Cum omnibus Ordinariis certe patet adesse extremam paucitatem sacerdotum in multis terris Asiae, Africae et Americae Meridionalis, ita ut essentialis cura animarum (v. g. Baptismus infantium Christianorum et administratio Extremae Unctionis) saepe omitti debeat, cur non datur missio quorumdam ex his sacerdotibus, pro tempore et voluntarie, ad adiuvandos confratres nimis occupatos in aliis terris? ».

Quapropter Patribus Concilii suggero discussionem huius quaestionis, atque spem exprimo specialem commissionem constitui, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectam, quae munus haberet adaequatis mediis curare ut sacerdotes, insufficienter occupati in propriis territoriis, voluntarie in terras alienas, pro definito numero annorum, ad curam animarum exercendam, ire consentirent.

III

Contra nimis exclusivum exercitium iurisdictionis

Ad quamdam conditionem in diversis orbis terrarum partibus quod attinet, pauca verba proferre volo, quippe cum haec conditio emendationem sat urgentem postulet .

Agimus enim de illis sacerdotibus, sive ex Europa sive ex Sinis provehentibus, qui, propria gente orbati per Communistarum saevitiam, apud nationes alienas asylum invenerunt. Cum vero Ordinarios loci petierunt ut eis concederent facultates vi quarum habiles essent ad curam animarum exercendam vel ad docendum in scholis, tales facultates saepe saepius denegatae sunt.

Hac de causa Patribus Concilii propono tales alterationes vel additiones in Codice Iuris Canonici faciendas, quibus haec conditio, de qua mentionem modo feci, sine ulla mora corrigatur.

✠ Thomas Card. Tienchensin
Archiepiscopus Pechimensis

27

Exc.mi P. D. IGNATII G. LARRAÑAGA
Episcopi Pimliamensis (Pingliang).

Fuenterrabia die 5 novembris 1959

Reverendissime Domine,

Acceptis litteris Dominationis Tuae Rev.mae diei 25 septembris h. a. (Prot. N. 1 C/59-1028 a), aliquas suggestiones pro futuro Concilio exaravi, quas hic includo.

Cum iam ab aliquibus annis, cura animarum privatus et sine spe eam assumendi, privatim et fere sine contactu cum mundo catholico et apostolico vivam, plures quaestiones maioris momenti non inveni, futuro Concilio praesentandas.

Dum haec communico, Dominationi Tuae Rev.mae, cum intimo obsequii sensu, prospera quaeque ominor et permaneo.

Dominationis Tuae Rev.mae
addictissimus
✠ Ignatius Gregorius Larrañaga
Episcopus Pimliamensis

Eminentissime Domine,

Quamvis e dioecesi expulsus, a grege mihi commisso elongatus, animo fractus, in meo recessu monastico a sollicitudinibus et curis pastoralibus alienus, aliquando tamen litteris Eminentiae Vestrae diei 18 iunii h. a. (Prot. N. 1 C/59-1028), ut decet obtemperans, circa materias, quae forte in futuro Concilio Oecumenico tractabuntur, ea « libertate et sinceritate », quam Eminentia Vestra paterne nobis commendat, quasdam suggestiones exponam.

1. Usum linguae latinae in omnibus actionibus liturgicis, tanquam sacrum et intangibile depositum, Ecclesia romana defendit et custodit. Tamen non semel credidimus tempora advenisse linguis vernaculis praestantiorem quam usque nunc locum tribuendi.

Nam, ut usus linguarum vernacularum, saltem in administratione sacramentorum Baptismi et Extremae Unctionis, et forte etiam Confirmationis, permittatur, magna pars cleri catholici, ut arbitror, valde exoptat, propter aestimationem sacramentorum, quae inde in populo christiano oriretur.

Convenientia lingua vernacula in administratione horum sacramentorum utendi in missione tangibilior erat. Valde lamentabamur pulcherrimos exorcismos et orationes, qui occurrunt, lingua, quae a fidelibus et paganis non capitur debere proferri. Nec explicatio harum formularum ante caeremoniam facta valeret ullo modo supplere vim et ictum, qui insunt recitationi in ipsa actione liturgica, directe in personam, lingua intellegibili factae.

In hoc ordine rerum, novissima « Instructio de Musica Sacra et Sacra Liturgia » a S. Congregatione Rituum die 3 septembris a. 1958 data, in quantum in circuitu meo observavi, et etiam a me ipso (ut verum dicam), cum resignata contrarietate accepta fuit. Nam videbatur in vita liturgica Ecclesiae linguis vernaculis favendi motum novissimis temporibus invalere coepisse. Dum hac Instructione huic motui contradicere et illum rectificare velle multi interpretamur.

2. Ritus baptismi, etiam infantium, collationis sacrorum ordinum, consecrationis ecclesiarum, in breviorem et simpliciorem formam redigi, in votis est quorumdam, quorum interest. In magnis paroeciis, plurimis simul infantibus, diebus dominicis, ad baptismum convenientibus, longam coeremoniam breviandi quasi instinctivo conatu, fit ut formulae orationum et exorcismorum citissime et fere indecorose recitentur.

3. Verentur aliquando religiosi, et ego ipse eorum timorem fundatum censeo, in futuro Concilio episcopos, saltem non religiosos, quaestionem suscitaturos esse de privilegio exemptionis eis adimendo. Nam,

ut audivi et verosimile est, aliquando etiam accidit episcopum conqueri, dum ipse penuria sacerdotum dioecesanorum extrema laborat, communitates religiosas, in ipsa dioecesi sitas, sacerdotibus abundare, quorum opera in salutem animarum ipse uti non potest, sicut indiget et vellet.

Tamen existimo suppressionem privilegii exemptionis religiosorum universalis Ecclesiae utilitati non futuram nec eius bono inservituram. Melius esset, si opus est, privilegium in aliquibus temperare vel mutare in adiutorium locorum ordinariorum et utilitatem fidelium.

4. Nonne expediret saltem considerare et discutere convenientiam et modum restaurandi in Ecclesia antiquum statum diaconorum, in auxilium episcoporum et sacerdotum?

5. Si in missionibus sinensibus permansissemus, quoad habitum ecclesiasticum aliquid temporibus modernis accomodatum et ab omnibus observandum statui valde optassem. Nam in modo sese vestiendi sacerdotum quaedam anarchia et defectus uniformitatis introduci incipiebat. Fortasse in aliis terris missionum et in aliis orbis partibus eadem quaestio ponitur.

6. Cum de Codice Iuris Canonici reformando agatur, audeamne sententiam eorum proferre, qui de diversitate, et varietate poenarum ecclesiasticarum, praesertim censurarum, de earum multiplicibus speciebus et gradibus reservationis, etc., conqueruntur, vellentque eas in breviorem et simpliciorem formam redigi?

Ita sentientibus concedere possumus, cum sacerdotes in moderna societate in diversiora in dies studia, quaestiones et negotia, etiam in ordine spirituali et religioso attentionem et mentem divertere debeant, non omnes eadem intensitate omnibus disciplinis ecclesiasticis incumbere posse. Necessitatem, tamen, eorum votis annuendi, hic et nunc, nec video nec nego.

7. Quid de Bulla Cruciatae, quae in Hispania eleemosynis colligendis et intuitu eleemosynarum ieiuniis et abstinentiis dispensandis inservit? Hic modus, dispensationes permutatione seu merito eleemosynae vel pecuniae, et tantum hac conditione, concedendi (nam erga eleemosynam non largientes episcopi nulla dispensandi facultate utuntur), etiam nunc estne laudabilis? Christianis separatis estne scandalo et admirationi? Catholici quoque obtrectantne huic privilegio, quod hodie non est privilegium? Non paucis placeret, sublata Bulla, omnes iure communi regi. Tamen si alii episcopi tacent, ego etiam tacere volo, ut nemini noceam, quia agitur de magnis eleemosynis supprimendis vel retinendis. Insuper possibile est hanc quaestionem exclusive ad Sanctam Sedem non ad Concilium pertinere.

8. Quod ad publicos mores attinet, nihil agendum restat, nisi lamentari. Honestas publica mulierem, praesertim aestate, semper in deterius pergit. Elegantia puellarum usque ad pubertatem et ultra exigit summam nuditatem crurium, ita ut matres catholicae et ecclesiam frequentantes inter se contendere videantur, quae nudiora ostendat puellarum crura. Huiusmodi matrum agendi modum corrigere difficile est, quia ancillae sunt illius dominae, quae « moda » vocatur. Insuper sese excusant eo quod puellae innocentes sunt.

Sed manet aliquid corrigendum, quod est mentalitas aliquorum sacerdotum, qui, non solum de hac materia nimis concrete in publico loqui non posse propugnant, quod concedere possumus, sed insuper in his moribus nihil corrigendum et reprehensibile inveniunt, ac neque privatim et inter collegas tales mores improbare volunt. Fortasse quia aliquando in peccata contra castitatem ita invectum est, ut sola peccata luxuriae committi videretur, nunc nimis in alteram partem versum est, ita ut ii, ratione decentiae improbandi mores, non satis improbentur.

Gauderem, si in hac materia de excessivo rigore et criterio nimis arcto argui possem.

9. Etiam observantia dierum festorum, cum abstinentia a laboribus servilibus, in populo catholico in deterius progreditur.

Puto episcopos sese difficiles ostendere debere, quando agitur de dispensatione a labore diebus festivis divitibus concedenda. Nam si divites dispensantur, ne cessatione laboris absoluta in suis fabricis aliquid detrimenti capiant, pauperes potiore iure sese dispensatos habent. Insuper de divitibus agitur piis, qui erga episcopum et erga pia opera generositatem exercent, nescimus an recta intentione aut spe episcopum benevolum habendi. Reapse dispensatio eis concessa, tanquam eorum eleemosynis ab episcopo impetrata interpretatur.

Hoc scribo, quia alicui episcopo hoc modo detrahi audivi. Sed plures similes casus dari non assero.

Occasionem arripiens, Eminentiae Vestrae meos reverentiae et summae aestimationis sensus profero, ac prospera quaeque ominor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ IGNATIUS GREGORIUS LARRAÑAGA
Episcopus Pimliamensis

28

EXC.MI P. D. FERDINANDI F. PASINI

Episcopi Saniüenensis (Sanyüan)

Ierusalem, 17 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Gratias impensas Spiritui Sancto toto animo agens, quod Summum Pontificem ad Concilium Oecumenicum annunciandum movit, secundum optata Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae eiusdem Concilii, in epistola Prot. N. 1 C/59-1229, die 18 iunii 1959 data, breviter parvam meam sententiam expono.

Perpensis temporum adiunctis, opportunum mihi videtur ut futuri Concilii argumentum caput sit *Ecclesia Catholica.*

Quod argumentum dividi poterit:

I. *De Ecclesia Catholica in se spectata*

Est Corpus Mysticum Christi: perpendendum est num haec veritas sit sollemniter definienda (utique, ego cogito).

Ex hac veritate duo potissimum profluunt: Ecclesiae Catholicae absoluta unitas et incircumscripta universalitas, unum quid enim spirituale et supernaturale constituit cum Christo, Eiusque opus prosequitur in terra, ut humanum genus totum et quemque hominem ad Deum, omnium principium et finem, adducat.

Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana est sola, vera, unica Ecclesia Catholica, et idcirco solum, verum, unicum Corpus Mysticum Christi: perpendendum est num et haec veritas sit sollemniter definienda (utique, ego cogito).

Cum genus humanum et omnes populi, hoc tempore, ad unitatem in omnibus et ad universalitatem adspirent, praefatarum veritatum definitio conveniens et valde utilis apparet.

Ex iisdem veritatibus consequitur: Ecclesiae Catholicae, Romanae proprie et tantummodo, sua natura, ius et officium est veritatem definire et promulgare quoad omnes quaestiones et facta quae directe vel indirecte Religionem, sive in credendis sive in agendis, attingunt; omnes homines autem et quaelibet humana societas, per se, eiusdem Ecclesiae definitionibus ac mandatis stare et obedire tenentur.

De limitibus vero sui iuris et officii ipsa Ecclesia Catholica solummodo iudex est.

Oportetne clarius statuere quaenam sint membra corporis Ecclesiae

Catholicae (valide baptizati, sed in bona fide dissidentes, dici possuntne membra imperfecta?), quinam vero tantum ad eiusdem Ecclesiae animam pertineant, et quaenam consectaria pro vita aeterna?

II. *De Hierarchia Ecclesiae Catholicae*

1. *De Summo Pontifice*: necessaria et utilia, mihi videtur, iam definita et statuta sunt.

Instandum autem apud catholicos, Ecclesiasticos et fideles, est ut considerantes magnum beneficium a Domino concessum, statuendo Summum Pontificem Suum Vicarium et Caput Ecclesiae in terris, Magistrum infallibilem veritatis religiosae et Centrum unitatis, maiore Eundem Summum Pontificem prosequantur reverentia et amore. Eique in omnibus praestent dociliorem oboedientiam, atque ab adversariorum impugnationibus Ipsum strenue defendant.

2. *De Episcopis.* Firmius et clarius exponendum est fundamentum iuris Summi Pontificis quoad omnium Episcoporum ac locorum Ordinariorum liberam electionem.

In territoriis quoque Missionum, cum primum prudenter et utiliter pro bono Ecclesiae fieri possit, Episcopi ac locorum Ordinarii e propria gente et Natione seligantur.

Videndum est num aliquid statui possit quoad amplitudinem Dioecesium et territoriorum ecclesiasticorum, ne propter nimiam extensionem Episcopi influxus reducatur, aut propter exiguitatem Episcopi activitas aliquomodo coarctetur.

Consideranda est quaestio de distributione Cleri inter Dioeceses, Sacerdotum melius provisas et illas, in quibus Sacerdotes deficiunt, et indicandus est modus perveniendi, quantum fieri potest, ad aequam solutionem difficultatis.

Data celeritate ac facilitate quibus, nostris temporibus, ideae, novitates, mores propagantur, necesse est, opinor, ut Episcopi, locorum Ordinarii unius etiam Nationis, vel plurium Provinciarum civilium aut ecclesiasticarum, secundum amplitudinem territoriorum et indolem ac mores incolarum, saltem alternis annis conveniant, ut modum agendi communem statuant, ad donum Religionis et Ecclesiae promovendum, et in diversis quaestionibus vitae quotidianae, quae animarum bonum attingunt, v. g. quoad spectacula, ludos saltatorios, lecturam ephemeridum et aliorum, decentiam habitus praesertim in ecclesia, et potissimum circa res cum Politica connexas, ne Ecclesiastici aut nihil curent, aut limites transgrediantur, circa adscriptos Partibus Ecclesiae infensis, circa graviter delinquentes in matrimonio, ut omnes Confessarii unam sequantur praxim.

Valde utile, ne necessarium dicam, praeterea puto, ut omnes loci Ordinarii semel — saltem — quotannis congregent omnes Vicarios foraneos ac Sacerdotes ad directionem generalem, in territorio, Associationum, scholarum catholicarum etc. praepositos, ut ex eorumdem experientia quotidiana cum Parochis, Sacerdotibus ac populo veras conditiones Dioecesis et necessitates directe cognoscant, ipsorum propositiones, animadversiones, optata audiant, et curent cum ipsis perpendere et statuere quid et quomodo agendum sit, pro vitae christianae progressu.

Commendanda estne Episcopis magna sollicitudo erga Sacerdotes, praecipue in cura animarum, ut hi debite provisi sint quoad habitationem (omnino enim vitandum est pro bono animarum, ut Parochi cum parentibus vivere coacti sint) et quoad conditionem oeconomicam, ut ad proprium ministerium convenienter attendere valeant?

Si necesse est, clarae et definitae facultates Episcopis tribuendae sunt, ut aeque distribuere possint proventus beneficiorum ecclesiasticorum, et cogere beneficiarios melius provisos partem Confratribus indigentibus cedere.

Praeterea curandum est ut in omnibus Dioecesibus debite provisum sit Sacerdotibus, secundum eorum conditionem, tempore infirmitatis aut impotentiae ad ministerium activum et praesertim senectutis, sic etiam Episcopi abusus, si adsint, circa proventus ecclesiasticos vel nimiam curam bonorum temporalium facilius tollere poterunt.

3. *De Sacerdotibus.* In Seminariis et in Religionibus clericalibus summopere procul curanda est formatio spiritualis et interior alumnorum ad Sacerdotium, sed provide attendendum est ut talis formatio solide fundata sit in optima formatione humana quoad voluntatem, indolem, characterem, et christiana quoad virtutes theologicas, cardinales, morales.

Distincte monendi suntne Confessarii alumnorum qui ad Sacerdotium se praeparant, ut attentissime perpendant peculiarem gravitatem muneris pro bono et Ecclesiae et ipsorum alumnorum? Nonne forsan non paucae defectiones a Sacerdotio et graves consuetudines contra obligationes vitari potuissent si Confessarii, tempore opportuno, melius officio functi essent?

Cum tempora mutentur, nunc valde utile puto ut aetas ad Sacerdotium protrahatur usque ad vicesimum septimum annum completum, nec in hoc dispensationes concedantur, et alumni, antequam ad Subdiaconatum promoveantur, per unum vel duos annos, apud Parochum vel alium Superiorem bene praeparatum, et probentur et vitam sacerdotalem ac pastoralem in praxi considerent et vivant.

Primis annis post ordinationem, cura Episcoporum vel aliorum Su-

periorum sit utique ut novi Sacerdotes bene ad ministerium informentur, sed in primis et magnopere solliciti sint de eorumdem vita spirituali, in hoc ipsos prudenter invigilare faciant, ne incipiant, nimiae activitatis pretextu, exercitia pietatis et suiipsius curam negligere: notum est totam vitam sacerdotalem generatim ab illis annis pendere.

Vitae hodiernae conditiones magnam activitatem pastoralem a Sacerdotibus requirunt, at summe instandum est in absoluta necessitate profundae vitae spiritualis et interioris seu sanctitatis pro Sacerdote, solummodo cum hoc fundamento intimae unionis cum Domino solide posito quaelibet activitas externa genuinos fructus in bonum Ecclesiae et animarum afferre valet.

Ad hoc in praxi inculcandum, mihi bonum esse videtur ut forma Divini Officii melius disponatur ad devotionem adiuvandam et reducatur, ita ut tempus pro eiusdem recitatione minuatur, at pressius statuenda est vera obligatio quotidiana orationis mentalis pro omnibus Clericis.

Definiendum estne etiam tempus quotidie in oratione mentali impendendum? Utique, cogito: saltem per quadrantem horae.

Nunquam satis praeterea Sacerdotibus commendantur pia praeparatio ac devota celebratio Missae, ut revera fons, evadat ad augendam unionem cum Domino in dies, et debita gratiarum actio.

Diversì sunt mores quoad habitum clericalem, at omnes Clerici, saltem in Sacrìs, aliquod signum exterius habeant, quantum fieri potest omnibus commune, in itineribus quoque extra propriam Nationem vel territorium deferendum, ex quo eorumdem conditio statim cognosci possit.

Magna cum cura ponderanda est acerbissima quaestio de conditione Sacerdotum, qui misere a vocatione deficiunt et ad vitam laicorum revertuntur, num melius sit, in peculiaribus adiunctis et debitis statutis limitibus, ut illis dispensatio ab obligatione etiam coelibatus concedatur. (Anceps sum: graves enim adsunt rationes sive pro parte negativa sive pro positiva).

4. Quaedam connexa:

A) *De Religiosis.* Omnes iure meritoque incrementum proprii Ordinis vel Instituti optant, sed Superiores moneantur ut debitus semper servetur modus in vocationibus quaerendis; postea vero hae severe ad mentem Ecclesiae probentur, sine ulla anxietate de numero.

Instandum est ut statuta ab Ecclesia pro formatione praesertim religiosa iuvenum sive ad Sacerdotium sive ad statum conversorum, de facto, semper, ab omnibus fideliter serventur.

Secundum diversitatem vocationis, omnes certe bono Ecclesiae et

animarum cooperari debent, at vivide Superioribus commendetur sollicita vigilantia, ne eveniat eos, qui ad opera externa attendunt, minus curare primum, praecipue necessarium opus Religiosorum: profundam vitam spiritualem unionis cum Deo; forsan sensus meus solum est, sed mihi videtur spiritualitatem intimam vitae in Religiosis quoque paulatim minui.

In aliquibus territoriis nimii sunt Religiosi, sive mendicantes nomine et re sive non mendicantes (mulieres etiam), qui molestia revera populum afficiunt, in quaerenda stipe; clare statuatur ut, qui quaerendi stipem a Iure canonico non habent, nullo modo hoc faciant, Superiores vero cuiusque Ordinis, qui praefata facultate gaudet, inter se convenire debeant, ita ut in uno territorio clare definito unus tantummodo sodalis religiosus, seu unius Ordinis vel Provinciae, stipem colligere possit, cum onere ad Superiores Auctoritates Ecclesiasticas denuntiandi qui contra fecerint.

Quoad Religiosas mulieres. Nonne bonum esset, pro ipsa vita religiosa et pro activitate, instituta nimis parva et quae ad eumdem fere finem secundarium attendunt, in unum novum Institutum adunare?

Antistitae maiores monendae sunt ut, antequam novam domum aperiant, diligenter curent quod non solum pro re oeconomica, sed praecipue pro instructione religiosa ac necessitatibus spiritualibus Sororum debite provisum sit.

Cum non paucae cognoscantur lamentationes, necesse esse puto, ut visitatio a can. 512 statuta, tertio saltem quoque anno fiat; in qua visitatione prudenter quidem sed attentissime inquiratur praesertim de vera libertate relicta omnibus Sororibus quoad Confessionem et epistolas Superioribus mittendas, secundum Constitutiones, quoad sinceram expositionem conditionis domus et Instituti patefaciendam Visitatori, sine ullo periculo directo vel indirecto difficultatum ac molestiarum; inquiratur praeterea num caritas vere christiana et fraterna semper inter Sorores vigeat, num hae nimis occupatae sint et sufficiens habeant tempus pro exercitiis spiritualibus ac necessaria quiete, num Antistitae cum omnibus Sororibus, sed praecipue cum infirmis et in necessitate positis, sine acceptione personarum materne se gerant.

In pluribus Institutis, non paucae Sorores de facto sunt Antistitae fere per totam vitam religiosam; statuendum esse, opinor, ut Antistitae domorum, post secundum triennium in qualibet domo, saltem per unum triennium simplices subditae remanere debeant.

B) *De unione.* Omnium christianorum unitatem maxime optat, quaerit, instanter a Domino postulat S. Mater Ecclesia Catholica, ut tantum

bonum facilius obtineatur, omnibus viribus, cum necessariis sacrificiis, curanda est unio intra ipsam Ecclesiam.

Pauca breviter adnoto:

a) In multis locis, non bona viget concordia, deficit cooperatio inter Clerum dioecesanum et religiosum, et hoc, quod peius est, accidit quoque in Missionibus. Omissis aliis gravibus consectariis, quodnam sic caritatis christianae et unionis fidelibus exemplar praebetur? Si non accidat etiam, quod fieri audivi, unam partem contra aliam cum fidelibus loqui et ipsos commovere!

Absolute necesse est, evidentissimum apparet, ut stabile remedium quaeratur.

Episcopus seu loci Ordinarius est, in territorio, centrum unitatis Ecclesiae; Episcopi auctoritas in omnes Religiosos, quoquo modo exemptos etiam, ita extendenda estne ac definienda ut, quantum in humanis fieri possit, causae vel occasiones dissensionis auferantur, et utriusque Cleri unio servetur?

In Missionibus necessarium revera estne distinctionem retinere inter Superiorem ecclesiasticum et religiosum, cum hi duo ad unum Ordinem vel Institutum pertinent? Si affirmative, providendum est ut difficultates vitentur, in activitatem Missionum influentes.

(Notandum: audivi — probare non possum, sed ratio agendi cum Religiosis Sacerdotum etiam iuniorum, in non paucis territoriis, sat confirmare videtur — Seminaria adesse in quibus, in educatione alumnorum, contemptus quidam in Religiosos instillatur).

b) In territoriis in quibus diversi inveniuntur ritus catholici, generatim inter eorumdem Ecclesiasticos et etiam fideles unio et cooperatio desunt; non semper in bonum invicem aemulantur, et casus dantur apertae discordiae.

Quantum intersit remedium quaerere et hoc evidentissimum est. Ex parte mea, unum tantum dico: In tractandis negotiis et quaestionibus solvendis, quae in uno eademque territorio diversos ritus catholicos respiciunt, Auctoritates Ecclesiasticae superiores summe attendere debent ut rem plane cognoscant, ne subreptiones aut etiam obreptiones dissimulentur, et omnimodam aequitatem erga omnes semper servent, aliter enim graves exsurgunt difficultates ac discordiae, quae facillime ab eterodoxis cognoscuntur, cum effectu magis eos in separatione ab Ecclesia Catholica confirmandi.

c) Maior optatur unio, collaboratio, cooperatio et aliquoties concordia et christiana caritas inter diversos Ordines et Instituta religiosa, praesertim cum in eodem territorio domus habent et laborant.

Quot vires sic etiam disperduntur, his temporibus, quantum utilitati Ecclesiae et animarum necessariae?

d) Unio deficit aliquoties inter membra unius Ordinis vel Instituti religiosi, aut etiam unius Provinciae eiusdem Ordinis, et non semper fundamentum discordiae in ipsis Religiosis ponendum esse videtur; v. g. cuiusdam Ordinis aliquae, eaedem Provinciae, sexaginta annis ante canonice divisae, fuerunt unitae, postea denuo divisae et denuo unitae: haec fluctuatio in Auctoritatibus Superioribus (Ordinis vel SS. Congregationum, nescio) ad animorum unionem procul dubio non confert, immo partes adiuvat (capita calida, sub maioris boni specie alios agitantia, in quacumque sodalitate inveniuntur), cum magno damno non solum activitatis, sed vitae religiosae et praecipue caritatis fraternae, ne dicam christianae.

III. *De fidelibus catholicis*

Primum necessarium est, plane apparet, fideles toto animo hortari, apud ipsos sine intermissione, cum Dei auxilio, instare, ut vitam revera christianam, sive personalem et familiarem, sive socialem, secundum proprias obligationes, in omnibus vivant.

Potissimum familia catholica instauranda est: ab omnibus animarum Pastoribus et Praedicatoribus, in omnibus territoriis, velut « *Crociata* » fortissima facienda esset contra pessimum malum abusus Matrimonii, tam late diffusum, cui miserae conditiones oeconomicae, in casibus non paucis, revera fundatum praebent praetextum, in maxima parte autem simplex praetextus solum est, ad velandam aliquomodo voluntatem necessaria sacrificia vitandi et cupiditatem ad arbitrium vivendi.

Dissipatio familiae ante omnia a malo isto pendet, cum gravissimis consectariis in tota vita christiana.

Scissura, in fidelibus, inter fidem et praxim vitae: huic malorum fonti, cunctis viribus, cum auxilio Dei, enitendum est ut, quantum fieri potest, remedium afferatur.

Ad hoc, perspicuum est *Institutionem Catecheticam* et puerorum et adultorum esse summe curandum; interest proinde in praxi quid faciendum sit statuere, ut animarum Pastores, in non paucis locis saltem, melius dictae institutionis gravissimum officium adimpleant, et fideles expositionem catechismi magis frequentent, ut ad catechismum tradendum boni adiutores inveniantur ac praeparentur, in scholis vero et Associationibus Actionis Catholicae efficax methodus sequatur.

In institutione catechetica, praesertim iuvenum et adultorum, perspicue utique et efficaciter exponenda sunt credenda, facienda et vitanda, sed attendendum est ut magnum locum teneat tractatus de *Gratia,* de quo generatim breviter tantum agitur, cum veritatibus quae profluunt de summo amore Dei et D. N. Iesu Christi erga nos, de magna dignitate ac pulchritudine vitae christianae, de necessitate hanc dignitatem conservandi etc.; exaltationi, nostris temporibus, vitae naturalis et saepe tantum animalis, opponenda est digna expositio et exaltatio vitae divinae, per gratiam, in nobis; sic fideles melius intelligent, cum Dei adiutorio, necessitatem christiane revera in omnibus vivendi, ad peccatum grave, maximam ruinam, vitandum et ad gratiam sanctificantem, qua ad divini consortii dignitatem sublimantur, semper custodiendam et augendam.

Tota humana societas nunc ad unitatem tendit et adspirationes universales in omnibus manifestat, in institutione catechetica oportet igitur lucide et sat late exponere quoque fidelibus, secundum eorum captum, doctrinam de *Corpore Mystico,* ut videant et considerent magnificam unitatem et universalitatem, nobis datas, et ad quas omnes vocat D. Iesus, magis autem ut informentur ad vividum sensum responsabilitatis erga alios, et sic clarius cognoscant et efficaciter adimpleant, necessaria sacrificia sustinendo, officium quod habent adiuvandi Pastores animarum, ut Ecclesia Catholica tepidos, indifferentes, errantes revocare et omnes homines in unum, pro vero bono et utili progressu quoque totius humanitatis, adunare valeat.

Thesaurus S. Liturgiae, omnibus fere fidelibus profunde absconditus, ipsis detegendus, aperiendus est, maxime S. Missa — Sacrificium Corporis Mystici, in unitate et universalitate —, praeter autem explicationes frequenter a Pastoribus animarum faciendas, methodus apta pro praxi quaerenda et statuenda est, ut iidem fideles magis participent ad SS. Functiones, ad Sacramentorum administrationem, praecipue ad S. Missam, diebus de praecepto; sic enim libentius et maiore cum pietate in ecclesia assistent, et magnum auxilium habebunt pro vita christiana vivenda.

Omnes Parochi certo curare debent ut maior numerus, qui fieri possit, fidelium Associationibus Actionis Catholicae, secundum eorum conditionem et quamcumque formam hae habeant, nomen dent, at instandum est, ut in primis et ante omnia attendatur ad formationem vitae intime christianae et spiritualis adscriptorum, ita ut aliis optimum semper praebeant exemplum, parati sint se sacrificare et operam, quantum possunt, praestare, sub omnimoda obedientia Superioribus Ecclesiasticis, pro bono Ecclesiae et animarum, zelotypiam ad invicem

absolute vitent non solum, sed mutuo se adiuvent, et agenda cum caritate inter se componant.

Cum, his temporibus, incolae unius Nationis facile ex uno in alium territorium transferantur, et plurimi etiam in diversam Nationem emigrent, fidelibus et ipsis Pastoribus valde utile existimo ut statuatur, quam primum fieri possit, *parvus Catechismus universalis* pro fidelibus totius Ecclesiae, in quo tantummodo praecipuae, necessariae veritates, obligationes, preces, formulae habeantur (nonne posset nunc parari, ita ut a Concilio, si velit, approbetur ac promulgetur?); talis Catechismus, idem in orbe terrarum etiam unitatem et universalitatem Ecclesiae Catholicae magnifice patefaceret; si autem, propter peculiaria locorum adiuncta, necesse *revera* esset, Episcopi unius Nationis simul uniti brevem appendicem addere possent.

Gravissimae ac dolentissimae quaestiones: continuus, gradualis, ultimo saeculo, *progressus incredulitatis et atheismi,* sive intellectualis, sive practici; continua *secessio ab Ecclesia Catholica operariorum* et in multis locis etiam ruricularum, intra Nationes catholicas (tantum in aliqua Natione, haec secessio, ultimis annis, — videtur —, parum paulatim minuitur).

Quomodo his malis occurrendum, et quid in praxi faciendum sit, ad remedium, quantum fieri possit, afferendum, una erit, opinor, ex maioribus tractationibus Concilii.

IV. *De christianis dissidentibus*

Quoad schismaticos. Cuique per aliquod tempus commorato in territoriis, ubi schismatici inveniuntur, clara apparet distinctio inter Ecclesiasticos et fideles: fideles parum videntur cognoscere veram differentiam inter proprias Ecclesias et Ecclesiam Catholicam, non pauci affirmant esse solum quaestionem inter Ecclesiasticos diversarum Ecclesiarum, qui propter eorum commoda et utilitates non concordant (haec opinio et inter aliquos catholicos circumstantes invenitur), generatim erga Ecclesiam Catholicam et catholicos benigni vel indifferentes sunt, sed eodem tempore proprio Clero valde uniti sunt; Ecclesiastici vero firmissimi ac maxime tenaces sunt contra Ecclesiam Catholicam, paucis factis exceptionibus, et quorumdam repugnantia usque ad odium pervenire videtur.

Vera et maxima difficultas pro unione, nullum dubium, ab Ecclesiasticis provenit; si eorum animus intime non mutatur, quaelibet unio ficta et instabilis erit, fideles enim ipsos in omnibus sequuntur.

Cum utile esse possit, ad cognoscendam in parte naturam difficultatum

pro unione, quamvis veracitatem affirmationis nesciam (quorum interest, investigare possunt), quod et sicut, ultimo tempore, audivi, refero: plures Ecclesiastici schismatici, in superioribus gradibus hierarchiae, inter quos et Patriarchae, sectae massonicae adscripti sunt.

Quoad haereticos. Numquam, per spatium temporis, in eorumdem territoriis commoratus sum, ipsorum animum proinde directe non cognosco; ex conversationibus aliquoties habitis cum quibusdam, in Sinis, et ex iis quae audivi, ignorantia Ecclesiae Catholicae, et praeiudicia contra ipsam iam a prima pueritia instillata, addita saepe quaestione nationalitatis, praecipuae causae apparent aversionis contra ipsam Ecclesiam.

Pro omnibus christianis dissidentibus, fratribus optatissimis, cogito haec, nunc, fieri posse ac debere:

Apud omnes catholicos: Clericos, Religiosos, Fideles ardenter instandum est, ut pro dissidentibus, supra omnia, orent, multum orent; paullatim inter ipsos formanda est profunda persuasio grave officium esse frequenter et fervide rogare, ut Dominus benigne quam primum suam divinam orationem perficiat: « omnes unum sint », « sint consummati in unum ».

In labore pro unione dissidentium, magis quam ad singulorum conversionem attendendum est ad rationem generalem, qua unius Nationis, vel territorii aut sectae reditus ad Ecclesiam Catholicam paulatim praeparetur.

Hoc fieri potest, intra Ecclesiam Catholicam etiam cum aliqua reformatione disciplinari, si necessaria vel utilis appareat, sed praesertim vivide amplificando ardens desiderium unionis in veritate et caritate, ita ut omnes catholici ex una parte nitantur conservare et augere genuinum spiritum Christi in seipsis et per seipsos in tota Ecclesia, ex alia parte vero semper libenter agnoscant partem hereditatis christianae, quae inter dissidentes perdurat, et cui iidem legitime et acriter inhaerent; cum Ecclesiis et sectis dissidentibus autem omnes viae experiendae sunt, ut a viris (ecclesiasticis vel etiam laicis), legitime et accurate a Superioribus Auctoritatibus Catholicis selectis, praeparatis ac statutis, conversationes iniri possint cum earumdem Moderatoribus, Ducibus, quibus vero, magna semper cum patientia, prudentia et caritate, Ecclesia Catholica exponatur ac demonstretur ut plenitudo bonorum a Christo suis sectatoribus relictorum, ita ut, gratia Dei adiuvante, veram naturam schismatis aut haereseos revera percipere valeant, et sic reditus ad unitatem cum et in Ecclesia Catholica omnibus et singulis, sine exceptione, necessarius prorsus appareat, ut simplex fidelitas D. Iesu Christo.

Necesse est, ut Clerici, Religiosi, Fideles catholici omnes, cuiusque conditionis et ritus, praesertim vero si inter dissidentes versantur, opti-

mum semper praebeant exemplum intimae unionis S. Matri Ecclesiae, Romano Pontifici singulatim, et aliis Superioribus ecclesiasticis, erga hos omnes, et maxime Romanum Pontificem, magnam devotionem et profundum amorem in omnibus manifestent; necesse est praeterea ut inter se, Clerici et Religiosi praecipue, unionem semper conservent et ab omni discordia aborreant, mutuo se adiuvent et veram caritatem christianam in omnibus custodiant ac patefaciant.

V. *De infidelibus*

Ultimis decenniis, gratiarum actiones maxime Deo sed etiam Romanis Pontificibus agendae sunt, spiritus missionarius inter catholicos bene progressus est; ante immensum autem numerum infidelium, qui quotannis tantum crescit, gravitas necessitatis strenuissimi laboris, in eorumdem et Ecclesiae ac totius generis humani bonum, luce clarior apparet.

Imprimere in tota Ecclesia novum ac vehementem impetum pro fidei propagatione et infidelium conversione, ad augmentum Corporis Mystici, in unitate, ad universalitatem: valida nota, arbitror, futuri Concilii sit, oportet.

Quod sentio, veniam petens, simpliciter expono: D. Iesus hoc, cogito, requirit, ad peculiaria beneficia et gratias Ecclesiae et animis concedenda, ut consuetudo vitae christianae inter catholicos in dies elevetur, ut unitas omnium christianorum citius ac facilius componatur, ut finis a Deo, permittendo Communismi athei propagationem, in bonum totius humanae societatis, praestitutus, quam celerrime perficiatur, et sic tantum perversitatis monstrum a facie terrae evanescat.

Pauca ordinaria adiungo:

In omnibus Seminariis, iuvenes a primis annis et magis cum ad Theologiam perveniunt, spiritu missionario ac fervore pro fidei propagatione et infidelium conversione imbuantur; Episcopi autem non timeant concedere licentiam, si quis Seminarista debitis qualitatibus praeditus, tempore opportuno, territorium Missionum petere vel Institutum missionarium ingredi postulet: Dei ampliores benedictiones optime Dioecesis necessitates supplebunt.

Seminaristae in primis incitandi sunt, ut fervide, frequenter orent et quantum valent toto animo operam praestent pro P. Opera a S. Petro Apostolo: Clerus regionis incola enim fundamentum est Ecclesiae, in territoriis Missionum.

Potissimum in Seminariis Missionum iuvenes informandi sunt ad bene fundatum zelum ac fervorem pro conversione infidelium propriae gentis vel Nationis, hic zelus debet ita inseri in Seminaristarum animum, ut sit postea velut vita eorumdem vitae sacerdotalis erga alios, aliter

accidere poterit ut quis, Sacerdos ordinatus, ad curam attendat maioris vel minoris numeri catholicorum, qui quasi clausa « casta » constituunt inter circumstantem turbam infidelium, pro quibus nihil aut nimis parum facit, ut nostram S. Religionem cognoscant.

E zelo Pastorum magna ex parte spiritum missionarium fidelium pendere, perspicuum est: Ordinarii locorum et Sacerdotes in cura animarum omni ope subditorum animum inflammare studeant, ad propagationem fidei adiuvandam; nullo modo timore damnorum pro operibus sibi commissis retineantur, factis enim confirmatum est: fideles quanto magis genuinum ac profundum spiritum missionarium habent, non tantum eo meliores sunt, sed etiam pro necessitatibus propriae Ecclesiae libentius et generosius sacrificia sustinent.

Cum singularia plus moveant quam generalia, considerandum est num oporteat et utile sit proponere ut quaeque Dioecesis, in Nationibus catholicis, adoptet unum territorium (Dioecesim, Vicariatum, Praefecturam Ap.) in locis Missionum, pro precibus peculiaribus fundendis ac relationibus ad invicem habendis, quod per Pontificia Opera Missionalia statuendum esset; talis adoptio autem ne extendatur ad eleemosynas colligendas et mittendas, has necesse est, ut confusiones vitentur, omnes semper manere ad dispositionem praefatorum PP. Operum, pro aequa distributione.

Perpendendum praecipue est, num prudens et utile sit ut, praeter « Diem Missionalem » universalem, statuatur, in tota Ecclesia, alia « *Dies pro P. O. a S. Petro Ap.* », praesertim ut adscripti omnium Associationum Actionis Catholicae pro Clero Indigeno fervide orent, et praefatum Opus — verae actionis catholicae summum — prae aliis strenue adiuvent; tertia vero *Dies pro P. Opera S. Infantiae* pro omnibus pueris infra duodecimum aetatis annum, ut excitentur ad preces fundendas, ad sacrificia ac munera, secundum propriam conditionem, offerenda pro pueris infidelibus, ut ad Baptismi gratiam perveniant, et scholae catholicae, in Missionibus, pro ipsorum educatione adiuventur.

In Omnibus Ordinibus et Institutis religiosorum utriusque sexus, nulla facta exceptione, magna cura sit iuventutem ad profundum spiritum missionarium informare, et eumdem spiritum, in cunctis sodalibus, semper vividum et industrium sustinere; non solum enim precibus ac sacrificiis potiora gratias et beneficia a Domino pro Ecclesia, in Missionibus, et animabus obtinebunt, operibus vero, secundum propriam conditionem, propagationem fidei adiuvabunt, sed praeterea magnum auxilium habebunt ad vitam spiritualem dilatandam ac fervorem conservandum et augendum, etiamsi vitam contemplativam praecipue ducant, aut finem secundarium diversum ab opere missionario prosequantur.

Ordines et Instituta quae Missionarios inter infideles mittunt, moneantur ut attente considerent vitam, personam, qualitates, indolem futurorum Missionariorum: qui, omnibus perpensis, utiles tantum, vix forsan, esse poterunt in regionibus catholicis, ordinarie non inserviunt, aut nimis parum, in Missionibus; praeter enim profundam vitam spiritualem et interiorem — condicio prima, absolute necessaria —, bonam indolem, quamdam ingenii facultatem, requiritur etiam firmitas animi, spiritus consilii ad agendum et constantia in tolerandis adversis ac periculis solitudinis superandis.

Superfluum puto de praeparatione futurorum Missionariorum agere.

De operibus, in Missionibus, unum tantum noto: Superiores Ecclesiastici commonendi sunt ut bene attendant ne in proprio territorio, sub qualibet auctoritate vel nomine Ecclesiae, instituantur scholae, nosocomi, dispensaria, hospitia vel alia, quae populo rationem et occasionem praebere possint iudicandi atque colloquendi primo, aut unice, ad pecuniam acervandam erecta; si vero talia opera iam existant, aut paulatim, decursu temporis, in modum agendi prolapsa sint, qui iudicia ac dicteria illa confirmet, iidem Superiores prudenter quidem sed fortiter providere ac remedium, quaerere debent: pro bona fama et fine Ecclesiae Catholicae, melius est, cogito, supra dicta opera non sint.

Quando autem eveniat, ut Religiosae vel Missionarii vocentur in auxilium Operibus, de quibus ut supra, ab Auctoritate ecclesiastica non erectis, et bonum putent invitationem acceptare, eorumdem operum administrationem oeconomicam non suscipiant, immo clarissime appareat ipsos in tali administratione nullam partem habere, et solum auxilium praestare in bonum et spirituale et materiale alumnorum, infirmorum vel aliorum.

Quoad fideles: quantum intersit fideles melius intelligere officium adiuvandi propagationem fidei et efficacius, viribus unitis, ad istud cooperari, ut elevetur quoque eorumdem vitae christianae ratio, quam necesse sit animarum Pastores ac Praedicatores ipsos, toto zelo, ad tantum officium implendum inflammare ac dirigere, inutile est repetere; potius:

in futuro Concilio, bonum, utile, prudens estne statuere expresse, nominatim, certum aliquod minimum, a catholicis praestandum, ut officium adiuvandi propagationem adimpleant?

Sollemnitas Concilii valde conferret, opinor, ad imprimendos in fidelium animis sensus magnitudinis, sanctitatis, gravitatis operis propagationis, fidei, et officii ad tam sublime opus, quotidianis precibus, sacrificiis, opportunis muneribus et activitate, secundum cuiusque conditionem, reapse cooperandi.

Problema peculiare: *Mahumetani.*

Omnibus notum est illos quoque, qui inter christianos vel prope vivunt (et eorum antenati per saecula vixerunt), atque quotidianas mutuas relationes habent, nullum prorsus Christianismi influxum subire; eorumdem fanatismum religiosum altas habere radices affirmatur, mihi videtur autem, ni fallor, ex parte catholica nimis parum factum esse ad ipsos appropinquandos, ad ipsorum animum revera cognoscendum et vicissim ut ipsi nos melius cognoscant; quod fieri potest, quamvis minimum sit, faciendum est, ut ex parte nostra conemur saltem ipsos adiuvare ad praeiudicia contra Religionem Catholicam minuenda, et ut paullatim, misericordia Dei adiuvante, eamdem Religionem magis existimare incipiant.

Hoc cogitavi: Romae, sub auctoritate S. C. de Propaganda Fide, aut alius S. Congregationis, instituendum esset peculiare Centrum studii superioris solummodo pro Islamismo, in quo attendatur ad profundam cognitionem omnium quaestionum ipsum respicientium, curetur relationes culturales cum potioribus Institutis islamicis studii pedetentim inire, quorum ephemerides, opuscula, studia recipiantur et quibus illa a se prodita mittantur.

Centrum ipsum informaret ad studia superiora Islamismi ac linguae arabicae Sacerdotes, a Superioribus Ordinum et Institutorum inter Mahumetanos laborantium destinatos, qui postea Missionarios inter Mahumetanos mittendos doceant et praeparent; admittendi autem essent etiam alii Sacerdotes, fideles catholici vel solum christiani, qui, quacumque ratione, Islamismum penitius cognoscere vellent.

Cum primum fieri posset, idem Centrum curaret erectionem Sectionis secundariae, sub sua tamen moderatione, in una civitate, quae magis apta iudicetur, cuiusque Nationis islamicae, ut directe cognitiones acquirat et communicet, et fines, ut supra, quantum valet, in loco prosequatur.

Praecipue statuenda esset, in praefato Centro studii, una Sectio activitatis practicae, ut dicitur, quae opportune sed assidue inter catholicos gravitatem problematis conversionis Mahumetanorum agitet, illos excitet ut pro his fervide rogent ac sacrificia Deo offerant, divulget, in ephemeridibus et opusculis catholicis, notitias, breves commentationes et alia apta, ad vividum semper tenendum, inter fideles, tam grave problema.

Notandum: *De Hebraeis* — quorum, ut asseritur, pars minor in formam Pharisaeorum acriter tendit, maior — autem in atheismum, saltem practicum, in dies labitur, omnes vero Religionem hebraicam et Nationem Israel cum eiusdem populi stirpe unum idem esse firmiter tenent ac tenaciter ab externis contagionibus defendunt — tantum dicere valeo:

quae pro christianis dissidentibus, nunc, fieri possunt et debent, ad

ipsos quoque applicanda videntur, mutata tamen, ut patet, basi conversationum, quae fundandae sunt in prophetiis Veteris Testamenti, cum relatione ad D. Iesum et Ecclesiam Catholicam.

VI. *De quaestionibus cum natura, doctrina, activitate Ecclesiae Catholicae connexis.*

In quantulum mea brevis visio extenditur, sequentes quaestiones praesertim (quarum generatim mentionem solum facio) tractandae essent:

1. Ecclesia Catholica et iura et officia, secundum ius naturale ac doctrinam eiusdem Ecclesiae: *a*) Personae humanae; *b*) familiae; *c*) Societatis civilis; *d*) Rectorum seu Gubernatorum, quocumque nomine designetur, societatis civilis, i. e. Moderatorum, Nationum ac populorum: praefata iura et officia — praecipua utique, omnibus communia et necessaria — breviter et lucide exponenda sunt.

2. Ecclesia Catholica et: *a*) Pax inter omnes populos ac Nationes; *b*) Amor singulorum erga Patriam; *c*) Desiderium et ius cuiusque populi ad libertatem politicam; *d*) Forma Gubernii in Nationibus; *e*) Unio vel foedus inter Nationes; *f*) Nationalismus exaggeratus.

3. Ecclesia Catholica et suum ius et officium, a quacumque potestate civili omnino independenter: *a*) Praedicandi Evangelium, seu propagandi fidem catholicam omnibus gentibus; *b*) Libere prorsus exercendi omnia ministeria spiritualia in bonum animarum, et praedicandi doctrinam catholicam omnibus; *c*) Instituendi, in propriis Seminariis et Institutis religiosis, alumnos pro ministeriis ecclesiasticis ac vita claustrali; *d*) Aperiendi et regendi scholas cuiusque gradus; *e*) Interveniendi et suam sententiam pronunciandi ac promulgandi in omnibus quaestionibus vitae civilis et politicae, quae directe vel indirecte ius divinum naturale aut positivum tangunt; *f*) Habendi omnia bona temporalia immobilia ac mobilia, ad proprium finem obtinendum, necessaria et utilia.

4. Ecclesia Catholica et scientia:

a) Non solum apertissime approbandus et laudandus est progressus, nostris temporibus, omnium scientiarum, naturam sensibilem et vitam humanam respicientium, sed et validum optatum manifestandum est quod idem progressus, in bonum totius humanae familiae, in dies prosequatur atque dilatetur.

b) Cum homo tamen non solum materia sed et spiritu constet (naturam spiritus seu animae humanae, perpensa amplitudine, hoc tempore, materialismi, necesse est clare ac firmiter confirmare), praeter scientias materiam et sensibilia investigantes, alia scientia adest: vera scientia, nam et ipsa fundata in factis et experientia quotidiana vitae humanae, quae spi-

ritualia investigat; haec scientia autem, cum ea perscrutetur quae superant et sunt extra totum materiale ac sensibile, diverso tantummodo utitur criterio, ut ad conclusiones certas perveniat.

Tale criterium discriminationis, in investigationibus, inter scientias naturales ac physicas et scientiam metaphysicam clarissime ponendum et tenendum est, ab ipsa enim natura hominis provenit et in eadem natura fundatum est, idcirco omnes, qui veram scientiam circa hominem, consideratum in toto suo esse et in relatione cum universo externo, statuere volunt, idem criterium non modo negligere vel parvipendere nequeunt, sed omnino sequi debent.

Aperte affirmandum est utique quod omnium scientiarum naturalium et physicarum cultoribus tota prorsus relinquitur libertas in investigationibus et conclusionibus, monendi tamen sunt, ut bene attendant ne limites materiae et sensibilium transgrediantur, si hos limites vero transgrediuntur — et fieri non potest ut aliquoties saltem non eveniat, nam hoc in unitate compositi humani insitum est —, et ipsi aperte agnoscantur atque confiteantur transitum ad aliam scientiam seu ad metaphysicam fecisse, et proinde non amplius ut peritos in scientiis naturalibus et physicis, sed ut philosophos hypotheses statuisse vel conclusiones posuisse.

c) Una ex causis, quae non parum influit in augendam incredulitatem hodiernam, ponenda est, ni fallor, in quadam diffidentia, vel melius in insufficientia adhaesionis animi plurimorum catholicorum circa universitatem scientiarum horum temporum, quod ansam praebet adversariis nos praesentandi ut inimicos scientiae.

Inventa a viris in scientiis peritis facta, eorumdem hypotheses et affirmationes saepe tam mira et inopinata sunt, ut aliquoties et Ecclesiasticis minus praeparatis et praecipue fidelibus ingerere possint dubitationem, aut non videant, quomodo cum doctrina ac morali catholica — sicut hae ab ipsis intelliguntur — componantur.

Accidit etiam ut non paucae hypotheses et affirmationes peritorum, magno cum apparatu, sicut vera et secura inventa scientiae praesententur, et contrariae alicui vel aliquibus articulis fidei et doctrinae catholicae demonstrentur, nec facile semper sit iisdem Ecclesiasticis sed praesertim fidelibus videre aut ubi fallacia inveniatur, aut quanta sit commentorum fragilitas.

Praetermissis malitiae humanae abusibus inventorum scientiarum, magnam partem procul dubio habentibus, hae videntur occasiones vel causae, separatim in catholicis, diffidentiae vel insufficientiae adhaesionis, de quibus supra, quae tamen erga omnes veras scientias, in se consideratas, nullo modo exsistere debent.

Ad istis difficultatibus, quantum fieri potest, obviandum, valde utile sit, arbitror, ut habeantur, Romae (non quidem in forma officiali Sedis Apostolicae, sed sub ductu et vigilantia unius S. Congregationis aut Universitatis catholicae), Commissio vel Secretariatus, in quo bis vel ter quotannis conveniant aliqui eximii Theologi ac Philosophi catholici et quidam selecti periti in praecipuis scentiis naturalibus, physicis, psycologicis, medicis, simul agant de inventis, hypothesibus, affirmationibus, ultimo tempore, a cultoribus scientiarum proditis, in iis quae doctrinam ac moralem catholicam tangere possunt, simul (sed auctoritate privata tantum) conclusiones statuant circa quae vere a scientiis acquisita appareant, vel solummodo, pro tempore, hypotheses et affirmationes sint, in quantum cum doctrina ac morali catholica relationes habeant, et indicent, si necesse sit, quomodo cum eadem doctrina ac morali componi possint.

Hae conclusiones, tempestive et mature conficiendae, largissime diffundendae sunt inter Ecclesiasticos et fideles, per ephemerides et opuscula catholica, vel etiam, si res maioris est momenti, per commentaria ipsius Commissionis vel Secretariatus.

In eadem Commissione vel Secretariatu, aliqui Clerici vel laici permanenter adnumerentur, qui semper parati sint recipere quaestiones, difficultates circa scientias, ab Ecclesiasticis et fidelibus propositas, et ipsis respondere, si possunt, aliter vero ut easdem proximo conventui, de quo supra, pro responsione praesentent.

5. Ecclesia Catholica et ius proprietatis privatae: huius iuris fundamentum, extensio, limites, officia breviter et lucide statuenda sunt.

Exponenda etiam sunt officia omnium privatorum erga communitatem in genere, et concives in specie.

Ut Ecclesiastici autem debite parati sint haec officia illustrare, monendum est ut in studio Theologiae moralis et in Manualibus eiusdem Theologiae magis ac magis extendatur tractatus de officiis singulorum erga communitatem et alios.

(Apte et apposite circa studium Theologiae Moralis, in genere, quaeri potest: Nonne utilius esset ut auctores ipsius manualium, et idcirco Professores in docendo, magis extenderent partem positivam boni faciendi, exponendo omnes obligationes totius vitae christianae in unitate visionis nostrae incorporationis cum Christo, et minus — quam ordinarie fiat — partem negativam mali fugiendi et expositionem nimiam casuum?

Nonne bonum esset ut iidem auctores, generatim loquendo, maiore cum consideratione et prudentius procederent in statuendis peccatis mortalibus, ne videantur, cum ad singularia descendunt, minus attendere

ad principia actum humanum eiusque impedimenta et conscientiam respicientia, cum periculo assuefaciendi Confessores ad parvipendenda ipsa principia, in iudicandis poenitentibus?).

6. Ecclesia Catholica et operarii, seu omnes qui, quocumque modo, operam in aliorum utilitatem praestant, et sic necessaria ad vitam comparant:

Quaestionem operariorum magni — vel summi — esse momenti, sive pro bono animarum, sive pro bono Ecclesiae et societatis, nemo non videt; futurum Concilium proinde, procul dubio, cum sua sollemnitate ac potestate, non solum totam benevolentiam et sollicitudinem erga operarios cuiusque speciei manifestabit, sed etiam omnia principia, a doctrina catholica promanantia, definite statuet circa salarium, consociationes operariorum, — exsistentiam et extensionem ipsorum iuris ad communicationem fructuum vel utilium, ex eorumdem labore provenientium —, honestam securitatem vitae, tempore infirmitatis ac senectutis, quietem necessariam corpori et ad christianas obligationes adimplendas, ad animum excolendum ac vitam familiarem fovendam, et circa laborem mulierem et adolescentium; ex iis officia et obligationes omnium, qui operarios ad laborem assumunt, certe deducet, ipsorum tamen iura non praetermittet.

Quamvis limpida, ex parte mea hic noto: Communismus atheus — vehementissime dolendum — quam magnam multitudinem operariorum decepit et ubique, in dies, omni arte, sine intermissione, subdole, acriter laborat, ut alios decipiat!

Ad eiusdem propagationi resistendum et ad iam deceptos recuperandos, verba, controversiae, disceptationes, cum iis praesertim qui doctrina communismi imbuti sunt, experientia teste, generatim nihil inserviunt.

Interest certissime ut Ecclesiastici omnes, praesertim, magis quam Communismi actionem seu modum agendi, bene cognoscant eiusdem ideologiam seu basim philosophicam — quod facile non est, et revera seipsos illudunt qui putant, cum summaria quadam praeparatione, Communismum, ut nunc a dirigentibus praesentatur, cognosci ac confutari posse: nimios sic illusos inveni! — ad perspiciendam eiusdem intimam perversitatem et ipsum secure confutandum, cum oportet, ut a contagione praeservent qui nondum decepti sunt; at primum, prorsus necessarium ex parte omnium Ecclesiasticorum ac Religiosorum, ut reapse Communismo valide resistant, ac deceptos adiuvent ad resipiscendum, est *exemplum vitae,* singulatim:

Paupertas — magis quam aliis temporibus, nunc societatis conditio requirit ut hac virtute Evangelium praedicetur —: simpliciter, moderate semper, in omnibus vivant (secundum utique cuiusque statum et

gradum), usum commoditatum ad necessaria restringant, beneficiarii valde attendant ad modum se gerendi cum parentibus et propinquis, omnia a se amoveant quae superfluum et tanto magis luxum sapiunt, ab aviditate bonorum temporalium non solum omnino abhorreant, sed hunc sensum etiam, secundum occasiones, aperte prodant.

Caritas profunde christiana, summa e toto eorum agendi modo semper spiret: omnes benevole, benigne recipiant et tractent, seclusa quavis iactantia dominationis quae, nostro tempore, valde offendit, omnibus urbane et comiter loquantur, omnibus sine ulla distinctione, sed potissimum pauperes, operarios et quacumque necessitate oppressos, se et sua libenter sacrificando, adiuvent:

solummodo cum hoc vitae exemplar fundamento — solide posito utique supra petram ferventissimae, quotidianae, non intermissae orationis — alia omnia, ab Ecclesiasticis adversus communismum atheum agitata, prodesse poterunt.

7. Ecclesia Catholica et « Stampa, Arti, Cinema, Radio, Televisione, Sport ».

Praesertim enixe instandum est, ut catholici optimas, sub quovis respectu, habere curent ephemerides, quae cum aliis competere valeant, validos scriptores ac peritos ad hoc praeparent, potissimum vero omnes fideles hortandi sunt, ut perpendentes magnam vim ephemeridum, nostris temporibus, illas cum proprio etiam sacrificio adiuvent, divulgent, et tantummodo quae in omnibus catholice se gerunt, emant ac legant.

Ultimum denique cogitatum:

Ad Concilii finem (aut ab initio vel alio tempore, sicut opportunum videbitur), necessarium prorsus existimo, ut Patres in unum cunctae familiae humanae, omnibus populis et populorum Rectoribus nuntium dirigant, qui sit animi vehementissime dolentis et ardentissime amantis clamor fortissimus et altissimus contra maximum malum horum temporum: *negationem Dei,* sive intellectualem seu theoricam, sive practicam, qua vita ducitur velut si Deus Eiusque leges minime exsistant.

Benigne utique at strenuissime proclamandum est, utramque negationem, quae terribilem in modum tam late diffusa est, et in dies diffunditur, veram, profundam causam primam et ultimam omnium malorum societatis esse, alias vero multiplices causas, secundarias esse et ab illa funditus pendere.

Omnes populi et potissimum omnium populorum ac Nationum Rectores, ferventissimis verbis, maximum amorem et dolorem spirantibus, monendi sunt, ne se miserrime decipiant, unice confidendo, pro humanae societatis conditione elevanda, in progressu scientiae et insti-

tutionis solum humanae populorum: ultimis centum annis, vere magnifica inventa scientiarum, vere miranda extensio institutionis omnis generis alumnorum, in scholis. At cuncti populi, omnes Nationes quanta... passi sunt, non certe minora, et forsan valde maiora, quam aliis temporibus; adhuc autem non tantum cuncti populi, omnes Nationes, sed tota simul familia humana quam gravibus malis, a decenniis, premitur, nec solida spes proximae solutionis apparet, immo causae, effectus, occasiones malorum in dies crescere videntur.

Mala valde peiora tamen, maxime terribilia merito timenda sunt, nisi prima fons malorum in apostasia a Deo recognoscatur, et populi ac Nationes ad Deum, omnium Creatorem, Gubernatorem, Patrem amantissimum, revertantur et se convertant.

Non solum catholicis omnibus, sed omnibus quoque christianis et cunctis Dei cultoribus vividissima cohortatio dirigenda est, ut maximum peccatum et malum negationis Dei, quod procul dubio ad divinam iustitiam assidue clamat, quotidie expient precibus, poenitentia et praecipue propria vita, in omnibus secundum Dei leges ordinata.

Iidem catholici et omnes alii, ut supra, enixe hortandi sunt praeterea, ut omnibus viribus, secundum cuiusque statum et conditionem, operam dent, ad pessimum delictum negationis Dei, sive theoricae sive practicae, a facie terrae auferendum.

Populorum Rectores ac Nationum Moderatores, debita quidem forma sed peculiariter et aperte commonendi sunt: omnes, ut quotidie affirmant et proclamant, proprii populi ac Nationis verum bonum et progressum semper et in omnibus intendunt et quaerunt; bene perpendant tamen: si Deum negant, si in regimine Dei leges negligunt — Deus non irridetur! — serius ocius, proprio populo ac Nationi gravissima pericula, damna aut etiam ruinam parant; si revera populi ac Nationis elevationem familiae et educationis, progressum socialem, prosperitatem oeconomicam, unitatem, pacem, securitatem optant, absolute necesse est ut fundamentum totius regiminis in Deo Eiusque legibus firmiter ponant: in voluntate Dei stant populorum ac Nationum sortes, Deus in omnibus dominatur.

Nuntius iste, — opinor atque exopto —, in quacumque lingua cognita conficiendus est; inter cunctos populos ac Nationes, per ephemerides et opuscula ac per paginas separatas, maxime diffundendus est; singulatim omnibus supremis Rectoribus et Moderatoribus cuiusque populi ac Nationis, sine distinctione idearum ac Partium, mittendus est; praeterea modus cogitandus et inveniendus est, ne cito in oblivionem cadat.

De inepte propositis et expositis, ac de plurimis mendis veniam peto.

Amantissimum Cor Iesu, Immaculato Corde Matris Mariae cum omnibus Sanctis intercedentes, preces supplicationesque benigne suscipiat, per Spiritum Sanctum Concilii Patrum atque omnium hominum corda dirigat ac moveat, ut finis futuro Concilio Oecumenico praestitutus, ad regni Sui amoris adventum, in gloriam SS. Trinitatis, ad sanctificationem, propagationem et unitatem Ecclesiae Catholicae, Sui Corporis Mystici in terra, in animarum salutem et totius humanae familiae utilitatem, secundum universam amplitudinem Sui divini beneplaciti, reapse perficiatur.

Cuncta bona a Domino adprecans, devotissimo cum obsequio S. Purpuram deosculor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimus servus
✠ FERDINANDUS F. PASINI
Episcopus Saniüenensis

29

EXC.MI P. D. MICHAELIS A. ARDUINO
Episcopi Sciaoceuvensis (Shiuchow)

Augustae Taurinorum, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Epistolas Tuas die 18 iunii datas grato animo recepi.

Cum iam octo annis a mea Dioecesi expulsus sim, mihi perdifficile est animadversiones, consilia et vota pro futuro Concilio Oecumenico proponere.

Sed cum vocatus essem ab Eminentissimo Cardinali Fossati, Archiepiscopi Taurinensi, ad concertanda cum Eo consilia et vota pro Concilio, meas facio omnes animadversiones Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae ab Eodem Cardinali missas.[1]

Sacrum anulum osculans Tuam benedictionem pro me et pro mea dioecesi humiliter posco.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humilis servus
✠ MICHAËL A. ARDUINO, S. D. B.
Episcopus Sciaoceuvensis

[1] Cf. Vol. II, part. III, pp. 647 ss.

30

Exc.mi P. D. EDGARII A. HAERING

Episcopi Scioceuvensis (Shohcow)

Ingolstadt, die 4 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Pervenit mihi epistola Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 18 iunii 1959, 1 C/59-1266, monens, ut suggeram animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Cum omni reverentia proferam unum desiderium. In Codice Iuris Canonici de iure missionum non multum tractatur. Ius vigens in missionibus in canones redigatur, pro maiore commoditate, unitate atque uniformitate.

Maxima qua par est reverentia deosculans Sacram Purpuram maneo Eminentiae Tuae Rev.mae

in Domino addictissimus servus

✠ Edgarius A. Haering, O. F. M.
Episcopus Scioceuvensis

31

Exc.mi P. D. IGNATII KRAUSE

Episcopi Scioenteani (Shunteh)

Laranjeras do Sul, die 3 septembris 1959

Iuxta litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1269, haec mihi proponenda videntur.

Permanet in Brasilia usus S. Chrismatis sacramentum infantibus ministrandi. Qui quidem usus originem suam ducit ex illis temporibus, quando fines dioecesium aliarumque ecclesiasticarum circumscriptionum latissime patebant, itinera autem perardua erant. Nunc tamen et dioecesium fines sunt facti angustiores et itinera multo sunt commodiora, et hac de causa nihil impedit, quominus Episcopi saepius singulas paroecias et visitare et in illis sollemniter S. Chrismatis sacramentum administrare possint. Cum autem omnes parochi facultatem habeant « in articulo mortis » Chrisma fidelibus conferre, non adest periculum ut

aliquis hoc sacramento privetur. Suadendum ergo videtur ut communis S. Ecclesiae disciplina introducatur ita ut S. Chrisma nonnisi post primam Communionem conferatur. Ita et sacerdotes et parentes compulsos se esse sentient ad meliorem profundioremque religiosam formationem iuventuti praestandam, ut tandem inauditae prorsus et calamitosae in rebus fidei ignorantiae finis ponatur.

Mappae altarium, corporalia et purificatoria vi praescriptorum vigentium ex lino confecta esse debent. Regula haec nonnisi maxima cum difficultate et maximis expensis in Brasilia observari potest. Tela linea quasi semper ex aliis mundi partibus in Brasiliae fines importatur et solummodo in maioribus civitatibus idque pretio sat elevato venditur. Hinc paroeciae in dissitis regionibus collocatae — praesertim si maiorem numerum « cappelarum » habeant — vix res supradictas ex materia linea confectas comparare possunt. Magnum iam esset levamen, si ex tribus altarium mappis una solum sit ex lino, duas autem ex gossypio.

Quae dicuntur « taxae », etiamsi necessariae sint et iustae, semper aliquid odiosi prae se ferunt, praesertim si occasione administrationis sacramentorum exiguntur, ut communiter fit in Brasiliae dioecesibus. Altera tamen ex parte oblationes quae sponte fiunt tam exiguae esse solent, praesertim in minoribus paroeciis, ut vix ad sacerdotum sustentationem sufficiant. Nihil tales sacerdotes possunt seponere et pro vestibus comparandis aut libris emendis aut pro medicinarum vel aliarum id generis rerum expensis reservare. Et quid faciendum ad sustentationem in senectute assecurandam? Haec est — inter alias — causa, cur parentes, qui talem cleri dioecesani sortem prae oculis habent, filios suos ad seminaria mittere nolint; quis enim pater aut quae mater filium suum tam miseram vitam ducere vellet! Inter multas solutiones, quae cogitari possunt, haec forsan melior esse videtur: fideles per praedicationes, libellis et scriptis praeparare et exortare ad decimas praestandas ut fit in aliis mundi partibus. Quod tamen non repente, sed paulatim et, ut aiunt, sensim sine sensu, introduci potest. Hoc modo tollerentur taxae, tam sacramentorum sanctitati et dignitati contrariae.

« Caeremoniale Episcoporum » multa continet praescripta quae hodiernis consuetudinibus contraria sunt. Convenit novam editionem libri « Caeremoniale Episcoporum » praeparare moribus et usibus hodie vigentibus adaptatam.

Utilis immo et necessaria mihi videtur reformatio breviarii et accommodatio ministerio pastorali nostrorum temporum.

✠ Ignatius Krause
Episcopus Scioenteanus
Administrator Ap. Toletanus in Brasilia et Campi Moranensis

32

EXC.MI P. D. PHILIPPI CÔTÉ
Episcopi Siüceuvensis (Süchow)

Suao, die 21 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Eminentiae Vestrae Illustrissimae acceptas Eius litteras (Prot. N. 1 C/59-1304) denuntio et obsequium meum toto corde Ei offero.

Iam ab aliquibus annis desiderabam Summum Pontificem Concilium Oecumenicum convocare ad intensius accipiendas virtutes Fidei, Spei et Caritatis et ad percipienda media aptissima illas virtutes communicandi. Maximo cum gaudio accepi nuntium Summi Pontificis in Festo S. Pauli.

Impedimentum maximum et hodiernum Regni Christi, ut mihi videtur, est regnum communisticum in mundo atque, in specie, regnum communisticum in Sinis. Ad hunc secundum interpretandum, necesse esset saepius uti adiectivo verbo « similis » et coniunctivo verbo « sicut », quin etiam opus esset totam affabulationem fautorum huiusce regni intelligere, nam fautores illi non tam per directa verba quam per evocationes et suggestiones loquuntur ad suscitandos affectus faventes et conscientiae statum propitium erga communisticum regnum suum. En secundum argumenta fautorum huius regni aliqua delineatio. Si hanc delineationem delineationi Regni Dei apponeremus, melius ni fallor adhuc oeconomiam eiusdem regni perciperemus.

Nota essentialis regni communistici in Sinis

« Unusquisque secundum facultates suas et unusquisque pro sua necessitate ».

Si attendimus ad dicta, facta et scripta fautorum regni communistici in praesentibus adiunctis Sinarum continentalium, sensus istorum verborum est: regnum communisticum ibi non sola unius gregis membra, neque sola membra unius nationis, sed omnes homines promiscue sibi ascribit et quidem sine quolibet ex parte hominum proprio titulo eos sibi adiungit, nempe unicuique sese intrudit et opera uniuscuiusque exigit. Regno illo nihil ergo refert quomodo evenit quod « Unusquisque secundum facultates suas et unusquisque pro sua necessitate », nil quoque cur hoc accidere debet vel quidquid acciderit...

Notae secundariae

Prima: « Mundus proletarius hodiernus » eiusdem regni.

Hic mundus proletarius hodiernus secundum fautores regni communistici in Sinis habet tria propria. Primum proprium est: « Mundus proletarius a seipso solo procreat », i. e., per virtutem suam propriam, per vim suam crescit usque ad ultimam suam perfectionem, nempe mundum communisticum universale. Secundum proprium est: « Mundus proletarius hodiernus mundum summum habet deviciendum seu conquirendum », nempe illum mundum communisticum universale ubi neque proprietas privata existit, nec pecunia, nec locatio, nec classes sociales, nec religio existunt; uno verbo, ubi omnes aspectus mundi communistici universalis inveniuntur. Tertium proprium est: « Mundus proletarius hodiernus sub imperio est Regiminis Communistici (du Parti Communiste) » id est, ubicumque hoc Regimen penetrat conversionem exercet, nempe privati, familiae, civitates, immo quodcumque in aliud transit usquedum, sub ductu eiusdem Regiminis, totum genus humanum assurgit ad communisticum mundum universale serviendum.

Secunda: « Transitio mundi proletarii hodierni ad communisticum mundum universale ».

Haec transitio a supradictis fautoribus ut thesauri acquisitio concipitur, pro qua thesauri acquisitione mundus proletarius hodiernus omnia sacrificare debet. Ideoque stupore quasi oppressi manemus ante eventa forsan numquam exaudita in Sinis continentalibus ubi fere omnes, in praesenti durissima necessitate, relinquere debent sive patrem, sive matrem, sive fratres, sorores et amicos, necnon et propriam vitam vel quodcumque aliud, nam regnum communisticum in Sinis exigit ut omnes affectiones sacrificentur in favorem sui et hoc quidem cum laetitia in prospectum acquirendi mundum communisticum universalem.

Tertia: « Distributio fructuum » regni communistici in Sinis.

Secundum dicta, facta et scripta eorumdem fautorum regni communistici in Sinis, haec distributio saltem quinque classes hominum respicit. In prima classi veniunt qui nullo modo volunt hoc regnum communisticum accipere, nempe qui nolunt pariter vivere secundum sententiam fautorum. Hi nihil possunt quidquam accipere de fructibus regni. Immo qui nihil producere possunt neque accipere possunt; fuit enim etiam quaestio de inutilitate puerorum et dux, Mao Tse-Tung, debuit puerorum partem accipere. In secunda classi veniunt qui adepti eiusdem regni fieri non possunt nempe divites vel qui pugnaverunt contra regnum vel ei nocuerunt. Hi homines tolli debent et de facto

tolluntur. In tertia classi veniunt qui neutri versus eumdem regnum manere volunt. Homines huius classis in plures turmas venire possunt, nempe qui aliquo modo aliquid debent regno dicto, qui nihil expectant ex eo, qui invitati fuerunt ad exercitia communistica eius et adfuerunt etc. Illi omnes pro tempore aliquid accipere possunt. In quarta classi veniunt in quibus magna spes existit ut hoc regnum accipient. Homines istius classis multum occupant Regimen Communisticum et in sat plures turmas veniunt, nempe qui infideles sunt culturae quam acceperunt, vel religioni quam habebant etc. Possunt hi omnes satis accipere a regno dicto. In quinta classi veniunt qui acceperunt regnum, hoc regnum communisticum in Sinis, et etiam hic in sat plures turmas veniunt. En homines qui possunt pro sua necessitate accipere.

Mihi in optatis est quod in Concilio conficeretur conspectus seu brevis summa vel puncta capitalia doctrinarum explicatarum a tempore Concilii Tridentini vel saltem Vaticani et capitalia puncta errorum hodiernorum.

Mihi in optatis quoque est quod in Concilio conficeretur conspectus mediorum aptissimorum ad virtutes fidei, spei et caritatis augendas in circumstantiis mundi praesentis atque in specie in circumstantiis Sinarum continentalium.

Cum ea qua par est reverentia...

✠ PHILIPPUS CÔTÉ, S. I.
Episcopus Siüceuvensis

33

EXC.MI P. D. DOMINICI L. CAPOZI
Archiepiscopi Taeiüenensis (Taiyüan)

Romae, die 18 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honori mihi duco Eminentiae Tuae significare me accepisse Litteras sub die 18 iunii h. a. datas, pro quibus gratias quamplurimas ago.

Toto corde laudo propositum Sanctissimi Domini Nostri Papae Oecumenicum Concilium convocandi, et rogo Spiritum Sanctum ut tantum opus Ipse incipiat, Ipse dirigat, et ad prosperum exitum deducat.

Pauca tantum, pro mea paupertate, notanda habeo:

1) Sollemniter damnandum Communismum, Socialismum atheum, Materialismum, et omnia systemata iis similia.

2) Hanc damnationem omnes fortiter sustineant eodem sensu, eodem animo, non quaerentes quae sua sunt, sed quae Iesu Christi; non timentes faciem hominum aut iacturam bonorum, seu etiam periculum vitae. Episcopi dent exemplum fortitudinis sacerdotibus.

3) Habitus seu vestes ecclesiasticae aptandae sunt novis exigentiis temporum. Non esset bonum redire ad simplicitatem priorum saeculorum? Habitus non sit murus quo separemur ab hominibus; eo plus quod iam populus remotior factus est a nobis. Habitus non sit causa cur actibus obscenae superstitionis dignitas sacerdotalis publice vilipendatur. Modus vestiendi Saecularium Institutorum forsitan esset exemplum.

4) Officium Divinum simplicius fiat; melius esset semper de feria, exceptis temporibus Nativitatis, Paschatis, Pentecostes et praecipuarum sollemnitatum B. V. Mariae et Apostolorum. Melius, iuxta me, relinquere officia Sanctorum, quae in dies augentur.

5) Graviter sustineatur et urgeatur studium linguae latinae. Vere dolendum invenire Sacerdotes et etiam Episcopos qui nesciant loqui latine etiam si agatur de lingua scholastica.

6) Non placet usus novae translationis Psalterii sive in officio sive in liturgia. Nonne esset melius uti vulgata versione expurgata a Benedictinis?

7) Bona Ecclesiae seu Beneficia melius distribuenda, ita ut non inveniantur Sacerdotes divites et Sacerdotes pauperes carentes necessariis vitae; providendum ut senes et aegroti habeant unde tranquillo modo possint curari et vivere e. g. mutuis, consociationibus...

8) Omnia tentanda ut sufficiens numerus Sacrorum Ministrorum habeatur, et ut strictior sit cooperatio inter Clerum Saecularem et seu Religiosum. Sed omnino retinenda exemptio, sine qua non potest concipi vita religiosa.

9) Urgeatur cooperatio activa pro Sanctae Fidei Propagatione in locis infidelium. Et ad hoc sustinendi sunt Ordines et Congregationes Religiosorum, qui soli vel fere soli in locis Missionum portant pondus diei et aestus persecutionum.

Multa alia esset notanda, sed quia prudentiores et doctiores iis studentes non deficiunt, sufficiat mihi haec pauca consideranda prudentiae Eminentiae Tuae subiecisse.

Interim omni qua par est devotione et obsequio maneo Eminentiae Tuae Reverendissimae.

Humillimus in Christo servus

✠ DOMINICUS LUCAS CAPOZI, O. F. M.
Archiepiscopus Taeiüenensis

34

Exc.mi P. D. LUCIANI LACOSTE

Episcopi Taliani (Tali)
Administratoris Ap. Praefecturae Ap. de Chieng-Mai

Chieng Mai (Thailande) le 25 août 1959

Eminence Révérendissime,

J'ai l'honneur de faire parvenir à la « Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico », établie par Sa Sainteté sous Votre illustre présidence, quelques suggestions en vue de la préparation du Concile, selon le désir exprimé dans la lettre du 18 juin.

Je reçus cette lettre avec beaucoup de retard, le temps m'a donc manqué pour élaborer convenablement ces idées. J'ai conscience du peu de valeur de ces quelques suggestions. Je les envoie cependant en toute sincérité et humilité.

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, l'hommage de profonde vénération et respect avec lesquels j'ai l'honneur d'être de Votre Eminence le très humble et dévoué serviteur

✠ Lucien Lacoste
Evêque de Tali

Mihi opportunum videtur quod opera et labores Concilii Oecumenici versentur circa Ecclesiam sicut centrum et obiectum principale.

Certe post definitiones et explanationes in Conciliis Tridentino et Vaticano exactas, nihil superest addere quoad fundamentalia huius amplissimae quaestionis. Tamen cum novi adversantes, quorum quidam aperte quidam vero sub falsa specie « progressismi », impetum faciunt contra Corpus Mysticum Christi, aliqui aspectus circa naturam et finem Ecclesiae, necnon et media attingendi hunc finem, aptiore modo explicitari vel secundum sensum pristinum instaurari poterunt.

Sequentes paucas considerationes humiliter propono Commissioni Praeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Ecclesiae, utpote Corpori Mystico Christi, a Divino Salvatore traditum est opus docendi et baptizandi populos; et reapse Divina Redemptio illos attingit per eam.

Ecclesia cum ita sit *essentialiter Missionaria,* urgens videtur quod

opus Missionis, sive in regionibus ubi Ecclesia fundata iam et stabilita est, sicut et in nationibus ubi instauratio illius inchoata est vel inchoanda remanet per proprie dictam Missionem, mediis aptissimis provehatur, cum actuali participatione tam uniuscuiusque cleri quam fidelium.

In nationibus quae « *christianae* » dicuntur, videtur quod inter dioeceses sit insufficiens cooperatio. Hic sunt sat multi sacerdotes pro divino servitio implendo; illic numero non sufficiunt presbyteri pro cura fidelium, et multo magis desunt ad quaerendos non fideles. Nec adiumentum potest facile (ut credo) ab uno Ordinario ad alium exigi vel afferri. Certe non est minuenda Episcopi potestas. Sed forsan possent Archiepiscopi vel aliqua alia auctoritas communis in una regione, praeesse meliori et aptiori dispositioni coetus sacerdotalis, pro aequiore et ampliore conatu operariorum.

In proprie dictis Missionibus, saepe advenit quod sacerdotes indigenae sese putant ut praepositi fidelibus tantum, et relinquunt missionariis extraneis opus quaerendi et evangelizandi infideles. Fortasse durante curriculo studiorum theologicorum magni momenti esset praesentare illis (sicut et alumnis omnium Seminariorum) hunc Ecclesiae aspectum Missionarium.

Quamvis non videatur opportunum multiformes liturgias « nationales » creandi in diversis Missionis regionibus, praesertim quod attinet ad Missae celebrationem, tamen bonum apparet ut quaedam, ut ita dicam, liturgica adaptatio acquiratur, saltem in quibusdam regionibus, ut cultus externus melius, si fieri potest, respondeat usibus et indoli populorum.

Quod attinet ad inferiores Hierarchiae Ordines, et magis quidem ad sacrum Diaconatus Ordinem, quaedam renovatio videtur fructus allatura.

Diaconus ut talis non debet respicere hunc sacrum Ordinem velut merus ultimus gradus ante Ordinationem sacerdotalem, sed ut nobilissimum onus quo fungi debet pro bono Ecclesiae. Nec mihi videtur a priori excludendum esse quod viri de re theologica satis edocti et moribus probi, post matrimonium initum et in statu matrimoniali remanentes, ad Diaconatum ordinentur pro divino servitio mancipando. Illi locum sacerdotis tenerent in administratione Sacramentorum Baptismi et Eucharistiae, in praedicatione verbi divini, in aliis officiis quae assumerent pro utilitate fidelium, pro ampliore propagatione Evangelii. Quam magnum adiumentum pro presbyteris qui in tantis et tantis officiis sese expendunt quin viribus sufficiant pro omnibus explendis.

Hoc mihi videtur opportunius in regionibus ubi viget carentia sa-

cerdotum, et in Missionibus inter paganos, in quibus christiani dispersi raro et difficulter visitantur.

Spes fungendi hunc sacrum Ordinem Diaconatus in tali conditione attrahente quosdam Protestantium sectarum Ministros ut ad Ecclesiam Catholicam se vertant? Utinam.

Relate ad naturam et finem Ecclesiae, videtur quod maxima argumenta desumi poterunt ex iure naturali. In magni momenti quaestionibus, quae attinent ad auctoritatem Ecclesiae, huius doctrina et legislatio fundantur quippe in Revelatione divina, sed etiam in iure naturali et lege aeterna impressa naturae humanae. Multi tament, etiam inter catholicos, putant illic intervenire tantum ecclesiasticam (et ut ita dicunt arbitrariam dispositionem. Sic v. gr. in quaestionibus quae se referunt ad divortium, educationem, communismum condemnatum, iustitiam socialem, etc. ... Explicitatio illius legis naturalis, ac eius fundamentalis relatio ad legislationem ecclesiasticam, lumen afferet ut intelligentia christianorum, necnon et acatholicorum, intimius et firmius assentiat doctrinae et legibus Ecclesiae.

Has praedictas opiniones humillime propono Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

✠ Lucianus Lacoste
Episcopus Talianus

35

Rev.mi P. D. GASPARIS LISCHERONG
Administratoris Ap. Tamimensis (Taming)

Die 5 septembris 1959

Eminentissime,

Litterae Eminentiae Vestrae tantum die 21 augusti pervenerunt in Macau, unde mihi transmissae sunt huc in insulam Formosam die 27 augusti. Inde est, quod prius responsum mittere non potuerim.

Commendo me tuis precibus.

Eminentiae Vestrae servus in Christo
Gaspar Lischerong, S. I.
Adm. Apost. Dioec. Taming in Sinis

I. C. Lib. II pars I: De clericis:

Exercitia spiritualia etiam pro clericis saecularibus singulis annis sint obligatoria.

Canones de communicatione clericorum cum mulieribus magis urgeantur.

Maior vigilantia Ordinariorum quoad clericos concubinarios. Coelibatus ita urgeatur, ut illi, qui se ad illum observandum absolute incapacem ostendant, ad statum saecularem remittantur, ut scandala publica et apostasiae magis evitentur, matrimonium quoque illis permittatur.

Ut horae canonicae pro libitu in lingua vernacula recitari possint.

In recitatione breviarii specialis formula habeatur pro illis qui illud privatim, non in choro, recitant. Omittantur varia responsoria.

In officio simplici omittantur antiphonae dimidiatae, quae omni sensu carent in recitatione privata.

In breviarium inseratur tota scriptura sacra N. T.; ex V. T. libri Moysis, libri historici, quattuor prophetae maiores. Omittantur bella et psalmi deprecatorii.

I. C. Lib. II pars II: De religiosis:

Restrictio iurisdictionis confessariorum quoad religiosas auferatur; religiosae omnes, etiam in clausura papali viventes, ad libitum qualemcumque ecclesiam visitare possint ad se confitendum.

De institutis saecularibus, ut magis magisque propagentur et variis conditionibus magis adaptentur.

I. C. Lib. III pars I: De baptismo:

Ut in administratione omnium Sacramentorum excepta forma Sacramenti, lingua vernacula uti possit, deleatur saltem in missionibus distinctio formulae baptismi pro infantibus et adultis, ceremoniae baptismi saltem in duas partes distinctas dividi possint et distincte administrari.

De Eucharistia:

ut ex causa rationabili qualicumque parte diei vel noctis Missa celebrari possit,

ieiunium eucharisticum pro fidelibus ad unam horam ante communionem restringatur, pro sacerdotibus ad unam horam ante sacrificium Missae inceptum; usus maior linguae vernaculae in assistentia S. Missae.

De Sacramento Paenitentiae:

auferantur casus reservati Ordinario;

extensio iurisdictionis pro confessariis, ita ut omnis confessarius ab Ordinario approbatus ubicumque possit confessiones audire.

De matrimonio:

numerus impedimentorum matrimonialium secundum possibilitatem reducatur;

ut in missionibus, ubi adhuc saepe parentes parant matrimonium filiorum filiarumque suarum, si matrimonium cum dispensatione super disparitate cultus fuerat initum, postea a parte infideli solvatur, in favorem partis fidelis Ordinarius possit permittere, ut ista cum parte fideli novum matrimonium ineat. Multi sunt nunc in Insula Formosa infideles, qui fugerunt in hanc insulam relicta parte in Continente, hic in Insula novum matrimonium invalidum inierunt. Una pars vult se convertere, tamen altera pars recusat fidem catholicam sumere, separatio est impossibilis. Ordinarius possit permittere in favorem partis qui se convertit, ut post baptismum matrimonium cum parte infideli, qui habet uxorem in continente, continuare possit.

Processus dispensationum simplificentur e. gr. in usu privilegii paulini.

Ut in missionibus pro novis christianis in casu disparitatis cultus accepta dispensatione facilius permitti possint quaedam ceremoniae in Ecclesia — excepta missa solemni pro sponso et sponsa —.

I. C. Lib. III pars II: De diebus festis:

Ut dispensationes pro requie dominica in missionibus facilius dari possit tam pro singulis, quam pro familiis vel tota communitate,

quoad ieiunium et abstinentiam:

saltem secundum varias regiones sit aliqua uniformitas in observatione legum ieiunii et abstinentiae,

privilegium pro Hispanis — Summarium Cruciatae — ubicumque deleatur.

I. C. Lib. IV: De Processibus.

I. C. Lib. V: De poenis et delictis:

omnino revisioni subiciantur, processus simplificentur et poenae una cum censuris reducantur.

Alia notanda:

Communicatio cum variis sectis foveatur, quin indifferentismus in religiosis rebus ex hac communicatione oriatur.

Aliqua commissio centralis Romae constituatur ex variis nationibus, quae doctrinam socialem Ecclesiae propaget maior cura fiat de operariis agriculturae variarum nationum.

Eodem modo magnae utilitatis fuisset pro propagatione fidei, si Romae esset aliqua commissio ex viris constituta, qui in rebus socialibus, liturgicis, linguisticis, catechumenati Ordinariis magno auxilio esse possint. Ad hanc commissionem pertineret translatio officialis Missalis, Ceremonialis, Breviarii etc.

Ubicunque maior unitas, cooperatio desideratur inter varias divisiones ecclesiasticas. Ad hoc multum adiuvaret conventus regionalis Ordinariorum variarum regionum singulis annis saltem semel habitus.

Haec sunt quae mihi hic et nunc Commissioni Pontificiae proferenda videbantur.

GASPAR LISCHERONG, S. I.
Adm. Apost. Dioec. Taming in Sinis

36

REV.MI P. D. ALPHONSI VAN BUGGENHOUT
Administratoris Ap. Tatomensis (Tatung)

Taipei, 22 octobris 1959

1. Promovendae sunt vocationes religiosae inter sacerdotes sinenses, et ad maius bonum Ecclesiae, et ad pericula vitanda pro ipsis sacerdotibus.

Rationes: Dantur saeculares qui, post aliquot annos, vivunt quasi alieni ab Ordinario et ab aliis sacerdotibus, propter distantiam locorum vel propter dissensionem. Vita inter paganos est periculosior quam in locis catholicis. Experientia constat, in his variis difficultatibus, vinculum fraternum cum ordine vel congregatione esse efficacius quam vinculum iuridicum cum Ordinario.

2. Congregationes religiosae ubi Sinenses tantummodo admittuntur, quamvis vere utiles, minorem tamen efficaciam habent quam ordines et congregationes « internationales ».

Rationes: Missionarii non sinenses indigent, in multis, auxilio sacerdotum sinensium et vice versa. Possibilitas cooperationis est maxima ubi sicuti confratres, in eodem Instituto, possunt invicem adiuvare.

3. Episcopi sinenses fere semper assumi deberent ex ordinibus vel congregationibus solide constitutis (v. g. Societas Iesu).

Rationes: Episcopus sinensis saecularis est quasi sibi relictus. Episcopus saecularis nuper electus, praesertim si et ex ipsa regione oriundus, semper indiget aliquot annis ut firmet suam auctoritatem, et hoc saepius propter invidiam illorum qui non fuerunt electi. Si Episcopi pertinent ad ordinem vel congregationem, Superiores religiosi sunt adiutores nati Episcopi, quia, etsi forsan oritur quaedam dissensio, semper tamen impellet honor ordinis vel congregationis ad Episcopum adiuvandum.

Plerumque Episcopi, ex ordinibus vel congregationibus assumpti, in spiritualibus et etiam in materialibus a societate valde adiuvantur, quod, quoad materialia, semper impossibile est pro non religiosis.

ALPHONSUS VAN BUGGENHOUT
Administrator Ap. Tatomensis

37

EXC.MI P. D. REMBERTI C. KOVALSKI
Episcopi Uciamensis (Wuchang)

15 augusti 1959

Illustrissime Princeps,

Acceptis litteris Pontificiae Commissionis — Prot. N. I C/59-1480 — humiliter submitto sequentia, ad meam dioecesim de Wuchang, Hupeh, pertinentia:

Anno 1945 ex concentratione in Shanghai maxima cum difficultate reversus, in Wuchang perveni ubi erat videre destructionem et miseriam inter meos christianos; tunc, ob penuriam missionariorum introduxi Actionem Catholicam, mediante organizatione « Mariae Legionis » nuncupata. Quae organizatio anno 1921 in Dublin fundata, nunc ubique terrarum sparsa, et hortante Exc.mo ac Rev.mo A. Riberi in Sinis quasi medium optimum ad propagandam et conservandam fidem.

In mea humili opinione et actuali experientia, activitas « Mariae Legionis » de facto fuit forma optima et fructuosa Actionis Catholicae et apostolatus laici in mea dioecesi de Wuchang Hupeh. Viri et mulieres necnon iuvenes in scholis, instructi, formati et spiritus Mariae Legionis — Maria duce — imbuti, apostolatum diligentissime prosecuti sunt, et fructus quasi miraculosi successum Mariae Legionis demonstrarunt.

Mirabile dictu! Mariae Legio in Wuchang coepit operari quando missionarii, Patres et Sorores, introentibus iam communistis, in patriam

revocabantur! Non est dubium quin communistae M. L. ut inimicum principalem considerabant; non solum quia nomen sinicum M. L. significat « Sancta Matris Exercitus », sed etiam quia M. L. infra duos annos in civitatibus maioribus in Sinis iam instituta, plus resistebat communistis et plus firmabat fidem christianorum quam alia opera missionaria.

Historia attestante, maior pars missionariorum alienorum praecise propter M. L. expulsi fuere. Egometipse, permansi in Sinis per 27 annos, inter quos per 13 annos in « House Arrest », concentratione, et per 28 menses in carcere fui. Et quamvis accusatus propter « Imperialismum Americanum » (illo tempore bello in Korea grassante), deinde propter homicidium (infantium, quorum baptizavi circiter 8 millia, sed quia celavi numerum, communistae me accusaverunt de 40 millia occisorum), attamen crimen maximum et inexcusabile erat activitas in M. L. Iam in carcere inclusus debuit scribere historiam M. L. generalem et postea particularem ut in Wuchang viguit.

Anno 1948 mense martii institui primum « Praesidium » M. L. pro viris; et mens maii secundum « Praesidium » pro mulieribus; deinde infra annum duodecim alia Praesidia, etiam inter iuvenes in scholis. In hac re multum adiuvabat Miss. Helen Huekels, quam iam in U.S.A. bene cognoscebat M. L. Omni exceptione indefatigabilis apostola, nec timens minarum communistarum, propagabat apostolatum in schola media in Wuchang, et etiam trans flumen in Hankow ubi posuit fundamentum M. L. Anno 1951, propter morbum « Cancer » quo antea laborabat, mortua et sepulta ibi manet, revera martyr pro Maria; et exemplum pro missionariis!

Sed et alii Legionarii, laici, seminaristae, Sorores, Patres sinenses, non obstante persecutione in Wuchang, similiter obsistebant indoctrinationi communistarum, et fideliter adiuvabant missionarios, et fideles. Inter quos eminet Rev. P. Ioannes, Ioseph Shih, Franciscanus sinensis ex Vicariatu Hispanico de Yenan; quem institui Delegatum meum, ante incarcerationem meam. Iste fervens religiosus et fidelis missionarius, pluries incarceratus, et male tractatus, in fine occisus est anno 1953 quia multum resistebat communistis et exhortabat membros M. L. Eodemque tempore rector seminarii minoris in Wuchang et alii duo Patres occisi fuere ob eamdem causam.

Ab anno 1949, quando milites communistae — « Liberation Army » — intraverunt in Wuchang, usque ad annum 1951 quando me posuerunt in carcerem, variae notitiae pervenerunt ex aliis partibus de extraordinaria activitate et fortitudine M. L. Postquam expulsus eram, sed adhuc in Hong Kong manens, accepi litteras ab uno iuvene in Wu-

chang qui multa passus est, percussus et incarceratus quia fortiter resistebat communistis et quia in schola fovebat spiritum M. L. Inter alia dixit: « Quia sic sine timore pertuli istas tribulationes, pater meus et mater conversi sunt et nunc quotidie Missam audiunt ».

Annuens monito Pontificiae Commissionis — « ut faveas communicare cum libertate et sinceritate » — liceat mihi haec notare. Postquam communistae occupaverunt meam dioecesim, contactus missionarii cum christifidelibus difficilis imo saepe impossibilis erat; ideo M. L. erat quasi medium communicationis. In propinquo autem Vicariatu, ubi M. L. non erat cognita, appropinquantibus communistis, aliqui sacerdotes (imo et Episcopus), sinenses, timore arrepti, reliquerunt missionem suam. Et sic timiditas eorum scandalum fuit christifidelibus. Ex alia autem parte, bonum exemplum eorum qui remanserant et in carcerem vinculis obstricti coniecti erant, multum adiuvabat ad firmandam fidelium fidem. Sicut unus mihi scripit: « Quia noster Episcopus et Delegatus Vic. " verbera carnificum non timuerunt " et in carcere multa passi sunt, ergo nos etiam volumus manere fideles in fide ».

Nemo est qui nesciat organizationem Mariae Legionis ubique terrarum iam sparsam esse; et Maria duce, uti miraculum huius saeculi, quotidie innumerabiles conversiones facere fidemque fovere; quia Mater Dei, Mediatrix omnium gratiarum, quae sola cunctas haereses interemisit, est causa movens Mariae Legionis.

Suppliciter ergo rogamus ut Beatificatio servae Dei, Edel Quinn, quae in Africa et in Insula Mauritius (ubi nunc quattuor sacerdotes sinenses de Wuchang laborant) diligentissime M. L. propagavit et ibi sepulta manet, quam citius declaretur, et esset stimulus non solum pro M. L. sed etiam pro apostolatu in genere.

Etsi hic et nunc in exsilio manens, occupatus sum in praedicatione exercitiorum spiritualium Patribus, Sororibus, laicis, praesertim M. L. attamen cor meum manet in Wuchang et paratus sum reverti quandocumque Sanctissimo Papae Ioanni XXIII gloriose regnanti et S. C. de Propaganda Fide placuerit me mittere.

Modo in Arizona, cappellanus pro tempore « Sisters of the Blessed Sacrament », studeo M. L. spiritum inter Navajo Indianos excitare et fovere.

Omni qua par est reverentia sacrum anulum osculans maneo

devotissimus in Christo

✠ REMBERTUS C. KOWALSKI
Episcopus Uciamensis

38

Exc.mi P. D. ZENONIS ARAMBURU
Episcopi Uhuvensis (Wuhu)

Orduniae, 22 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteris ad me a Vestra Eminentia sub protocollo n. 1 C/59-1481 datis, sic in Domino respondendum censeo.

1. *Circa doctrinas sacras*

a) In genere notatur veluti quidam timor ne Concilium, in materia doctrinali, de definitionibus dogmaticis occupetur; quae, hodie novas afferrent difficultates pro unione cum schismaticis et protestantibus. Haec unio est veluti anxietas communis totius Ecclesiae.

Esset magis proficuum in his temporibus ut Concilium statueret potius basicas orientationes doctrinales super quas dirigi posset posterior investigatio theologica, philosophica aut scientifica.

b) Moderata quaedam et rationabilis libertas theologorum catholicorum, salvis dogmate et Ecclesiastico magisterio, effectus daret beneficos, praesertim quoad intellectuales laicos, protestantes aut schismaticos. E contra, ut existimo, accideret, si coarctetur nimis ipsorum studium et docendi munus cum quasi obligatione adhaerendi scholae aliquae determinatae.

Optandum esset ut formatio theologica sacerdotum — etiam in Ordinibus magnae traditionis in quadam determinata schola — sit magis dogmatica et positiva, talis nempe quae faciat cognoscere et assimilare revelationem et traditionem, sive patristicam, sive ecclesiasticam, et aliunde exoneretur scholarum disputationibus, e quibus, futuri sacerdotes exiguum aut nullum fructum reportant, cum periculo ne acerbus ipse dogmaticus pauper sit et deficiens in eorum formatione.

2. *Theologia moralis*

a) Theologia moralis in qua sacerdotes efformentur deberet esse magis « theologia » et minus « casuistica ».

b) Pastoralia argumenta insinuare videntur, si possibile est, aliquam orientationem in gravibus problematibus ad adspectum moralem matrimonialem pertinentibus.

c) A multis desideratur humanior applicatio legis integritatis in manifestatione peccatorum in confessione. Integritas materialis et etiam formalis nimia, efficiunt tormentum animarum, data moderna sensibilitate in his materiis.

3. *Theologia Ecclesiae*

a) Videtur necessaria quaedam doctrina fundamentalis circa incorporationem saecularium Ecclesiae, Corpori Mystico Christi, et circa eorum specificam missionem in Ecclesia. Speciatim, necessaria est explicatio basica super « reale sacerdotium saecularium eorumque participationem in liturgia, super sensum investigationis et expositionum dogmaticarum eorumdem, super participationem in Ecclesiae gubernatione tanquam eiusdem auxiliarium, et totam eorum unctionem peculiarem intra Ecclesiam. Ut videtur etiam necessaria aliqua permanens institutio eo fine ut opinio saecularium perveniat ad hierarchiam.

b) Existimo fore ut Concilium obtineat verum progressum dogmaticum, valde positivum si enuntiet quid fundamentaliter contineat « Theologia laicatus ».

c) Materia maximi momenti hodiernis temporibus est ea quae tangit relationes inter Ecclesiam et Statum: tolerantia aut admissio aliorum cultuum; catholicismus officialis Status; Status interventio in Episcoporum nominatione, adiumentum — sive morale, sive oeconomicum — officialiter Ecclesiae praestitum, aut officialiter petitum et acceptatum ab ipsa. Opinio publica vivaciter disputat circa has res et scandalum quod in hac re catholicis et non catholicis confusionismus generat, exigit quoddam examen actitudinis Ecclesiae respectu diversorum politicorum regiminum, examen dico effectum respiciens potius ad bonum universis Ecclesiae magis quam ad bonum particulare huius aut illius nationis.

4. *Philosophia socialis christiana*

Non leviter adspicienda est magna doctrinalis evolutio socialismi et Communismi ut systematum oeconomicorum, politico-socialium et philosophicorum. Eorum momentum decisivum dicendum est in sociologia reali in postremis decenniis. Oporteret ut daretur aliquod enuntiatum formale principiorum de hac materia, sed exaratum in eadem linea elevata in qua nunc versatur istud systema philosophico-sociale, habita etiam ratione, speciali modo, huius phaenomeni, nempe, quod doctrinarium socialisticum tendit, nunc — praesertim in regionibus centro-europaeis — ad praescindendum a fundamentis philosophicis materialismi dialectici marxismi in quo, usque nunc, nitebatur.

5. *Administratio Ecclesiae*

a) Unitas in pastorali actione Ecclesiae ineludibilis est. Episcopus, abstractione facta ab unitate a Romano Pontificatu proveniente, unificare debet actionem pastoralem cuiuscumque ordinis intra suam propriam dioecesim. Etiam servata actuali exemptione Ordinum religiosorum, Episcopi est dirigere et unificare eorum actionem, ostendendo fines obtinendos et functiones apostolicas quas etiam religiosi exercere debebunt.

b) Vita Ecclesiae, ante omnia, est interior, spiritualis et supernaturalis. Ideoque videtur restringi non debere ad simplicem organisationem iuridicam per potestates iurisdictionales a Iure Canonico regulatas (« Ecclesia Auctoritatis »). Ideo, opportunum videtur etiam atque etiam inculcare vitam supernaturalem quae est caritas et libertas in Spiritu, nec primatum detur materiali et litterali adimpletioni praeceptorum positivorum unius determinatae legislationis (« Ecclesia libertatis »). Hoc modo, accresceret valor pastoralis gubernationis Ecclesiae dum personae maiore apparerent decore ornatae quam ipsa institutio iuridica aut ius; personae regimine pastorali obstrictae acquirerent multo maiorem sensum responsabilitatis personalis in consecutione suae missionis apostolicae et supernaturalis, non contentae cum adimpletione materiali rei iuridicae (« Ecclesia Apostolicitatis »).

c) Haec ipsa ratio pastoralis consiliare videtur maiorem quamdam flexibilitatem in removendo a muneribus pastoralibus gubernationis Ecclesiae illos qui inepti evaderent ad missionem ipsis commissam, causa v. g. aetatis, infirmitatis, absentia spiritus supernaturalis, in adimplendo munere proprio negligentia nimia, incapacitas personalis, etc.

d) Sacerdotes dioecesani deberent habere maiorem libertatem motus e dioecesi in dioecesim, aut etiam e natione in nationem, non obstante eorum incardinatione. Dolendum est quod in aliquibus dioecesibus clerus abundet, dum in aliis ita sacerdotes ut impares sint ad adimplendas essentiales obligationes in cura animarum. Simili modo videtur sacerdotium religiosorum, etiam exemptorum et vitae monasticae, reclamare servitium intensius in favorem animarum, et hanc caracteristicam servitii apostolici, inhaerentem sacerdotio ut tali, debere esse concordem cum limitationibus procedentibus ex aliqua determinata professione religiosa.

6. *Formatio sacerdotalis*

a) Conditiones quibus, etiam nunc, fit formatio ecclesiastica in multis dioecesibus et institutis religiosis videntur non sufficere progressui

nostrorum temporum, nec esse aptas ut sacerdos se praeparet convenienter actualibus necessitatibus. Necessaria esset maior amplitudo culturalis, speciatim in scientiis; reficere programmata nimis simplicia philosophiae et theologiae et formationem humanisticam redactam fere ad cognitionem linguae latinae . . . Fere nulla est formatio oeconomica socialis, hodie indispensabilis tam in tribunali poenitentiae, quam in apostolatu. Sacerdos qui non recipiat completiorem formationem, invenitur in conditione inferioritatis culturalis coram saecularibus qui studia universitatis aut bacalaureatum perfecerunt.

b) Videretur opportunum aetatem ordinationis sacerdotalis retardare tam in clero dioecesano quam in multis Ordinibus religiosis. In his, oporteret ingressum in religionem procastinare usque ad maturiorem aetatem, et interim, studiis praeuniversitariis aut aequivalentibus operam dare. Non videtur prudens curam animarum sacerdotibus dioecesanis aut regularibus committere qui, iuvenili adhuc aetate, vix experientiam habent vitae socialis, aut sui ipsius.

7. *Actio Apostolica saecularium*

a) Diceres nunc esse iam momentum opportunum elaborandi cum claritate et precisione, doctrinam apostolatus, saecularium indicando qualis sit eiusdem propria missio, qualis extensio suae sphaerae apostolicae, qualis sua participatio in missione apostolica Hierarchiae, qualis sua subordinatio Episcopo, qualis responsabilitas Hierarchiae in activitatibus apostolicis a saecularibus peractis. Etiamsi servetur quaedam organizatio ad maiorem effectivitatem, examinare convenit an oporteat restringere libertatem et spontaneitatem saecularium ut per se ipsos organizentur ut ipsis convenientius videatur, aut se uniant organizationibus praeexistentibus quae ipsis magis placeant, aut etiam ipsi soli operentur secundum proprias inclinationes sub personali directione directoris spiritualis. Hae omnes activitates — saltem quae aliquo modo notae sint et approbatae ab auctoritate competenti — possent esse ut vere apostolicae, sub directione et protectione Hierarchiae. Hoc ipsum, et a fortiori, dici debet de organizationibus caritatis qui non debent constituere quasi monopolium et fieri in forma anonima, eo vel magis quod in exercitio caritatis attendi debet specali modo impulsui gratiae et generositatis et etiam characteri « proximitatis » coram immediata praesentia necessitatum proximorum.

b) Experientia habita respectu Institutorum saecularium exposcit examen fructuum cum eorum institutione obtentorum. Forsan erratum

est in inculcando nimis characterem saecularem et illatum est damnum eorum consecrationi ad perfectionem Christianam per viam consiliorum evangelicorum.

8. *Munera ecclesiastica*

a) Attentio fidelium et non fidelium fertur non parum in munerum ecclesiasticorum in curiis et capitulis cathedralitiis occupatorum. Externus boatus quo aliqui praelati utuntur, etiam ipsae vaticanae solemnitates cum maiestate et sumptuositate externa quam nec nationes magis traditionales adhibere solent, multis scandalum creant quia in tali modo procedendi nihil vident quod in memoriam revocet simplicitatem evangelicam Domini et Collegii Apostolici.

b) Etiam commendanda videtur revisio super modum providendi quaedam munera ecclesiastica ita ut fiant translationes cum charactere ascensus, etc. Circa talia munera augeri possunt ambitiones personales lucruum oeconomicorum, honoris et auctoritatis personalis cum damno dioecesium pauperiorum, aut paroeciarum magis egenarum; quas ecclesiastici videntur respicere semper cum spiritu et charactere interinitatis, studio ascendendi quantotius et non sese devovent plene curae animarum, examini et solutioni diversorum problematum, etc.

9. *Alia puncta disciplinaria*

a) Conditiones vitae hodiernae commendant revisiones actuales disciplinae circa ieiunium et abstinentiam.

b) Vita laboris actualis, universalis in omnibus regionibus alicuius progressus oeconomici, exigit etiam revisio disciplinae vigentis circa festa de praecepto. Videtur commendari posse talem reductionem solis dominicis, si possibile. Etiam convenire videtur aptius adaptare conditionibus modernis praeceptum non laborandi diebus festivis.

c) Etiam oportere videtur reductio quasi totalis censurarum et poenarum ecclesiasticarum, quae vix illum influxum exercent, sive quia maior pars fidelium illas ignorat et confessores satius aestimant illos in bona fide relinquere, sive quia maxima facilitate confessores donantur fideles ab ipsis absolvendi.

10. *De missionibus infidelium*

Conditio missionum apud infideles omnino mutata videtur, saltem in magnis nationibus, ut sunt Indiae et Respublica Sinensis. Accessus ad Missiones in dies magis interdicitur spiritu nationalismi et inde-

pendentiae. In India dixi et in Sinis, in Sinis etiamsi, faxit Deus, res in melius verterentur. Unde procuranda est formatio cleri indigenae in Europa ut sacerdotes nativi apprime instructi in scientia et in spiritu, ad patriam redeant ut evangelium praedicent.

Sed in spiritu bene instructi dixi, quia experientia didicimus multos sacerdotes iuvenes avidissimos esse graduum academicorum (etiam illi qui minus apti sunt) et e contra respuere vitam pastoralem et missionariam, vitam abnegationis et zeli animarum.

Demum animadverto in multis colloquiis aut conversationibus timorem adverti ne praeparatio immediata Concilii Oecumenici aliquantulum festinanter fiat, nec media illa praevia quae ex parte humana necessaria aut convenientia sint diligentissime sumantur ut secundum divinam Providentiam et cum auxilio Spiritu Sancti futurum Concilium effectus alte beneficos nobis afferat, quousque ad vitam Ecclesiae omnes vehementer cupimus et speramus.

APPENDIX

De religiosis

1. Disciplina ecclesiastica religiosos spectans deberet melius adaptari conditionibus actualibus Ecclesiae: *a*) incipi deberet ab ipsa formatione sacerdotali, quae, aliquoties, fit praecipitanter, ita ut candidati omni ope studio se vovere impediantur. *b*) Psycologiae interiori Institutorum dari oporteret maior amplitudo, aut apertura; videntur enim quasi inclusa in cellis immobilibus, spiritu associationis imbuta, aut etiam superbia quadam collectiva, sine visione aliorum multorum laborum, et aliarum multarum necessitatum Ecclesiae, quae longe transgrediuntur limites proprii Instituti. *c*) Satius supprimerentur in vita communitatum quaedam traditiones et mores conventionales, quae non solidis rationibus nituntur et impediunt plenum usum aliorum mediorum aut virium existentium ut Ecclesiae necessitates exigunt et, aliunde, saecularium cultorum admirationem provocant. In certis casibus, convenit elevatio mensurae culturalis — praecisione facta studiorum ipsorum — etiam in multis adiunctis vitae materialis.

2. Speciatim, etiam atque etiam progredi oporteret in via a Summo Pontifice Pio XII signata in suis litteris enciclicis *Sacra Virginitas* in structura vitae religiosarum quae, ex una parte, difficultates non parvae experiuntur ad Missam audiendam, ad communionem, ad confessionem, ad directionem spiritualem a sacerdotibus debite praeparatis commode accipiendam. Saepius advertuntur deficientiae formationis asceticae in piis exercitiis fere sine sensu dogmatico aut liturgico.

Multi fideles non intelligunt rationem existentiae tot institutionum religiosarum, praesertim feminarum, quae coincidere videntur in eorumdem finibus aut etiam in mediis substantialibus, cum solis differentiis accidentalibus quae retinentur aut, quia mutuo se ignorant, aut propter personales rationes. Esset valde beneficum examen gravium difficultatum quae in communitatibus, praesertim femininis, exurgere videntur ut consequentia vitae totalis clausurae, propter formam regiminis in gubernatione, speciatim cum provisio munerum fit per electiones in unaquaque communitate. Etiam communitates vitae contemplativae cogitare deberent aliquam activitatem apostolatus; nam sensus socialis modernus respicit cum scandalo istud « Egoismum mysticum », et, aliunde, necessitates ubilibet sunt maximae. Tamen, clarum est, totum hoc quod scripsi, non significare minorem aestimationem vitae contemplativae cuius valor est maximus etiam pro missione apostolica Ecclesiae.

Denique, observare velim modernam illam spiritualitatem, quam dicunt, quae miro modo totam christianam obnubilat, etiam communitates religiosas invasisse ita ut columnae ipsae vitae religiosae, ut sunt, obedientia, humilitas, amor paupertatis, observantia regularis, commoveri videantur. Examen huius phaenomeni, aut realitatis, ut rei vere gravis, mihi videtur pernecessarium.

✠ Zeno Aramburu
Episcopus Uhuvensis

39

Exc.mi P. D. ANDREAE J. VÉRINEUX

Episcopi Imcheuvensis (Yingkow)
Administratoris Praefecturae Ap. Hvaliensis

Hwalien (Formosa) die 11 martii 1960

Excellentissime Domine,

Liceat mihi primum dicere quod litterae die 18 mensis iunii 1959 ab Excellentia Vestra missae, de quibus agitur in subsequenti vestra epistola die 21 martii 1960 data, numquam huc pervenerunt. Praetermissio ista unica causa habenda est pro qua responsionem tempore opportuno non dedi. Rogo ergo Excellentiam Vestram ut non solum mihi benigne indulgeat sed etiam gratitudinem meam quam maximam pro tanto erga me mansuetudinis et fiduciae indicio accipere dignetur.

Liceat insuper mihi futuro suadere quod, ad vitandos errores, in-

scriptio mea postalis omissa omni alia muneris et loci mentione, sic tantum habeatur: Catholic Mission, Hwalien, Formosa.

Quod si ad rem deveniam, ad ea scilicet consilia et vota quae postulat epistola ab Excellentia Vestra nuper accepta, sententiamque meam exponere audeam, nihil prorsus sive petere sive etiam proponere intendo quod ad Doctrinae capita pertinet vel ad leges fundamentales quibus Ecclesia nostra Catholica regitur.

Si autem ad leges particulares intendens, experientiam in propriis adiunctis acquisitam necnon mentem missionariorum nostrorum saepissime ex ore eorum excerptam plane fateri audeam, duo sunt vota quae experiri soleo, quaeque, bonum animarum ante oculos habens, summa qua par est reverentia, audax nunc et imperitus exprimere nitor.

Primo — Ratione habita de multis et implicatis matrimonii casibus qui apud neoconversos nostros oriuntur et gravem difficilemque faciunt non solum pastoralem administrationem sed insuper acatholicorum conversionem ad veram Religionem, optandum esse puto ut simplificetur et, inquantum fieri potest, allevietur legislatio nostra matrimonialis.

Secundo — Ratione habita de Protestantibus actionem nostram apud paganos et neophytos omni modo obrectantibus, data insuper ex una parte fragilitate qua in sua Fide laborant neoconversi nostri, et ex altera parte malignitate et sollertia quibus utuntur eorum adversari, optandum esse puto ut, salva nostra traditionali et venerabili Liturgia catholica, salvisque omnibus ritibus qui ad cultum Deo debitum et ad fidelium devotionem augendam ab Ecclesia conceduntur et imponuntur, ita devotio fidelium regatur et definiatur ut ne speciem quidem superstitionis — ut aiunt — praebeat, nihilque complectatur quod, sive merito sive etiam immerito, viturperationi vel irrisioni locum dare valeat.

Interim omnia fausta Excellentiae Vestrae Reverendissimae ominans, omni qua par est reverentia me profiteor

Addictissimum in Christo

✠ ANDREAS J. VÉRINEUX
Episcopus Imcheuvensis
Administrator Ap. Hvaliensis

40

EXC.MI P. D. CUTHBERTI M. O'GARA

Episcopi Iüenlimensis (Yüanlíng)

Union City, New Jersey, 24 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Acceptis pergratis litteris Eminentiae Tuae Rev.mae a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, me misi ad studium et ad consultationes; et nunc omnibus mature perpensis vellem communicare Eminentiae Tuae paucas animadversiones de rebus quae forsitan in futuro Concilio tractari possent.

1. *De saecularismo.* — Nemo ignorat quomodo late diffusus est saecularismus in omnibus universitatibus publicis imo etiam et in scholis catholicis, et quod est maius dolendum, inserpsit in aliquibus Seminariis nostris. Laici, religiosi, religiosae et sacerdotes tenent et exprimunt opiniones ultra liberales et periculosas. Adiuvaret, mihi videtur, si Concilium afferret remedium malo isto radicali, non tam condemnando solummodo quam potius exponendo fundamentum obsequii rationalis fidei nostrae integrae, et proponendo programma renovationis vitae christianae, aptum ad tempora nostra.

2. *De eligendis Episcopis.* — Insatisfactio nonnumquam auditur de modo eligendi antistites. Maligni dicunt quod hierarchia est plus minusve coetus conclusus, et elevatio ad eam dependet multo ex amicitia vel benevolentia vel patronatu eorum qui sunt iam praelati. Vix umquam in elegendo antistite interrogantur ii quorum maius interest nominatio episcopi novi, nempe, sacerdotes locales. Ideo mihi videtur quod modus efficacior esset si fuisset concessum ad omnes sacerdotes ut exprimerent eorum opiniones et proponerent ternam, « ut facilius ei qui obedientiam exhibent ordinato (consecrato), cui assensum praebuerit ordinando (consecrando) ».

3. *De lingua liturgica.* — Sacrosanctum sacrificium Missae est non solum renovatio sacrificii Domini nostri in Cruce sed est etiam vinculum unitatis Ecclesiae Dei. Ideo mihi videtur quod una et eadem lingua latina idonea est pro hac actione. Sed in conficiendis aliis sacramentis et sacramentalibus, lingua vernacula forsitan esset magis valoris pastoralis, saltem in iis partibus quae respiciunt fideles; et forsitan eadem ratione in recitando divino officio lingua vernacula adhiberi posset cum maiore fructu.

Proponendo quantum supra ad illuminatum iudicium Eminentiae Tuae, et Deum ex corde precando ut Te diu sospitem reddat, me profiteor Eminentiae Tuae Rev.mae

Oboedientissimus servus
✠ CUTHBERTUS M. O'GARA
Episcopus Iüenlimensis

41

EXC.MI P. D. IOSEPHI CAPRIO
Internuntii Ap. in Sinis

Taipei, 14 aprile 1960

Ill.mo e Rev.mo Signore,

In riscontro alla sua pregiata Lettera N. 1 C/59-1657 bis del 21 marzo c. a., mi affretto a inviare alla Signoria Vostra Ill.ma e Rev.ma i fogli qui allegati, nei quali, basandomi sulla modesta esperienza che ho del campo missionario, ho esposto alcuni punti che potrebbero essere esaminati dal Concilio Ecumenico.

Nel chiederle scusa per l'involontario ritardo, mi permetto segnalarle che tre Ordinari della Cina Continentale, presenti in quest'Isola, non hanno ricevuto la Circolare. Eccone i nomi col relativo indirizzo:

a) S. E. Mons. Thomas Niu, Vescovo di Yangku Amministratore Apostolico di Chiayi - 109, Chung hua Rd. - Touliu (Yulin Hsien), Taiwan - Cina.

b) S. E. Mons. Frederick A. Donaghy, MM, Vescovo di Wuchow - 53-1 Kaomiaoli - P.O.Box 40 Miaoli - Taiwan - Cina.

c) S. E. Mons. John Werner Lesinski, O.P., Vescovo di Tingchow - Catholic Mission - 13 Hsinsheng Rd. - Chaochow (Pingtung Hsien) - Taiwan - Cina.

Profitto della circostanza per confermarmi, con sensi di distinto ossequio,

della Signoria Vostra Ill.ma e Rev.ma

devotissimo
GIUSEPPE CAPRIO
Internunzio Apostolico

1. *De Conferentiis Episcoporum.* — Experientia recentiorum annorum in non paucis nationibus comprobatum est quam utiles, et etiam necessariae, essent Conferentiae Episcoporum, ut, ex viribus coadunatis ad mensuram totius nationis, actio Ecclesiae maiorem efficaciam consequatur.

Licet huiusmodi Conferentiae semper ad eumdem scopum intendantur, adest tamen aliqua diversitas de natione ad nationem, relate ad modum quo ordinantur, variasque functiones quae per ipsas exercentur.

In praesenti recognitione et emendatione Codicis Iuris Canonici, utile fore videtur si pressius in Codice definiatur structura iuridica huiusmodi Conferentiarum Episcoporum ad mensuram nationis habitarum, scil. quibus periodis congregandae sint, qua auctoritate (competenza) gaudeant, qui modus sit servandus in rebus decernendis, etc.

Insuper, ut Conferentiae iuvari possint experientia et consiliis vicegerentis Summi Pontificis in hac natione, utile videtur si ponatur regula illum de iure esse membrum huiusmodi Conferentiarum, sive gaudeat iure ferendi votum, sive non.

(De hac quaestione fortasse iuvabit referre exemplum Vice-Praesidis Statuum Foederatorum Americae, qui, vi Constitutionis, sessionibus Senatus praesidet. Licet modo generali dirigat ordinem sessionis, plerumque non active participat in disputationibus inter membra, nec de rebus disceptatis profert votum. Ubi tamen circa aliquam quaestionem aeque dividuntur vota Senatorum in utrumque partem, ipse profert proprium votum, quod est de facto definitivum).

2. *De Concilio dioecesano.* — Ut in gubernatione ordinaria dioeceseos maiorem utilitatem capiat Episcopus ex collaboratione sui Cleri, utile videtur si amplietur competentia Capituli, vel Concilii dioecesani, aucto numero casuum in quibus Ordinario praescribitur illud interrogare. Neque supervacaneum esset si inveniri posset aliquod medium, quo vox iuniorum Sacerdotum, qui plus quam ceteri conscii sunt celeris evolutionis culturae et morum populi, audiri valeat in politica generali dioecesis definienda.

3. *De assecurationibus pro Clero.* — Data celere devalutatione monetarum in non paucis nationibus, Titulus patrimonialis, qualis in Canone 979 praescribitur, saepe saepius nullam iam habet rationem essendi. Suggeritur ut illi substituatur aliquod conveniens documentum (« polizza » assecurationis circa vitam).

Esset etiam iustum et aequum si, ad instar tot institutionum, tam privatarum quam publicarum, dioeceses obligarentur ad providendum assecurationem Cleri, in casu invaliditatis et senectutis.

Huiusmodi assecurationes, si ad mensuram nationis instituerentur, maiorem utilitatem cum minoribus periculis praestarent.

4. *De Seminariis minoribus.* — Licet, ex una parte, haec seminaria tueantur magis seriam et securam institutionem eorum iuvenum qui ad sacerdotium destinantur; ex altera autem parte, adest periculum ne, propter eorum characterem exclusivum, viam occludant ad sacerdotium aliis iuvenibus, quorum vocatio, ut in lucem appareat, indiget contactu intimiori et diuturniori cum aliquo Sacerdote. Optimi successus qui sub hoc respectu in variis Collegiis episcopalibus vel religiosis aspici possunt, testimonium perhibent de veritate huius observationis. Videtur esse opportunum si, in recognitione Iuris Canonici, Ordinario concedatur libertas illum modum eligendi quam meliorem existimat ad institutionem classicam illorum iuvenum qui ad vitam sacerdotalem destinantur.

5. *De studiis classicis et philosophicis in Seminariis.* — Necesse est ut haec studia allevientur, magisque aptentur exigentiis temporum hodiernonum.. Ante omnia, necesse esset ut, in philosophia, Seminaristis daretur opportunitas studendi theoriis socialibus, politicis et moralibus quae mundum agitant, cognoscendi errores, eorumque fructus computandi.

6. *De vita spirituali Cleri.* — Ob penuriam Sacerdotum, vita Sacerdotis qui curam animarum gerit multis fatigationibus obnoxia est; et recitatio Breviarii, praesertim diebus festis, verum est martyrium. Quapropter suggeritur:

a) ut omnibus Sacerdotibus extendatur facultas Missionariis concessa, ut, loco Breviarii, Rosarium quindecim decadum recitent, si sint nimis fatigati;

b) ut, expectando reformationem Breviarii (si quando fiet), reducatur obligatio « sub gravi » recitationi sive Matutini cum Laudibus, sive Horarum Minorum una cum Vesperis et Completorio, dummodo parti omissae substituatur quadrans (quarta pars horae) adorationis Ss.mi Sacramenti.

IOSEPH CAPRIO
Internuntius Ap. in Sinis

42

Exc.mi P. D. DOMINICI HOANG-VAN-DOAN

Episcopi tit. Saccaeoteni

Hong Kong, die 7 septembris 1959

Veneranda Commissio,

Iucundum est mihi respondere ad litteras ab Eminentissimo ac Rev.mo Domino Dominico Card. Tardini scriptas die 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-2388.

Liceat mihi breviter vestrae augustae Commissionis examini subicere quasdam difficultates quae saepe saepius in terris Missionum occurrunt.

Omni tempore sed praesertim nostra Ecclesia in territorio Missionum invenitur in praesentia tantarum difficultatum. Nam ex una parte grassatur nationalismus, oriuntur varii motus sociales, propagantur novae ideae ac perplurimi eventus politici succedunt. Ex alia parte ubique sunt miseria, paupertas et ignorantia ex quibus inimici Ecclesiae opportunitatem capiunt atque tuba sonant, magno cum strepitu clamantes se solos sollicitos de miseris, pauperibus et ignorantibus curam gerere, atque sic filii iniquitatis toto conatu tendunt ut tenebrarum regnum super terram instituant.

Videtur igitur opportunum esse in futuro Concilio Oecumenico tractari quomodo exigentiis modernis iuvenum levitarum formatio et educatio sollerte ac prudenter accommodentur ita ut sacerdotio suscepto ipsi apti fiant non solum ad ministerium sacerdotale, sed etiam ad omnes activitates sociales et culturales, et sic obmutescere faciant detractores Sanctae Matris Ecclesiae cuius actuosa, in decursu saeculorum, sollicitudo erga genus humanum, neminem latet.

Iuventus etiam catholica debet ita instrui, formari ac educari ut non videatur negligere culturam nationalem et parvifacere motus legitimos nationales.

Talis est mea humilis sententia super aliquibus punctis quae cogitatu digna sunt.

Vobis adprecans bonum exitum in labore conficiendo pro praeparatione futuri Concilii Oecumenici atque obtestans sensus mei profundi obsequii summa cum observantia vobis

me addictissimum in Domino profiteor

✠ Dominicus Hoang-Van-Doan

Episcopus tit. Saccaeotenus

43

REV.MI P. D. FERDINANDI LACRETELLE

Administratoris Praefecturae Ap. Haichovensis (Haichow)

Dalat, die 12 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine Praeses,

Litteris nuper acceptis, quae sub Prot. N. I C/59-1933 ad eum missae sunt, Ordinarius Praefecturae de Haichow, in Sinis etsi, ex loco in quo resideat, ea quae ad universale bonum Missionum in praesenti conferunt, difficilius perspicere queat, postulatis tamen Eminentiae tuae Reverendissimae obsequentissime respondens, haec quae infra notentur examini Commissionis submittenda duxit:

I. *De Sacramentis Ecclesiae*

1. Cum in hodiernis adiunctis non paucae regiones dirae persecutioni submittantur ita ut non raro materia remota ad Confirmationem et Extremam unctionem in eis vix possit suppeditari exoptandum videtur ut Decreto statuatur, quoad sacros oleos ad haec sacramenta conficienda adhibendos, quid ad valorem requiratur et quid ad liceitatem.

2. Cum in eisdem regionibus quoad matrimonium contrahendum inter partem fidelem et partem infidelem et quoad matrimonium dissolvendum vi privilegii Paulini aut vi privilegii Fidei peculiares facultates et varia documenta exstant tali pacto ut haud raro exsurgant dubia, exoptandum videtur ut decretis syntheticis statuatur quid iure respectivo divino et ecclesiastico ad valorem ac liceitatem requiratur, quaenam iura coniugibus ipsis conferantur, quaenam Ordinarii concedere possint vel quandoque debeant.

3. Cum in praesenti, inter diversas regiones commercium in dies facilius et frequentius evadat, exoptanda videtur lex generalior de iurisdictione ad Sacramentum Poenitentiae requisita quae sit ita disposita ut simul et ad auxilium animarum et ad cautelam prudentiae provideat, sicut in ipso iure et quibusdam decretis subsequentibus iam provisum est pro quibusdam itineribus.

II. *De disciplina Cleri*

Cum in non paucis regionibus maxime urgeat animarum necessitas, nec praesto habeatur copia pastorum, exoptanda videtur lex nova cuius auxilio ita foveatur inter cleros spiritus universalis ut regiones quae

clero abundant egentibus facilius subveniant, dioecesibus praesertim et missionibus in quibus vel Evangelium ad infidelium aures nondum pervenit, vel numerosi catechumeni, deficientibus sacerdotibus, instrui non valeant.

III. *De Mediatione Beatae Mariae Virginis*

Ad unitatem Ecclesiae abundantiore effusione gratiarum promovendam, valde conducere videtur si illae quae de Mediatione Beatae Mariae Virginis, a Magisterio universali ordinario credenda proponuntur et a toto populo christiano fide amplectuntur, solemni Decreto definiantur.

Et Deus ...

FERDINANDUS LACRETELLE
Administrator Ap. Haichovensis

44

REV.MI P. D. DOMINICI DESPERBEN
Praefecti Ap. Hainanensis (Hainan)

Yonezawa, die 7 mensis augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

In responsum ad litteras I C/59-1934, quas Eminentia Vestra dignata est mihi mandare, in primum, maximas gratulationes impertio pro tam magno munere commisso Vobis a Summo Pontifice de praeparandis omnibus quae attinent ad Concilium Generale.

1. De Sancto Sacrificio Missae: humiliter peto ut permittatur celebratio missae in lingua nationali cuiusque regionis pro bono fidelium: in hoc sensu ut quando adsunt fideles minister possit ad nutum celebrare in lingua nationali sine obligatione eam semper eodem modo litandi.

Omnes illi modi recentes assistendi S. Missae qui nunc vigent claudicant una vel altera parte ita ut populi quorum culturae valde discrepant a cultura graeco-romana numquam possint plenum fructum capere ex celebratione in lingua latina.

2. De lingua latina: Concilium studeat de modo servandi linguam latinam ut lingua internationalis Ecclesiae, praescribendo sollemni modo obligationem ea utendi in studiis theologicis.

3. De praesentia reali D. N. Iesu Christi in Sanctissimo Sacramento. Quidam sentiunt Eucharistiam esse aliquid spirituale alimentum tantum in quo Christus neque recipit adorationes fidelium neque audit

preces fidelium ita ut non sunt hortandi fideles ut adorationes agant neque effundant preces ante Sanctissimum Sacramentum.

Quid sentiendum de hoc modo loquendi?

4. De rebus socialibus: Ut promulgetur doctrina socialis Ecclesiae, *La Charte Sociale de l'Eglise*: modo affirmativo non autem modo negativo quod erit compendium recentium encyclicarum de rebus socialibus: affirmeturque ius laboris: « du travail » ad fructus percipiendos.

5. De dignitate episcopali: Ut omnes qui tamquam Ordinarii praesunt alicui districtui ecclesiastico, insigniantur gratia et dignitate episcopali ut magis spendeat munus episcopi ut caput caetus fidelium: utque ii qui partes agunt in aliis administrationibus Sanctae Ecclesiae alio diverso modo insigniantur.

Eminentiae Vestrae humillimus servus

DOMINICUS DESPERBEN
Praefectus Apostolicus Hainanensis
Superior Missionis de Yamagata

45

REV.MI P. D. PETRI MALEDDU
Praefecti Ap. Hinganfuensis (Hinganfu)

Alghero (Sassari), 23 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Il breve tempo a disposizione sino al 1° settembre non mi ha permesso di fare uno studio più accurato delle proposte da fare. Comunque ho messo le principali. Certamente in terra di Missione, soprattutto in Cina, piuttosto che Kant etc. dovevano cristianizzare Confusio, Laotze e il buddismo, invece si traducevano i nostri testi. Così pure ho notato che i sacerdoti indigeni ignoravano la vita e le superstizioni dei pagani. Come combatterli se li ignoravano? La Chiesa deve finire di mostrarsi occidentale e adattarsi e cristianizzare le feste e i costumi dei luoghi ove si deve stabilire. Non basta mettervi la gerarchia, ma ci vogliono gli esperti che studino questi problemi e sottopongano le soluzioni a Roma. La lingua latina non deve abolirsi del tutto nella liturgia, bensì ridurla come ho esposto.

Al bacio del S. Anello

dev.mo in Cristo

PIETRO MALEDDU, O.F.M. Conv.
Prefetto Apostolico in Cina

Eminentissime Domine,

Libentissime respondens Eminentiae Tuae Rev.mae petitionibus in Litteris Prot. N. 1 C/ 59-1935 diei 18 iunii 1958 contentis, quae sequuntur Pontificiae Commissioni Pro Concilio Oecumenico proponenda, humiliter expono:

I. Quoad Clericos

a) De organizatione Dioecesium et Paroeciarum:

1. Partitione Dioecesium aptandae veniunt iuxta hodiernas civiles divisiones vel ita ut intercommunicationes facilius fieri possint: numerus ergo restringendus est, parvis abolitis Dioecesibus.

2. Paroeciarum numerus augendus est, nimis extensas (praesertim in magnis civitatibus) partiendo, numerum Christifidelium in unaquaque determinando cum Clero activo proportionato. Paroeciarum divisio iterum fieri debet non iuxta discriminationem pauperum et divitum, sed iuxta regiones necnon topographiam locorum. Paroeciis in pagis et in agris existentibus providendum est concedendo eis facultates independentes communicationis atque ope Missionariorum utriusque Cleri Saecularis scilicet et Regularis qui ter vel quater in anno his in dissitis Paroeciis ministerium suum praestent.

b) De internis relationibus Dioeceseon inter se necnon Paroeciarum inter se:

1. Relationes Dioecesium et Paroeciarum inter se intimiores sunt habendae ut mutua adiutoria facilius commodiusque haberi possint.

2. In Paroeciis in quorum finibus domus Religiosorum Clericalium exemptorum inveniuntur mutua cooperatio magis evolvenda est, hanc non nimis restringendo ad solas confessiones instituendas, eamdem vero extendendo ad munera vere et proprie dicta paroecialia, iura stolae Parocho concedendo, salvis tamen una cum iure exemptionis, interna Religiosorum disciplina in tuto omnino collocanda (ad instar paroeciarum).

c) De opere ab Institutis Religiosarum praestando:

1. Instituta Religiosarum intra fines (vel extra) Paroeciae existentia operam ad instructionem praesertim cathechisticam praestare debent.

d) De Scholis catechisticis:

1. Instituendae sunt Scholae catechisticae apud privatos, ubi pueri et puellae, debita sibi instructione comparata, pericula finalia in

paroeciis subeant: hoc laudabiliter fiet ad modum proelii scholastici (tipo concorso « Veritas »).

2. Quoad adiutoria P.O.A. vel alterius generis omnino auferendae sunt discriminationes inter Scholas cathechisticas Parocho immediate subiectas et alias eidem minime subiectas (v. g. scholae catechisticae religiosorum).

e) De Diaconibus et mulieribus coadiutricibus:

1. Optime erunt in Ecclesia Diaconi specificis et propriis muneribus praediti, necnon mulieres coadiutrices.

f) De novis mediis pro Baptizatis qui a Paroecia vel Ecclesia habitualiter absunt adhibendis:

1. Cum exigui sint Christifideles habitualiter Paroeciam frequentantes (uti clare constat ex parvo numero eorum qui Missam die Dominico constanter audiunt), cum insuper Clerus Paroecialis iam totaliter in vita paroeciali sit impensus, fas est novas institutiones excitare (v. g.: « Parrocchie volanti ») munere iurisdictionali proprio ab illo Paroeciarum independenti praeditas, ad necessitates spirituales omnium Baptizatorum a Paroecia habitualiter absentium subveniendas, ideoque operis apostolatus propriis (ut Missae in plateis vel in publicis aedificiis, « propaganda cellulare » etc.) fruentes. Fideles olim conversi in Paroeciam mitti debent. Paroeciae proinde peculiari Registro sint praeditae ubi nomina Baptizatorum vitam christianam paroecialem non ducentium enumerentur.

2. Circa Fideles qui a propria Paroecia discedunt cum animo suum domicilium vel quasi-domicilium alibi instituendi Parochi competentes mutuo se edocere teneantur.

g) De sociali adsistentia pro Clero (« Previdenza sociale per il Clero »):

1. Oportet ut adsistentia oeconomico-socialis pro Clero Saeculari sit stabiliter organizata: ad hoc ut discriminationes inter Clerum divitem et pauperem, itemque inter Paroecias divites et pauperes omnino auferantur.

2. Pariter absolute interdicatur ne bona ecclesiastica in utilitatem parentum Cleri transferantur.

h) De operibus socialibus apud Sanctuaria instituendis:

1. Apud Sanctuaria quae maximas facultates afferunt pecuniarias opera socialia excitentur non modo intra limites eorundem, sed et extra

illa (ut domus populares et fontes laboris pro operariis absque labore = « case popolari » e « cantieri di lavoro » per disoccupati).

i) *De cooperatione inter Actionem Catholicam et Tertii Ordines*:

1. Maximam unitatem fovere debent Episcopi inter A. C. et T. O. necnon et inter alias Pias Uniones.

l) *De veste clericali a Religiosis et a Clero extra domum religiosam vel Ecclesiam ferenda*:

1. Clericalis vestis eadem sit pro omnibus ex Clero tum Saeculari tum Regulari, parva admissa peculiaritate ad distinguendos varios Ordines vel Congregationes.

2. Vestis peculiaris uniuscuiusque Ordinis propria ferenda erit ab omnibus intra fines propriae domus religiosae vel Ecclesiae.

II. Quoad Seminaria

a) *De requisitis in Rectoribus et Magistris spiritus*:

1. Rectores et Magistri spiritus Seminariorum peculiari idoneitate iuxta modernas exigentias sint praediti oportet, ad hoc difficillimum munus rite adimplendum.

b) *De Collegiis praeparatoriis*:

1. Ut quamplurimae defectiones, in quantum possibile est, vitentur opportunum duco verum Seminarium tantum in *Licaeo* incoeptum iri. Antea in Gymnasio tantummodo Collegia habeantur in quibus alumni vocationem religiosam et sacerdotalem excolant, absque ulla tamen coactione statum sacerdotalem vel religiosum amplectendi: in publicis Scholis eruditionem humanisticam necnon scientificam discant sub peculiari vigilantia Magistrorum et deinde in Collegiis instructione spirituali et religiosa ampliori imbuantur.

c) *De experientia practica soliditatis vocationum*:

1. Antequam ad Subdiaconatum vel ad Ordinationem sacerdotalem alumni admittantur in saeculo redeant, per integrum annum vitam in mundum ducturi absque clericali veste, sub vigilantia tamen Superiorum, necnon aliquem peculiarem modum vivendi servantes.

2. Item antequam alumni ordinentur vel ad aliquod munus deputentur per integrum annum in practica pastorali se exerceant.

d) *De spiritu mortificationis*:

1. In Seminario nimiae commoditates vitentur et utcumque in spiritu abnegationis et mortificationis alumni continuo educentur ne deinde a vita in Paroeciis dissitis quae in agris inveniuntur avertantur.

e) De organizatione studiorum:

1. Systema Scholarum et studiorum iuxta modernas exigentias evolvatur. Quaestiones Theologiae Moralis magis actuales (« limitazione delle nascite », « fidanzamenti », « moda », ecc.) fusius tractentur.

2. Studia instituantur circa quaestiones sociales, circa activitatem cinematographicam et alia media propagationis (« riviste », « periodici », « stampe » e « mezzi di propaganda »).

3. Circa Theologiam Dogmaticam, dogmata mariologica, S. Iosephi et Corporis Mystici magis evolvantur profundiusque scrutentur atque exponantur argumentis non modo traditionalibus ac scripturisticis, sed et alterius generis.

4. Ut alumni maiori cum idoneitate ad Sacerdotium accedant curriculum studiorum per novos annos percurrant ita ut aetas canonica pro Ordinatione sacerdotali suscipienda non ante 30 annos vel circiter habeatur.

III. De Ordinibus et Congregationibus Religiosis

a) De Seminariis:

Eadem teneas ac in II dicta sunt.

b) De Novitiatu:

1. Unus vel pauci Novitiatus pro unoquoque Ordine vel Congregatione sufficiant: ad hoc ut uniformis habeatur educatio apud omnes sodales unius Ordinis. Magistri et Rectores Novitiatus maxime idonei ad hoc gravissimum munus sint oportet.

2. In Novitiatu alumni ideale et historiam omnium Ordinum vel Congregationum Religiosorum perfecte discant, maxime attendentes ad finem peculiarem proprium illius Instituti in quo vitam Religiosam amplecti intendunt. Optime discant Ordinem vel Congregationem Religiosam ad serviendam Ecclesiam instituta esse et non e converso.

c) De Superioribus:

1. Ad impervium munus superioris absolvendum non omnes indiscriminatim deputentur, sed tantummodo ii qui, post adaequatum tirocinium, idonei ad hoc reperiuntur.

2. Cum omnibus in comperto sit Superiores Maiores eligi ab electoribus sibi invicem ignotis qui in unum conveniunt absque praevia consultatione, itemque Capitula plurima intra paucos dies absolvi tantummodo relationes praefinitas (« stereotipate ») exibendo, problemata momentosa Ordinis insoluta neo-electis relinquendo, neo-electos eadem proble-

mata plerumque ignorare eademque proinde solvere minime valere, quae sequuntur pro Capitulis propono:

1) Capitulis finis ne imponatur usque dum omnia problemata plene exaurienterque solvantur; 2) electiones superiorum tantum post congruum tempus habeantur; 3) Sive Ordo sive provinciae, etsi superiores mutari possint, praeditae sint stabiliter aliquibus praesidibus (« corpo tecnico specializzato ») ad varias activitates Ordinis specifice addictis (Tertii Ordines, Associationes, Missiones, etc.), Commissione probatorum Religiosorum qui insimul voto deliberativo puncta immutabilia decernant quae ad executionem mandanda Superiores teneantur, nihil quoad essentiam in illis immutando, salva proinde eorum libertate tantummodo circa quae ad methodum et meram executionem attinent.

IV. De Missionibus

a) De educatione missionaria:

1. In Seminariis et Collegiis Ordinum Religiosorum etsi non exclusive Missionariorum educatio missionaria magis ac magis foveatur, tum generica, tum specifica, studia Missionologiae in primis instaurando, necnon studia historiae et linguae diversis territoriis Missionum pertinentium.

2. Alumni qui ad vitam missionariam destinantur artem meccanicam et medicam ne ignorent atque curriculum theologicum in locis Missionum, in quantum fieri potest, absolvant.

b) De cooperatione Laicorum: et de variis institutis Missionariis:

1. Laici ad intime cum Missionariis cooperandum, praesertim in arte medica et meccanica periti vocentur.

2. Instituta perfectionis (« centri di perfezionamento ») pro Missionariis in Missionibus omogeneis ituris instaurentur, ut mutuo se facilius cognoscere possint et appropriatas methodos discere.

3. Commissio tecnica (« direttorio di tecnici ») apud varias Nuntiaturas et Delegationes instituatur quae puncta programmatica decernat circa diversas methodos evangelizationis.

4. Instituta perfectionis (« centri di perfezionamento ») pro Clero indigeno in ipsis locis Missionum instaurentur.

V. Quoad Liturgiam

1. Lingua latina in Officio Divino et in toto Canone Missae, excepto « Paternoster », retineatur. Pariter retineatur in verbis quae formam Sacramentorum constituunt necnon in aliquibus caeremoniis quae in

Pontificali et Rituali Romano continentur, in quibus Fideles partem immediatam et directam non habent. In ceteris casibus et in Benedictione Eucharistica lingua vernacula utatur.

b) *De caeremoniis et precibus in Missa exequendis*:

1. Missa cum Benedictione (« Benedicat vos omnipotens ...) absolute absolvatur, auferendo « Ite Missa est » et ultimum Evangelium necnon preces post Missam recitandas.

2. Preces ante et post Canonem lingua vernacula recitentur.

3. In Missis pro Defunctis variationes tantummodo habeantur circa preces pro Defunctis ante et post Canonem recitandas.

4. Formula absolutionis ad tumulum vel corpore praesente lingua vernacula fiat; idem de precibus pro morituris.

5. In caeremoniis Missae Sacerdos numquam versus populum sistat et, in quantum fieri potest e medio altare non discedat.

6. In Communione ministranda actualis formula substituatur cum: « Corpus Christi, Amen ».

7. In vestibus sacris ad Missam celebrandam utendis, manipulum auferatur et actualis casula in illa qua olim in Catacumbis utebatur mutetur.

8. In Officio Divino Matutinum unico Nocturno cum tribus Lectionibus (I Script., II e vita Sanctorum desumpta, III Homiliae) constet. In Psalterio recitando vitetur repetitio eiusdem Psalmi, exceptis « Benedictus » et « Magnificat ». Auferantur Laudes II loco, necnon et aliae variationes ut 4 Psalmus ad Primam et ad Vesperas 5 Psalmus diversus in aliquibus Festis.

c) *De Baptismo*:

In Caeremoniis pro Baptismo administrando impositio salivae auferatur.

Haec omnia, Eminentissime Pater, proponenda Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, opportunum duxi.

Interim ex corde impensos animi sensus Eminentiae Tuae Rev.mae humillime profiteor qui demum quae bona quaeque utilia fausta quaeque ut bonum Ecclesiae Sanctae magis in dies promovere atque augere valeas a Domino indesinenter adprecor.

Ad osculum tandem Tuae Dexterae provolutus Eminentiae Tuae Rev.mae addictissimum me profiteor

PETRUS MALEDDU
Praefectus Ap. Hinganfuensis

46

Rev.mi P. D. QUINTINI PESSERS
Praefecti Ap. Kiangchovensis (Kiangchow)

Nederland. Weert, 17 martii 1960

Eminentia Reverendissima,

Iam dudum recepi litteras a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico. Quoad vota pro Concilio Oecumenico responsum meum quidem tarde venit, sed longe cogitavi hac de re quia timebam ne inconsiderate agerem.

Votum meum agitur de can. 595 §§ 1, 3 nempe:

Curent Superiores ut omnes religiosi ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.

His annis, commorans in Neerlandia, diversis vicibus expertus sum difficultates quam multi religiosi, et praesertim religiosae, habent quoad hunc canonem.

Maior pars quidem quaque hebdomada implet hanc obligationem, sed sat multi (ae) sese opponunt huic canoni, ne dicam, habent quasi aversionem quoad hanc obligationem.

Tantum obligatio, uti dicunt, mihi nondum affert bonam dispositionem ad recipienda Sacramenta.

Haec difficultas praesertim valet quoad mulieres religiosas, quae statuta die et hora debent accedere ad sacramentum Poenitentiae.

Et sic religiosis placeret maior libertas quoad frequentiam accedendi sacramentum Poenitentiae et quidem secundum cuiusque dispositionem et conscientiam.

Votum meum est redactio s. d. canonis 595 et quidem in hoc sensu:

« Superiores religiosi suos inter subditos promoveant frequentem receptionem Sacramenti Poenitentiae ».

« Omnes religiosi quaque hebdomada sese sistere debent confessario, saltem benedictionem recepturi ».

Hoc votum in omni humilitate praesento Eminentiae Vestrae Reverendissimae.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
oboedientissimus filius in Christo

P. Quintinus Pessers
Praefectus Ap. Kiangchovensis

46

Rev.mi P. D. IULII DILLON
Praefecti Ap. Shasiensis (Shasi)

September 9, 1959

Your Eminence,

Your Eminence's letter and information of the forthcoming Council received by me here in New York City. I am sorry for my delay in acknowledging your Eminence's request and forwarding the information desired.

I arrived home sick from Taipei, Taiwan, where I have been for the past two years. I am no longer in Japan. This month, God Willing, I am returning to Taipei. My adress is: Catholic Mission, Kuang-Fu, Road, Lane 33-No. 29, Taipei, Taiwan.

I am suggesting ideas from my experience as a Missionary Prefect Apostolic in Shasi, Hupeh, China. This experience was in troublesome times and changing conditions, i. e., during the Japanese occupation and several years of complete take-over by the Communists. The latter resulted in shutting off of Catholic teaching, because the work and responsibility of Catholic training and education was provided by the Missionaries, Sisters and teachers in the Church and schools. Now the personel is eliminated.

My suggestion is that parents take their God-given right and obligation of their responsibility of religious and disciplinary education of their children. The parents have forgotten their rights and obligations of educating their children at home because this has been done so long outside the home by others. Catholic life would remain and not cease with the elimination of personel, schools, from whom and where Catholic life as learned and lived as part of everyday life outside the home. I think it can be done!

Listening to Catholic parents in the United States, they seem ready and willing and wish to take greater part in their responsibility. I think it will bring to them and their children new thoughtfulness, attention and joy of their Catholic life, and a new togetherness in their family life.

Priests who are now occupied in primary and secondary education, woul be fewer, and free for missionary and pastoral work. So too, many religious Sisters would be free for the care of the sick, the underprivileged, visitation of homes and social work in the community. Many Catholic

graduates, men and women, of Colleges and Universities, could fill the vacancies and they too, would have new responsibility in the Catholic Church. Some number of priests and sisters could supervise and keep all things in order.

Please excuse my delay in acknowledging the letter from your Eminence and my haste in writing english. Asking your blessing and a remembrance in your prayers.

With every best wish, I am,

Respectfully and gladly yours,
Rt. Rev. JULIUS DILLON, O. F. M.
Prefect Apostolic of Shasi

48

REV.MI P. D. MATTHIAE BUCHHOLZ
Praefecti Ap. Shihtsienensis (Shihtsien)

Die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libentissimo animo respondeo invitationi Eminentiae Vestrae communicandi Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae aliqua vota circa res et negotia in futuro Concilio tractanda.

Sincero corde, ac desiderio commotus ut Concilium Oecumenicum in uberrimum evadat successum procreetque fructus salutares Universo Orbi Terrarum, proponam vota sequentia quae respiciunt tantum disciplinam cleri et populi christiani.

A) *Quoad disciplinam cleri*

1. Ut clerici urgentius inducantur ad vitam interiorem ducendam, incumbendo *praesertim meditationi quotidianae,* per aliquod saltem tempus; faciendoque *praeparationem ad Sacrum Missae Sacrificium,* si omnino fieri potest, *ante SS. Sacramentum.*

2. Ut clerici, uti homines orationis, christifidelibus revera in exemplum excellant, praesertim *visitando Sanctissimum Sacramentum.*

3. Ut clerici maiori zelo incumbant *praedicationi Verbi Dei* diebus Dominicis ac Festis, et caveatur ne « annunciationes » et « publicationes » teneant locum Verbi Dei ideoque populus christianus « inanis » recedat.

4. Ut clerici, utpote sacri Ordinis gratia ditati, in animo habeant

gravissimam obligationem *instruendi liberos ac iuventutem,* praesertim *in praeparando eos ad recipienda sacramenta,* quod munus minime relinquatur solum sororibus ac monialibus, vel magistris laicis.

B) *Quoad disciplinam populi christiani*

1. Ut christifidelibus maxima detur possibilitas activo ac personali modo *assistendi Sacrificio Missae, medio linguae vernaculae.*

2. Ut fideles ardentius urgeantur ad *adhaerendum piis consuetudinibus,* exercitiis, devotionibus, diebus novendialibus, tamquam *mediis efficacissimis contra spiritum mundi ac indifferentiae.*

3. Ut *venerabilis* ista *consuetudo « Supplicationis Quadraginta Horarum » in novam vitam ducatur,* renovando ritum antiquatum, praesertim in fine sollemnitatis, quo clerici recitant, vel cantant, omnes preces in lingua latina, populoque christiano nulla fere datur possibilitas active participandi — per preces, hymnos vel renovationem voti baptismalis — lingua vernacula.

4. Ut fideles *urgentissime inducantur* ad *munera Actionis Catholicae amplectenda,* quibus foveant spiritum caritatis erga proximum gravique (obligationi) satisfaciant obligationi procurandi salvationem animarum.

C) *Quoad ieiunium eucharisticum*

Ut *praxis ieiunii eucharistici* reducatur ad *unam horam* ante receptionem S. Communionis, vel ante S. Missae Sacrificium celebrandum, *quoad potum et cibum.*

Eminentiae Vestrae addictissimus
in Corde Iesu

MATTHIAS BUCHHOLZ, M. S. C.
Praefectus Ap. Shihtsiensis

49

REV.MI P. D. PACIFICI CALZOLARI

Praefecti Ap. Siangtanensis (Siangtan)

Neapoli, die 3 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Suo tempore Vestram Veneratissimam epistolam (Prot. N. 1 C/59-1989) circa Concilium Oecumenicum recepi, Augustissimam Intentionem Summi Pontificis pro praeparatione eiusdem Concilii exponentem.

Summa veneratione humilitateque Augustissimae Intentioni Summi Pontificis adhaereo; quia ubi est Petrus, ibi est Ecclesia, ergo rite puto, quod convocatio Concilii Oecumenici certissime Ecclesiae animarumque bono profutura sit.

Sed ad exponendum mea consilia, opiniones votaque quoad Concilium Oecumenicum, valde mihi difficile est, immo fere impossibile, conficiendi verum et proprium laborem in formis; quia nimis occupatus sum in audiendas confessiones in Basilica S. Clarae in Neapoli et etiam, quia physice non tam bene me habeo. Propterea enixe deprecor Eminentiam Vestram Reverendissimam, ut velit me dispensare ab hoc labore.

Attamen quidquid pro Ecclesiae animarumque bono acturum sit, ego ex nunc in genere, libentissime approbo atque tempore opportuno votum meum praebebo.

Interim summa reverentia sacram purpuram deosculans atque Benedictionem Apostolicam, humiliter implorans, me profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae humillimum filium in Christo Iesu.

Fr. Pacificus Calzolari, O. F. M.
Praefectus Apostolicus Siangtanensis

50

Rev.mi P. D. HIERONYMI HABERSTROH
Praefecti Ap. Siningensis (Sining)

Sining, 18 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Invitatus ad exponendas et enumerandas animadversiones circa res, quae in futuro Concilio tractari poterunt, responsum ab aliis Missionariis Praefecturae Apostolicae de Sining receptis, nunc demum possum dare responsum.

1. Circa maiorem usum *linguae vernaculae* in administratione Sacramentorum necnon in Sacrificio Missae.

Usus linguae latinae certe necessarium est in ipsa confectione Sacramenti in omnibus verbis, quae pertinent ad essentiam, materiam proximam et remotam et formam qua talem ad vitandum periculum annihilationis Sacramenti. Attamen in aliis fere omnibus verbis et caeremoniis, quae potius pertinent ad declarationem gratiarum recepti Sacramenti vel ad procreandum fructuosiorem usum Sacramenti maior libertas in usu linguae vernaculae permittenda sit.

In administratione Baptismi in Sinis e. g. usque adhuc permissus quidem erat usus linguae vernaculae in interrogationibus, attamen post recitationem quaestionum et responsorum lingua latina, tamquam ista sit de necessitate Sacramenti. Quaestiones certe sunt ad scrutationem internae voluntatis et praeparationis. Quomodo autem scrutatur, cum ipsemet sibi responsum datur. Quomodo iudicatur de internis cum nec Catechumenus nec patrinus intellexit quaestiones. Ita quaestiones et responsa fiunt mere formulae inutiles etiam si Rituale Romanum magni aestimat cum dicit: In casu plurium: Singulos singulariter interroget. Ita forsan et aliae caeremoniae amittunt aestimationem vel vertuntur in sensum superstitiosum, quia verba non intellegunt. Melius puto esse uti verbis intelligibilibus ad augendam gratiam actualem, et ita etiam in multis partibus Sacrificii Missae.

2. Quoad Missam vespertinam.

Maximi momenti erat permissio celebrandi Missam vespertinam tempore diebus Dominicis et festis de praecepto. Utilitas huius indulti certe non erit minoris momenti aliis diebus, cum impedimentum audiendi Missam pro laboratoribus in tabernis et publicis fabricis sed et agricolis imprimis matutino tempore adest. Maior libertas opificis exstat horis vespertinis uti experientia docet et magnus numerus frequentantium publicas delicias in theatris et cinemis. Propter parvum numerum Missionariorum pauci tantum possunt frequentare Missam diebus Dominicis et in omnibus stationibus aliis feriis potest celebrare Missam et quidem matutinis horis tantum. Ita autem multi operarii raro tantum possunt adsistere sacrificio et accipere Sanctissimum Sacramentum.

Quodsi haec facultas non ubique et quocumque tempore necessarium videatur haec facultas Ordinariis detur, qui secundum conditiones cuiuscumque territorii iudicare possint de necessitate.

3. Quoad Officium Diaconatus ut in prioribus saeculis. Persecutio Religionis ubique docuit, quam maximi momenti sit frequentatio Sanctissimi Sacramenti, sicut etiam Sanctus Pius Papa X frequentatione Sanctissimi Sacramenti omnia renovavit in Christo. Permissio in locis persecutionis intra communistas, ut laici viri ac mulieres possunt portare immo et distribuere Sacramentum, certe ab omnibus predicatur et laudabitur ad maiorem Dei gloriam et augendam fidem his tristibus temporibus. Attamen aliis temporibus et imprimis in cumulationibus fidelium in multis festis et in locis peregrinationum sacrarum, ubi sacerdotes occupentur in audiendis Confessionibus. In his et multis aliis conditionibus ut « Diaconatus » iterum instituetur, ut etiam laici etsi in matrimonio adiuvare possint in distributione Sanctissimi Sacramenti et aliis etiam in praedicatione Evangelii sicut iam in multis paroeciis viri et mulieres adiutorii

adsunt. Haec omnia iam sunt aliqua ex officio Diaconi olim commissa et certe in aestimatione omnium responsabilitas augebitur, si cum aliquibus caeremoniis sacris et publicis tribuatur hoc officium. Uti precibus et caeremoniis sicut in ordinatione ipsa subdiaconatus et Diaconatus ut in praeparatione ad presbyterium bonum esset, si Concilium Oecumenicum hoc decernat.

In aliis omnibus sive disciplinae cleri et populi christiani puto nihil esse innovandum.

Eminentiae Vestrae reverenter deosculans manus summa qua par est reverentia permaneo

Eminentiae Vestrae
obsequentissimus et addictissimus
✠ HIERONYMUS HABERSTROH
Praefectus Ap. Siningensis

51

REV.MI P. D. PETRI MORETTI
Praefecti Ap. Tungchovensis (Tungchow)

Falconara, 25 agosto 1959

Eminentissimo Presidente,

In riferimento al Prot. N. 1 C/59-2003 di codesta Pont. Comm. Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico mi onoro umiliare all'Eminenza Vostra Rev.ma alcuni miei poveri e modesti « Vota et Desiderata », che ho creduto di formulare, desideroso che siano trattati durante il prossimo Concilio o inseriti nell'aggiornamento del Diritto Canonico se i competenti lo crederanno opportuno.

Faccio ardenti voti e innalzo preci, al Datore di ogni bene, affinchè il Concilio Ecumenico riesca un vero trionfo per la N. S. Madre Chiesa, di soddisfazione al Nostro Santo Padre, per il ritorno di tutte le Chiese Cristiane nell'ovile della Chiesa Cattolica e per un rifiorimento della vita cristiana in mezzo al popolo cattolico.

Con questi voti umilio all'Eminenza Vostra i miei più deferenti ossequi e prostrato al bacio della sacra porpora chiedo la benedizione per me e per i poveri miei cristiani di Tungchow oppressi sotto il giogo comunista.

Dell'Em.za V. Ill.ma e Rev.ma
umile servo nel Signore
Fr. PIETRO MORETTI, O. F. M.
Prefetto Apostolico di Tungchow

1. Annuae pensiones, studiorum causa, Sacerdotio candidatis pauperibus constituantur, adiuvante etiam P.O.A., ad sacras vocationes fovendas.

2. A candidatis religiosis immediate ante Ordinis Sacri susceptionem novitiatus probatio perficiatur.

3. Communis imponatur ratio confessariis Sacerdotio candidatorum circa poenitentes qui contra sextum habitualiter, graviter et opere labuntur.

4. Vulgari lingua ad fidelium captum et participationem, partes mobiles Sacri a Sacerdote legantur.

5. Evangelii explanatio aut christiana catechesis cuique Sacerdoti diebus festis et coram populo litanti imponatur.

6. Sacri audiendi praecepto diebus festis satisfacere liceat a vesperis diei precedenti ad vesperas diei sequentis.

7. Evangelii loci Sacro diebus dominicis assignati et renoventur et alternis vicibus assignentur in anno liturgico.

8. Restituatur Diaconatus Ordo cum omnibus officiis et muneribus quibus pollebat primis Ecclesiae temporibus.

9. Ordinario religionis clericalis exemptae suis subditis Sacros Ordines conferendi saltem usque ad Diaconatum inclusive sit potestas, durante munere.

10. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad usum rationis pervenerit, debet semel in anno, melius in Paschate, confiteri et Eucharistiae Sacramentum recipere.

11. Communis ratio Sacerdotibus omnibus imponatur pro administratione Poenitentiae sacramenti communistis ceterisque doctrinis Caroli Marx addictis.

12. Pro Baptismi et Matrimonii ritu necnon pro funere, ordinaria et simplici forma peractis, nulla exigatur taxa, tam pro divitibus quam pro pauperibus.

13. Quaecumque sacramentorum sacros ritus dedecent, utputa photographiae, et cetera huiusmodi, omnino ab ecclesiis arceantur.

14. Mariae Sanctissimae Mediatricis Omnium Gratiarum et Reginae Mundi dogmata definiantur.

15. Locorum Ordinariis quaevis casuum reservandorum potestas adimatur.

16. Ad religionis ignorantiam et negligentiam superandas idonea media Concilium statuat.

17. Ad simplicitatem et puerorum captum reddantur formulae christianae catecheseos ab iisdem retinendae.

18. Suadeatur aut imponatur amotio errorum veterum a libris scho-

lasticis Th. Dogmaticae et remittatur ad Dogmatum Historiam vel ad Patrologiam.

19. Libri scholastici in Theologico Cursu omnes vulgari lingua, praeter quasdam Theologiae Moralis partes, edantur.

20. Traditionales et tritae formae in libris Theologiae Dogmaticae deserantur et biblica pertractatio de divinitus revelatis veritatibus instituatur.

21. Parochi nimis aetate gravati Loci Ordinarii iudicio amovibiles sint.

22. Vita communis pro clero dioecesano, ubi fieri potest — v. gr. in urbibus aut in oppidis ubi plures degunt Sacerdotes — instituatur cum bonorum communione, sive paroeciarum sive aliorum beneficiorum etiam ut familiae cognatorumque pondus vitent expeditoresque Deo famulentur.

23. Ecclesiastica beneficia supprimantur stipendiaque clero honesta quaeque sufficientia usui dentur. Pari iure cappellani et coadiutores, etsi religiosi, gaudeant.

24. Paroeciam religiosis exemptis traditam Superior ipse localis regat qui de ea agat cum suo et locali Ordinario; detur ergo potestas eumdem in Superiorem semper eligendi usque dum utrique Ordinario placuerit.

25. Vestes cleri, religiosorum necnon religiosarum reformentur aut saltem ubique eaedem statuantur.

26. Interdicatur constitutio sic dictae Actionis Catholicae domibus religiosis, quae paroeciali munere carent.

Fr. Petrus Moretti
Praefectus Apostolicus Tungchovensis

52

Rev.mi P. D. EDUARDI G. QUINT
Praefecti Ap. Veihaiveiensis (Weihaiwei)

Metis, in Gallia, die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

His litteris responsum ad litteras a Pontificia Commissione Antepraeparatoria Pro Concilio Oecumenico Prot. N. 1 C/59-2008 mihi indigno missas, humiliter exprimo.

Fr. Eduardus G. Quint
Praefectus Ap. Veihaiveiensis

1. *Constitutio de Ecclesia Catholica* (iam praevisa in Conc. Oecum. Vatic. interrupto)

In qua tractandum videtur inter alia:

De relatione doctrinali et iuridica Ecclesiae cum christifidelibus protestantibus, cum ecclesiis reformationis.

De fundamento dogmatico-doctrinali reformationis et adaptationis iuris canonici.

De auctoritate Ecclesiae in genere, et Episcoporum in specie, in materia doctrinali et disciplinari, praesertim in rebus quae dicuntur mixtis (quare, in quantum, quomodo oboediendum est instructionibus eorum).

De laico in Ecclesia (vide 4°).

De vocatione fidelium laicorum in vita profana publica, politica, sociali, etc.

De realisatione caritatis, immo iustitiae socialis in Ecclesiae intradioecesana interprovinciali, et internationali-universali quoad ex gr. clerum saecularem, et regularem, etc.

In qua Constitutione contineatur:

Instructio de *valore doctrinali* decisionum Congregationum Romanarum (aliorumque commissionum, etc.) *clare exprimendo* in unoquoque documento et iudicio.

Examen de modis efformandi opinionem publicam in Ecclesia.

2. *Quoad fidem catholicam* i. e.:

Declaratio sollemnis de valore dogmatum.

Declaratio de relatione revelationis et theologiae ac scientias modernas et philosophiam.

Declaratio sollemnis de communismo doctrinali.

3. *Quoad mores*:

De auctoritate Ecclesiae in ordine morali.

De contemptu et immutabilitate legis naturalis et de ethica situationis

Sollemnis condemnatio neo-malthusianismi.

De moralitate belli, praesertim moderni (ABC athomique, biologique, chimique).

De unitate mundi et de necessitate alicuius auctoritatis supranationalis.

De iuribus fundamentalibus hominis.

Instructio de matrimonio et de familia christiana et de praeparatione spirituali ad matrimonium.

Instructio de significatione humana et christiana valorum naturalium in genere et *operis in specie*.

De solidarietate totius generis humani, aliis verbis, de obligatione morali, caritatis immo et iustitiae, in ordine ad populos et regiones pauperiores.

De apostolatu et de periculis fidei.

4. *Quoad ius canonicum et disciplinam.*

Examen speciale utrum normae iuris canonici sint sufficientes et idoneae pro quibus, tempore persecutionis, belli etc., communicatio cum S. Sede fit impossibilis.

Aetas maxima functionariis Ecclesiae.

Inamovibilitas parochorum restringenda.

Amplitudo maxima (et minima forsitan) paroeciae definienda.

Ius laicorum *in genere* ex. gr. ordines minores sacristis; ordines minores immo et diaconatus inclusive; pro militantibus professionalibus Actionis Catholicae; participatio laicorum in opere instructionis et educationis christianae puerorum.

De vita christiana in vita moderna ex. gr. de celebratione dominica.

De participatione actuosa in liturgia.

De valore visionum et revelationum privatarum et de periculo credulitatis (normae doctrinales et disciplinariae).

5. *Relationes inter Ecclesiam et Statum.*

Praesertim de relationibus inter auctoritatem civilem et religiosam. Utrum et in quantum auctoritas publica (e. g. maioritas catholica) potest immo et debet concedere libertatem conscientiae, religionis et cultus externi minoritatibus acatholicis aliis verbis, problema tolerantiae religiosae.

Enixe rogo Reginam Apostolorum pro Concilio et Eminentiae Vestrae humiliter osculo annulum pastoralem benedictionem impertiens.

Fr. EDUARDUS GABRIEL QUINT
Praefectus Apostolicus Veihaiveiensis

53

REV.MI P. D. EUGENII FAHY
Praefecti Ap. Yangchovensis (Yangchow)

Die 27 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Eminentiae Vestrae epistolae benignissimae die 18 iunii scriptae et hic die 24 augusti acceptae, responsum immediatum statim mitti debet. In rebus tanti momenti facile non est, sed in casu facilius est eo quod

sententiae opinionesque meae exiguae iam inter eas Excellentissimi Archiepiscopi Taipehensis, Domini Ioseph Kuo, collectae et incorporatae sunt.[1]

Attamen considerationi paternali et iudicio prudenti Eminentiae Vestrae iterare possum sub duobus capitibus ea quae mihi videntur maioris auxilii in apostolatu nostro inter missiones ad exteras, nempe:

1. Diaconi mariti: ita ut penuria sacerdotum, praesertim indigenarum, roboretur numero Diaconorum qui possunt ecclesias minores invigilare, doctrinam spargere, sacramenta sui generis administrare; omnia sane intra potestatis eorum limites et ipsi pastoribus suis subiecti. Hoc modo multi qui vocationem ad sacerdotium non habent vel quibus vires intellectuales non sufficiunt vel qui ad vocationem caelibatus sese vocari non sentiunt, possunt suo modo in apostolatu Missionum (immo forsan in apostolatu ubique) multum auxilium offerre et manos viresque sacerdotum multiplicare.

2. Missa vespertina: quae secundum regulas vigentes maximi auxilii est in regione nostra, non limitetur sive tempore sive numero assistentium, sed permittatur qualibet hora pomeridiano tempore ad libitum rectoris ecclesiae sine aliqua alia limitatione.

Haec dum communico, summa qua par est veneratione et observantia me profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum in Christo
EUGENIUS FAHY, S. I.
Praefectus Apostolicus Yangchovensis

54

REV.MI P. D. TARSICII MARTINA
Praefecti Ap. Yihsienensis (Yihsien)

Doctrina.

Sequentia doctrinae capita videntur a Concilio opportune revocari et auctoritative declarari posse:

1. Elevatio hominis ad finem supernaturalem, nempe ad communicationem vitae divinae per visionem beatificam.

2. Natura gratiae sanctificantis tamquam habitus supernaturalis quo homo iam in via particeps fit naturae divinae.

3. Vocatio omnium hominum ad perfectionem vitae supernaturalis quo homo iam in via particeps fit naturae divinae.

---

[1] Cf. pp. 341-343.

3. Vocatio omnium hominum ad perfectionem vitae supernaturalis, quae perfectio consistit in caritate.

4. Natura Ecclesiae tamquam Corporis Mystici Christi, ac proinde identitas Corporis Mystici Christi et Ecclesiae Catholicae.

5. Missio Ecclesiae est essentialiter spiritualis et apostolica, respiciens salutem animarum, ac proinde transcendit officia mere temporalia quae societati civili relinquit: quamquam et in hac re Magisterium suum exercere valeat.

6. Beata Virgo Maria est Mediatrix omnium gratiarum.

In re morali.

1. Notio peccati tamquam offensae personalis Dei et mortis vitae supernaturalis (contra amoralismum, de quo mentio in Concilio opportune fiet, utpote de gravissimo morali morbo aetatis nostrae).

2. Organica expositio doctrinae catholicae de matrimonio, cum particulari habitudine ad eiusdem indissolubilitatem atque ad officia coniugum.

Catechesis.

Optandum ut praedicatio catechetica ad fideles sit minus theologica seu technica, ita ut vitentur formulationes quae nonnisi theologiae expertis intelligibiles sunt. Proponantur exempla ex Historia utriusque Testamenti, quam pauci christiani cognoscunt.

Liturgia.

Reformatio liturgica, sive quoad celebrationem Missae sive quoad administrationem Sacramentorum, quae abhinc iam pluribus annis incepta est eo intentu ut sacri ritus intelligentiae fidelium clarius proponantur, organice et, quantum possibile, complete aggredienda videtur.

Quaedam proponuntur iam in pluribus liturgicis conventibus ut valde optata ad incrementum fidei et pietatis populi christiani.

a) Ut Missa versus populum celebretur; quod si altare non sit aptum; permittatur erectio mensae in presbyterio, saltem in diebus festis.

b) Adhibeatur lingua vulgaris ab initio Missae usque ad Offertorium vel, si restituatur, ad « Orationem » fidelium.

c) In feria IV et Sabbato IV temporum, supprimantur lectiones, et retineatur tantummodo epistola?

d) Post offertorium restituatur antiqua « Oratio Fidelium ».

e) Doxologia in fine canonis « Per ipsum etc. » a celebrante clara voce dicatur usque ad finem (per omnia saecula etc.) cui adstantes respondeant « Amen ». Deinde celebrans genuflectit, dicit « Oremus, praeceptis sa-

lutaribus etc. » et cum adstantibus recitat « Pater noster » usque ad « Amen ».

f) Si distribuenda sit communio, omittatur confessio et absolutio; communicantes simul cum sacerdote dicant ter « Domine, non sum dignus ».

g) Post benedictionem nil addatur.

Praeterquam in Missa usus linguae vulgaris, proponitur etiam in administratione sacramentorum (uno forsitan excepto Sacr. Ordinis) in commendatione animae, in caeremoniis pro defunctis sive in Ecclesia sive extra peragendis, in Rogationibus, in benedictione domorum, infirmorum etc.

Regimen Ecclesiae.

Eadem fere ratione qua Ecclesiis Orientalibus autonomia quaedam liturgica et canonica agnoscitur, absque praeiudicio unionis Ecclesiae Catholicae, haec autonomia sub vigilantia Ap. Sedis et cum debita ab ea dependentia, videtur concedenda Ecclesiis missionariis. Nostra enim liturgia nimis redolet europaeum vel romanum: nil dicit animo horum populorum, quorum cultura et indoles longe distant a nostris. Sed salva fide, in his quae possunt appellari externa Ecclesiae vestis, maxima libertas concedenda esse videtur, dummodo Christus adnuntietur. Apostoli sollemniter edixerunt libertatem a lege mosaica pro gentilibus: Ss. Cyrillus et Methodius lingua et liturgia Slavonica faciliter illas Gentes Ecclesiae Catholicae lucrati sunt. Pius XII f. r. clare edixit: « Quidquid in usibus populorum directe non opponitur fidei et morali, servandum esse et ad gloriam Dei augendam, promovendum ».

De Breviario.

Proponitur:

1) Ut attentis necessitatibus pastoralibus et paucitate sacerdotum in diebus Dominicis et Festis, matutinum ad unum nocturnum cum tribus lectionibus reducatur.

2) Ut Lectiones de Scriptura magis hauriant ex libris sapientialibus, omissis aliis minoris momenti, v. g. de Prophetis minoribus.

3) Ut Lectiones historicae reformentur.

4) Ut expungantur partes quae ad recitationem choralem proprie pertinent.

Videtur valde conveniens ut diversa tempora ad diversas horas recitandas indicentur; quae tempora servari debent nisi gravis causa excuset. Matutinum cum Laudibus anticipetur pridie vel dicatur summo mane; Horae minores ante vel post Missae celebrationem; post meridiem Vesperae et Completorium.

De diebus Festis.

Proponitur ut festa hucusque infra hebdomadam celebrata, in proximiorem Dominicam transferantur. Festum S. Ioseph, die 19 mensis martii non transferatur in Dominicam sed eius loco festum S. Ioseph opificis (die 1 mensis maii) fiet de praecepto.

Proponitur etiam ut Missa vigiliae paschalis ante 10 horam finiatur, et in sollemnitate Paschali, pro omnibus urgeat praeceptum audiendi Sacrum.

De ieiunio et abstinentia.

Dies ieiunii et abstinentiae sunt: Feria VI in Passione et morte Domini; die 7 mensis decembris, Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V.; die 24 decembris (ad mentem Ordinarii transferenda ad diem 23 dec.), Vigilia Nativitatis Domini.

Dies solius abstinentiae: Feria IV Cinerum; omnes Feriae VI tempore Quadragesimae; Sabbato Sancto usque ad expletam Missam Vigiliae Paschatis.

Desideratur norma practica ad iudicandam materiam gravem sive quoad ieiunium et abstinentiam, sive quoad abstinentiam solum.

Vota quaedam.

1. Ut Praelatis quibus ordinarie datur facultas conferendi Ordines Minores, tribuatur etiam facultas conferendi Subdiaconatum.

2. Cum pars quaedam cleri adhuc occupationibus teneatur quae minus cohaerent actuali urgenti necessitati actionis pastoralis, proponendum videtur ut laici seligantur et praeparentur ad huiusmodi occupationes exercendas, nisi Concilium magis expedire iudicet restituere Diaconatum ad antiquam disciplinam eumque ad ampliora munera vocare.

3. Censeo Concilium rem valde opportunam facturum, si praxim exercitiorum spiritualium sua auctoritate laudet et commendet, tamquam medium efficacissimum ad vitam supernaturalem ordinandam: praesertim pro clero, cui loco triennalis obligationis, annua videtur proponenda.

4. Servato praescripto ieiunio, christiani qualibet hora diei sumere possint Communionem.

5. Videtur commendanda quaedam maior proportio in assignatione bonorum quae ad honestam sustentationem cleri, ex bonis Ecclesiae proveniunt, ne sit qui abundet et alter indigeat.

6. In novis editionibus Missalis, indicentur in Rubricis partes quae ad participationem populi pertinent (omnes respondent... surgunt... sedent... etc.).

7. *De habitu ecclesiastico.* Proponitur ut sacerdotibus fiat facultas, extra ecclesiam, gerendi habitum sicut iam in pluribus locis solent sacerdotes portare (Anglia, America, etc.). Habitus sit nigri coloris simulque deferatur collare romanum.

D. TARSICIUS MARTINA
Praefectus Apostolicus Yihsienensis

55

EXC.MI P. D. BLASII S. KURZ

Episcopi tit. Terenuthitani, Praefecti Ap. Yungchovensis (Yungchow)

New York, die 15 augusti 1959

Eminentia,

Maximo cum gaudio audivi de intentione Summi Pontificis Ioannis XXIII f. r. convocandi Concilium Oecumenicum, quia mihi videtur tempus esse valde favorabile.

Hoc est responsum ad Litteras N. Prot. 1 C/59-2013.

Propositiones: quoad linguam: installare systema sicuti in aedificio de « United Nations » in civitate New York. Lingua oratoris transferatur eodem momento in linguas valde notas.

Ante Concilium Episcopi et Doctores habeant discussiones cum acatholicis suae nationis et regionis.

Concedere facultatem audiendi confessiones ubique terrarum omnibus Episcopis et sacerdotibus, nisi sint excommunicati aut suspensi.

Abolere abstinentiam et ieiunium in vigiliis Nativitatis D. N. I. C.

Deprecor Dominum Nostrum Iesum Christum, ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare dignetur.

Eminentiae Tuae Illustrissimae
add.mus in Christo

✠ BLASIUS S. KURZ, O. F. M.
Episcopus tit. Terenuthitanus
Praefectus Apostolicus Yungchovensis

THAILANDIA

1

EXC.MI P. D. FRANCISCI X. SANGUON

Episcopi tit. Oenoandensis, Vicarii Ap. Chantaburiensis (Chantaburi)

59/1959 Die 29 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Iam recepi cum maximis gratiis litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae Prot. N. 1 C/59-1746 diei 18 iunii 1959, quibus Eminentia Tua Reverendissima dignata est rogare me ut communicarem quasdam animadversiones vel consilia Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici.

Interrogationibus quibusdam sacerdotibus Vicariatus factis, nondum reperio quidquam quod utiliter possim suggerere Commissioni. Mihi tamen videtur opportunum meam humilem petitionem praesentare Commissioni ut velit acceptare meam opinionem eligendi Beatissimam Mariam Virginem de Perpetuo Succurso tamquam Patronam Illustrem huius Concilii Oecumenici futuri.

Occasionem nactus, meae devotionis gratitudinisque sensus pando et, omni qua par est observantia, permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae filius
oboedientissimus
✠ FRANCISCUS X. SANGUON
Episcopus tit. Oenoandensis
Vicarius Ap. Chantaburiensis

2

EXC.MI P. D. PETRI CARRETTO

Episcopi tit. Zenobiensis, Vicarii Ap. Rajaburiensis (Rajaburi)

23 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Con grande gioia dell'animo ricevetti la lettera circolare Prot. N. 1 C/59-1854 circa il prossimo Concilio Ecumenico, annunciato il 17 maggio p. p. da S. S. Papa Giovanni XXIII. Mi pare di poterLe dire che questo annuncio ha riempito di gioia l'animo di tutti i Missionari e fedeli e da

tutti si è subito preso l'impegno di recitare devotamente i 3 *Gloria Patri* che accompagnano l'*Angelus* per le auguste intenzioni del Santo Padre.

Per ottemperare ai desideri del Santo Padre, come dalla Sua pregiatissima, nonostante la mia incompetenza, mi faccio ardito a manifestare alcune povere idee. Sono convinto che porterò vasi a Samo: la Sua bontà paterna saprà compatirmi.

1. *Parrocchie povere e parrocchie ricche.* Sarebbe grandemente desiderabile se si potesse ottenere una più equa distribuzione dei benefici ecclesiastici. Rivedere il sistema di amministrazione e distribuzione dei beni affinchè, dopo l'onesto sostentamento del Beneficiato, il resto sia dato ai poveri: e questi « poveri » potrebbero essere le Missioni. Se il denaro della Chiesa fosse impiegato con maggior cattolicità, se ne avvantaggerebbe tutto il Corpo Mistico della Chiesa.

È della natura della Chiesa di essere « Missionaria », di espandere il Regno di Dio fino agli ultimi confini della terra. Non sarebbe il momento di insistere su questa caratteristica affinchè tutti sappiano il loro dovere di lavorare per questo fine non riservato ai soli Missionari, ma che incombe, anche se in modo diverso, su tutti, specie sui Sacerdoti?

2. *Diaconi con famiglia.* Più si pensa a questa possibilità, e più ci si convince del grandissimo bene che ne risulterebbe alla Chiesa in generale e alle Missioni in particolare, da questa provvidenziale istituzione. Uno dei campi più importanti del lavoro missionario è la scuola. Qui da noi si può dire che i maestri catechisti più qualificati siano ex-Seminaristi. È una cosa lampante che la maggior parte delle vocazioni fanno naufragio per la difficoltà di conservarsi totalmente puri. Ora, se accanto alla mèta eccelsa del Sacerdozio, si facesse brillare la mèta più umile, ma pure tanto grande del Diaconato, per quelli che non si sentono di fare il sacrificio totale della loro vita, si avrebbe un gran numero di giovani che tenterebbero la cima del Diaconato. L'aureola di questo Sacro Ordine conserverebbe questi maestri catechisti nello sforzo costante della cristiana perfezione, anche se limitata da una dedizione non totalitaria.

Inoltre sarebbe questo un ideale di attrazione alla perfezione di tanti padri di famiglia o vedovi, giunti ad una certa età, e liberi più o meno dalle impellenti cure della famiglia, e al tempo stesso con una sistemazione finanziaria onesta: è questo il caso di pensionati, che anche dopo i sessant'anni potrebbero dedicarsi al servizio divino, alla recita quotidiana del Divino Ufficio, e a tante sante occupazioni del Santuario.

Forse anche nelle Congregazioni di Fratelli Laici, dedicati all'insegnamento, la prospettiva del Diaconato, senza la necessità di studiare la Teologia al completo, varrebbe ad aumentare il numero delle vocazioni e a consolidarli in essa.

3. *Azione Cattolica.* Sarebbe da augurarsi che il Concilio Ecumenico studiasse a fondo la natura dell'Azione Cattolica per stabilire fino a che punto tutti i Cattolici sono *tenuti* alla collaborazione con la Gerarchia. Come chi manca al precetto Pasquale, manca ad un grave obbligo del Cristiano, può uno che non si preoccupa di Azione Cattolica pensare di fare l'*indispensabile* per essere un Cristiano?

4. *L'educazione cristiana.* È troppo comune la convinzione che l'educazione religiosa dei figli sia il peso del Clero e delle Suore: troppi genitori non se ne danno la sollecitudine che per dovere di natura incombe su di loro. È forse questo il risultato del non insistere abbastanza su questo dovere? Il Sacerdote e la Suora sono un aiuto, non i responsabili maggiori dell'educazione religiosa dei figli.

Eminenza Reverendissima, mi voglia scusare se per la ristrettezza del tempo concesso per la risposta non ho potuto fare studiare meglio i vari problemi e mi devo limitare a quanto sopra umilmente esposto; chiedo anche venia di scrivere in italiano! Proprio in questi giorni di innumerevoli occupazioni non trovo il tempo che la traduzione richiederebbe!

Assicurando preghiere da parte di tutti i fedeli, e specialmente dai Missionari e Suore per il buon risultato del Concilio, e perchè il Signore doni a Lei abbondante il Suo Spirito per prepararne i lavori, mi prostro al bacio della S. Porpora. Ci benedica tutti.

Obbl.mo e aff.mo in C. G.

✠ PIETRO M. CARRETTO, S. D. B.
Vicario Apostolico di Rajaburi

P. S. Siccome uno dei fini principali del Concilio Ecumenico è la riunificazione delle varie Chiese specialmente le Orientali, potrebbe bene assicurare lo scopo del Concilio il metterlo sotto la protezione della Vergine Ss.ma invocata sotto il titolo di « Nostra Signora del Perpetuo Soccorso ». Dato che Essa è raffigurata nella famosa icona di oltre 450 anni fa, di origine e ispirazione orientale, che certo attrae le genti orientali. Che la Ss.ma Vergine invocata da tutti i suoi figli di tutto il mondo, possa tutti riunirci sotto il suo manto, aggiungendo una nuova fulgida gemma alla prova del suo perpetuo Soccorso per i nostri bisogni.

✠ PIETRO M. CARRETTO, S. D. B.
Vicario Apostolico di Rajaburi

3

Exc.mi P. D. CLAUDII BAYET

Episcopi tit. Cidyessensis, Vicarii Ap. Ubonensis (Ubon)

Ubon, le 27 août 1959

Eminentissime Seigneur,

En réponse à votre lettre circulaire Prot. N. 1 C/59-1884 du 18 juin 1959, arrivée ici le 28 juillet seulement, voici les suggestions qu'après consultation des prêtres d'expérience du Vicariat Apostolique d'Ubon, je crois devoir soumettre à cette Commission.

1. *Sanctification du clergé,* surtout séculier. Il y aurait lieu d'étudier, semble-t-il, comment faudrait-il s'y prendre pour garder davantage la sainteté du prêtre. Ne serait-il pas bien, entre autres choses, de se montrer plus sévère pour l'admission au sacerdoce, et aussi de prendre un soin tout spécial des jeunes prêtres. En pays de Mission (et peut-être partout?) ne serait-il pas bien d'imposer une probation entre la fin du grand séminaire et la réception des Saints-Ordres?

2. *Mitte operarios.* A la suite des directives Pontificales, un effort a été fait pour une répartition moins inégale des prêtres. Des diocèses riches en prêtres ont prélevé sur leur clergé pour envoyer dans d'autres diocèses moins riches, ou en pays de Mission. Par ailleurs sous l'impulsion de S. S. Pie XI, des groupements religieux avaient accepté de prendre en charge des paroisses ou des Missions. Il faudrait développer et généraliser ces manières de faire.

3. *Unité d'action.* On souhaite une meilleure entente entre les Ordinaires des lieux d'un même pays, d'une même Région: catéchisme commun, livre de prières commun, directoire commun... etc. ... Dans la plupart des pays de Mission, il y a un Représentant du St-Siège: Délégué Apostolique ou autre qui doit pouvoir réaliser cette entente. Là où il n'y a pas de représentant du St-Siège, il faut trouver une solution pour réaliser cette entente.

4. *Une Œuvre Pontificale des Catéchistes?* S. S. Pie XII disait qu'en pays de Mission un prêtre aidé de 6 catéchistes fait davantage de travail catéchistique et même d'évangélisation que 7 missionnaires. C'est parfaitement vrai. Le catéchiste est un rouage essentiel de la propagation de l'évangile. Mais le catéchiste a besoin d'être formé. Il faudrait dans chaque Mission une école de catéchistes; mais cela suppose un budget important qu'on peut comparer à celui d'un séminaire. Or les Missions

pauvres n'ont pas les ressources suffisantes pour tenir une école de catéchistes. Ne serait-il pas possible de créer, pour les Missions pauvres, quelque chose comme une Œuvre Pontificale de catéchistes? Tout comme il y a l'Œuvre Pontificale de St-Pierre Apôtre pour les séminaires des pays de Mission.

5. *Nouveaux Saints*. Des prêtres chargés de ministère demandent à ce que les Offices des Saints nouveaux ne soient rendus obligatoires que périodiquement, par exemple chaque 10 ans, ou chaque 20 ans.

6. *Empêchement de mariage.* On souhaiterait une simplification des empêchements de mariage, tout particulièrement en ce qui concerne l'empêchement de crime, et l'empêchement d'honnêteté publique.

7. *Censures*. On demande la revision et la simplification des censures.

Daignez agréer, Eminence Révérendissime et Illustrissime, l'expression de mes sentiments respectueux et dévoués.

✠ CLAUDE BALET
Evêque, Vicaire Apostolique d'Ubon

TURCHIA ASIATICA

1

EXC.MI P. D. IOSEPHI DESCUFFI

Archiepiscopi Smyrnensis (Izmir)

Prot. N. 24/59 14 augusti 1959

Eminentissime Praeses,

Concilium Oecumenicum ad promovendam et restaurandam unitatem Ecclesiae ab omnibus Christifidelibus exoptatam, a Summo Pontifice feliciter regnante Ioanne XXIII, tempore opportuno convocandi consilium initum, cum ingenti gaudio orbis christianus audivit. Ego quoque, non cum minore laetitia, per litteras tuas 18 die iunii 1959, sub Prot. Num. 1 C/59-633 signatas, 14 iulio die vero receptas, mihi notificatum Augusti Pontificis Exc.morum Episcoporum sententias cognoscendi desiderium explendi, nunc honorifico accingor officio.

Quare Venerabili Commissioni Pontificiae cui merito praesides confido, ut experientia informatas animadversiones, consilia et vota, qua cura et sinceritate explicare intendo, eadem consideratione et benevolentia examinare velit. In primis, liceat mihi aliquas notationes praeponere:

NOTATIONES

1. Non decet dissidentes tractare ut haereticos, schismaticos formales, aut reos ad poenitentiam revertentes. Maxima pars dissidentium in bona fide nati et educati fuerunt. Illi ex adverso, Latinos primos multimode unitatem fregisse putant. Romanum Pontificem immerito Primatum vindicasse accusant. Etiam nunc Latinis non ignoscunt contra imperatores byzantinos Carolum Magnum optasse; ac postea, quarto sacro bello cum cruce signatis militibus suscepto, caedes ac direptiones provocasse, et demum post separationem, Ecclesia graeca inconsulta, multa in fide et disciplina innovasse. Regalitatem temporalem pontificiam humilitati Christi et Ecclesiae divinae constitutioni contrariam asserunt et tandem « Uniatarum » Ecclesiarum institutione abhorrent. Haec per summa capita in memoriam revocare inopportunum non est ut melius cognoscatur eorum erga nos animi habitus, odii, diffidentiae et simultatis sensus; et etiam ne nos in futuris tractationibus, temporis acti verborum excessibus et indignationis motibus denuo reos inveniamur.

2. Considerandum est unitatem perfectam « in momento, in ictu oculi » fieri non posse. Nisi Spiritus Sanctus novum Pentecostes miraculum producere voluerit, Unitas Ecclesiae non unius anni nec diei opus erit. Post decem saecula in separatione, in inimicitia et oppositione peracta, nonnisi paulatim et progressive, cum decursu temporis, exoptata perfici poterit. Incipiendum est ab invitationibus ad unitatem, a mutuis colloquiis ad cognoscendas oppositiones actuales in fide. Postea praeparabuntur accessus et congressus in superiori gradu et tandem ad Concilium Oecumenicum, ad unitatem confirmandam. De modo procedendi, in sequentibus articulis singulatim tractare intendo.

3. In unitate fidei statuenda, per summa capita, argumentis e Sacra Scriptura et ex traditione Patrum graecorum, necnon ex libris liturgiae orientalibus mutuatis inniti, et solis veritatibus ab Ecclesia definitis obtemperare valde optandum est. Sedulo vitandae sunt disputationes philosophiae scholasticae. Non est opportunum imponere formulas, sententias in Ecclesia latina adhibitas, dummodo in expressionibus et locutionibus dissidentium nihil contra fidem inveniatur. Neque disciplinam latinam, neque mores romanos ad omnia in unum conformare et ordinare tendentes Orientalibus imponere licebit. Magna moderatione et tolerantia incedendum est et concessiones quidem multae faciendae sunt in non essentialibus, dum primus accessus et consensus fiat. Primus impulsus et primi gressus sunt maximi momenti.

Post has notationes, per ordinem symboli et singulatim quae sunt acceptanda, modificanda aut reicienda capita circa fidem exponam. Postea de Ecclesia protestanti aliqua declarabo et tandem de mediis practicis adhibendis necnon de ratione procedendi ad unitatem fovendam tractabo.

Oppositionum discussio et solutio

De signo Crucis. Unaquaeque Ecclesia suum modum crucis signum efformandi servabit.

De Spiritu Sancto. Usque ad sextum saeculum nulla disceptatio orta est. Contra innovationem Photii testes sunt: S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, S. Epiphanius, Ss. Cyrillus et Methodius, S. Ioannes Damascenus, S. Maximus. Verum est aliquos Patres voculam « per Filium » adhibuisse; sed hoc verae fidei non officit; idem sonat ac si dixisses « Filioque ». Patres graeci et latini idem credunt, quamquam diverse enuntient, fidem eorum.

De adiunctione « Filioque ». Leo III (795-816) et eius successores usque ad annum 1014 adiunctionem « Filioque » a Carolo Magno, inconsulta Sancta Sede, introductam, in Symbolo Constantinopolitano non

adscripserunt. Si Graeci contra nos voculam istam in Sacris Scripturis non inveniri asserunt, nos locutionem et discrimen « solo Patre » in Evangelio et in Scriptis Patrum non legi redarguere possumus. Insuper, Graeci sicut Latini omnia quae dicuntur de Spiritu Sancto in Evangelio credunt. Idem credunt sed in sola expressione verbali differunt. Ergo, pro bono pacis, adiunctio nostrae formulae in eorum symbolo non est imponenda; et vicissim, ipsi nostrae professioni fidei adversari non debent.

De Baptismo. Orientales ad Baptismi latini per infusionem liceitatem et validitatem agnoscendam adhortari debemus. Ipsi post Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam administrare libere continuent.

Validitatem Baptismi per infusionem collati in libro « Didaché » (c. 7) declaratam invenies. S. Cyprianus idem asserit. S. Augustinus contra Donatistas (lib. VI, c. 7) eam confirmat. Post separationem, Theodorus Prodromus eamdem opinionem exponit quam Patriarchae graeci: Nicephorus, Methodius, Veccus, Mouzalon, Xiphilinus, et Philoteus Palamites, eorum auctoritate successive confirmarunt (C. Pappadopoulos, *Praenotiones Mystalogicae,* Resp. V, Sect. III). In synodis Mosquensibus anni 1655-1656 a Macario Antiocheno declaratum fuisse Latinos haereticos non esse et sine iteratione baptismi recipiendos esse; quod Synodus anni 1667 novis argumentis confirmavit (Jugie, III, p. 93. *De Baptismo, Theol. Orient.*).

De Azymis. Quamvis quaestio de Azymis historice insolubilis esse videatur nec ad dogma pertineat, in Concilio Florentino huic decreto unionis formulae Patres graeci subscripserunt: « In azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi vere confici, sacerdotesque in altero ipsorum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae consuetudinem (Jugie, III, p. 235).

De Epiclesi. Secundum doctrinam catholicam a magisterio Ecclesiae ordinario docetur formam Sacramenti Eucharistiae constare ipsis verbis a Christo in ultima Coena prolatis. Orientales quidem alta voce cantant verba Christi et populus immediate alta voce sacerdoti « Amen » respondit dum submissa voce sacerdos epiclesim recitat cui nihil responditur.

Ergo praesentiam realem post verba Christi iam operatam esse, ipsa liturgia byzantina declarat. Liceat eis modo suppletivo epiclesim recitare, dummodo verba Christi esse significativa et efficacia et non mere declarativa, denegare non audeant. Epiclesis, ex ordinatione Christi in ultima Coena, non oritur. Epiclesis praesentiam realem non conficit; quidquid sit praesentiae reali non officit, ideo, pro bono pacis, tolerari potest dummodo Orientales agnoscant praesentiam realem in Missa latina et validitatem Sacrificii. Efficaciam verborum Christi docuerunt Patres Graeci

et Latini: Ireneus, Iustinus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus. Legi potest Metropolitae Nyceni Bessarionis professio fidei, in Concilio Florentino (Jugie, p. 295-296. *Theol. Byz.* III).

De Communione sub utraque specie. Nihil immutetur in utraque Ecclesia. Dummodo Orientales validitatem et efficaciam communionis sub specie panis tantum agnoscant.

De Extrema Unctione. Nihil mutandum est in utraque Ecclesia, quamvis graeci Eucholeum administrent ritu diverso etiam non infirmis. In hoc devotionis redundantia, nihil contra fidem invenitur.

De Novissimis et de Purgatorio. Graeci legitimam esse invocationem Sanctorum admittunt. Ergo electos iam nunc visione beatifica, quamvis imperfecta, in coelo frui practice agnoscunt. Ex eorum libris liturgicis, clare consequitur sanctos esse coram Deo, animas vero peccati infectas iam poenas inferni subire. Rectum est, etsi imperfectum.
Retributionem immediatam post mortem admiserunt: Psellus (XI s.) Michel Paleologus et Patres graeci in Conc. Lugdunensi (1274), Nicolaus Cabasilas (XII), Patriarcha Constantinopolitanus Philotheus Kokinos (XV), Manuel Paleologus (XVII), Petrus Moghila...

Verum est mitigationem poenarum inferni per suffragia fidelium, quam graeci admittunt non esse doctrinam ordinariam Ecclesiae. Nihilominus accipi potest, si consideretur vocabulum graecum (adhis) univoce significare in lingua graeca et purgatorium et infernum. Inde exoritur interpretatio benigna circa ambiguam eorum declarationem.

Revera, vocabulum « Purgatorium » non existit in lingua graeca veteri. In his quaestionibus nondum bene definitis, non est urgendum. Standum est brevi decreto Tridentino: Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari (sess. XXV).

Ergo disputandum non est nec de nomine Purgatorii, nec de loco, nec de igne purgatorii. Nulla definitio dogmatica proclamata est. Ecclesia orientalis « Tertium aut medium statum » temporaneum, a coelo et ab inferno distinctum agnoscit et suffragia pro defunctis admittit. Hoc essentialiter sufficit ad unitatem fidei circa novissima. Notitia perfecta hominibus deest circa novissima. Standum est ad essentialia.

De Sacris Ordinibus. Post declarationem Summi Pontificis Pii XII porrectio instrumentorum non est materia essentialis sacramenti. In Encyclica pontificali et in Constitutione Apost. *De Sacris Ordinibus Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus* (30 nov. 1947), Subdiaconatus non nominatur inter Ordines Sacros. Inde cogitare potest legem caelibatus, sicut graeci in usu habent, solo Diaconatus gradui applicari posse. Ergo unaquaeque Ecclesia suas consuetudines et suos ritus servare potest:

De matrimonio. Haec est quaestio spinosa, cuius solutio facilis non

erit. Orientales admittunt divortium in casu adulterii. Attamen Patres Concilii Tridentini propter obscura verba s. Matthaei (V, 32) Ecclesiam graecam anathematizare non ausi sunt. Optandum est ut veram locutionem originalis Evangelii in lingua aramaica scripti habere possimus! Certe verbum « adulterium » ambiguum est in Evangelio S. Matthaei.

Decursu temporis, Ecclesia greco-russa 20 alios casus dirimentes recipere debuit inter quos aliqui sunt consideratione digni (Jugie, *Theol.* III, pagg. 464-465). Ecclesia latina stricte divortium reicit, ad tutelandam familiam et pro bono societatis civilis. Ecclesia graeca ad strictiorem observantiam legis indissolubilitatis matrimonii adhortanda est. Tali modo fidelibus latinis argumentum scandali et reclamationis auferetur.

Animadvertendum est, occasione Concilii Lugdunensis (1274), imperatorem Michaëlem Paleologum et postea anno 1369, coram legatis Urbani V Ioannem imperatorem: « tertias et deinde nuptias » licitas esse agnovisse (Jugie, III, p. 471).

De Ecclesia. Circa constitutionem et regimen Ecclesiae Christi, Latinos inter et graecos magnum discrimen exstat et fortis oppositio. In Ecclesia Latina viget monarchia. In Ecclesia graeca in nostris temporibus viget democratia et respublica foederativa. Quasi omnes ecclesiae dissidentes in magnis nationibus (parva insula Cypri non excepta) sunt Autocephalae, seu nulli subiectae, et inter eas ligamina iurisdictionis sunt laxa. Inde Ecclesia orientalis, quia auctoritate et unitate caret, non potest convocare concilia, errores condemnare, dogmata definire. Ad convocandum Concilium et ad definiendas controversias, omnes Episcopi in unum convenire et consentire debent! Ecclesia sola in unum congregata, sc. in Concilio Oecumenico, est infallibilis. Orientales accusant latinos Ecclesiae universali infallibili substituisse novum dogma infallibilitatis Romani Pontificis. Sola septem prima Concilia ante separationem, oecumenica esse admittunt. Sed eorum memoria dilabitur tria magna Concilia, ante separationem et etiam ante Vaticanum Concilium (1870) agnovisse Primatum et Infallibilitatem Romani Pontificis. Videlicet: in Concilio Nicaeno, nulla contestatio contra primatum iurisdictionis Papae S. Silvestri orta est, cui omnes obtemperaverunt. Patres Concilii Ephesini (431) auctoritatem doctrinalem Papae Coelestini acceperunt. Immo in Concilio Chalcedonensi (451) Patres proclamaverunt: Petrus per Leonem locutus est; et tandem in 3° Constant. (680) eadem voce exclamaverunt: Petrus per Agathonem locutus est!

Inde historicus scriptor Russus (1850) professor Universitatis Solovief scribit: Si primatus et infallibilitas Romani Pontificis novitates fuissent, Ecclesia Orthodoxa v saeculi ut haeretica condemnanda esset. Insuper Ecclesia Orientalis in Canone Sanctorum adscripsit primos intrepidos

iurium R. Pontificis defensores: ut Clementem, Silvestrum, Leonem Magnum (Chalced.), Gregorium Magnum (contra Patr. Ioannem IV), Martinum (I Lateran. contra Sergium Patriarcham, 649).

Tandem si Orientales eorum libros liturgicos et Theologorum scripta consultent « tantam habebunt impositam nubem testium » ut eis primatus et infallibilitas effulgebit. Vide Officia Liturgica Ss. Petri et Pauli, Ss. Pontificum quos iam nominavi, Patres vero Graecos: S. Ignatium Antioch., S. Irenaeum, S. Basilium, S. Gregorium Nyss., S. Ioannem Chrys., Ss. Cyrillum et Methodium, S. Theodorum Studita, et in posterum theologos: Mesudis Palamides (III s.), Greg. Palamas (XIV), Ioseph Methonensis (XIV), Bessarion (XIV).

Hi omnes constitutionem divinam Ecclesiae super S. Petrum fundatam agnoverunt. Inde Propositio ab Orientalibus excogitata Unitatis sub specie Pentarchatus cum iuribus aequalibus aut Reipublicae Foederativae cum Ecclesiis inter se pares, constitutioni divinae a Domino statutae adversari videtur. Unum ovile! Unus Pastor! Unitas in fide et regimen sub iurisdictione successorum Petri! Haec est veritas divina.

De Progressu dogmatico. Manifestum est Ecclesiam Septem Conciliorum, veritates postea definitas ab Ecclesia Latina sola, accipere non posse. Sed Orientales ante oculos tenere debent verba Spiritus Sancti et D. N. Iesu Christi « Ille docebit vos omnia; *omnem veritatem* » (*Io.* 16, 13). Haec S. Spiritus actio illuminativa et edocens, in limitibus temporis non coarctatur, sed usque in finem extenditur. Huius divino impulsu, Ecclesia non invenit novas veritates sed melius intelligit quae in Scripturis et in Traditione iam inveniebantur sed nondum explicite, definita, declarata et promulgata. Inde Dogmata Infallibilitatis, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis non sunt novitates sed veteres veritates iam absconditae in Scriptura et Traditione quas Ecclesia infallibili suo magisterio ad lucem profert et confirmat. Omnibus qui primatum et infallibilitatem pontificalem admittunt haec omnia sunt manifesta. Optandum est ut dissidentes hanc actionem illuminantem Spiritus Sancti agnoscere velint!

De aliis Ecclesiis dissidentibus in Oriente

Aliae Ecclesiae dissidentes in Oriente: in Armenia, in Egypto (Copti), in Abissinia, in Syria sunt etiam monophysitae. Ergo ad unitatem invocandi sunt et hortandi ut sedulo decretorum Concilii Chalcedonensis studio incumbant.

De Ecclesiis Protestantibus

Difficile est tractare cum communitatibus protestanticis quae ecclesiastica hierarchia carent, sicut in America speciatim, ubi plus quam 200 sectae pullulant. Nihilominus desperare non licet. Locorum Ordinarii per ephemerides, commentaria, et colloquia sive publica sive privata ad eos accessum habeant ut examinetur si ultra progredi opportunum sit et in maioribus conventibus discussiones habeantur.

Cum Ecclesiis hierarchiam habentibus, sicut in Germania, in Helvetia, in Scandinavia et Austria, necnon in Anglia, ad statuendam unitatem, decretis Concilii Tridentini inniti opportunum est. Multa erunt argumenta discussionis, sc. *De Sacra Scriptura, De divinitate Christi, De Baptismo, De praesentia reali et de Sacrificio Missae, De Ordinationibus Anglicanis, De Constitutione Ecclesiae, De primatu et infallibilitate, De cultu B. Mariae Virginis*. In omnibus inter nos et eos magna oppositio et inter eos contradictio et confusio!

De Ecclesia Anglicana

Sed, feliciter, in Anglia existit Ecclesia Anglo-Catholica, High Church, ad quam primum accedendum est, quia nobis vicinior invenitur. In Congressu Leeds (1920) Lord Halifax unitatem et regimen in Ecclesia Romana vigentes, pro sua Ecclesia optavit. In Congressu Lambeth (1920) 250 Episcopi anglicani, Canturberiensi Episcopo subditi, sese supplementum ordinationis recipere paratos esse declaraverunt. Anglo-Catholici Confessionem, Sacrificium Missae, Communionem, cultum Sanctorum admittunt et nostram liturgiam observant. Quid amplius? « Levate oculos et videte regiones quia albae sunt iam ad messem ». Dum messores sint natione Angli et non Hiberni quia non coutuntur! Utinam Angli praesules cum eis colloquia incipiant, oppositiones definiant ut maturent tractationes in superiore gradu hierarchico habendas ad praeparandum Concilium reconciliationis. Primi gressus ardui erunt. Sed exempla trahunt. Quando via aperta fuerit, paulatim caeteri protestantes etiam eos sequentur. Exempla trahunt!

De modo tractandi cum Ecclesiis Orientalibus

Ecclesiae Latinae multum interest exacte cognoscere quales sunt oppositiones actuales dissidentium; quia multa ex eis quae olim nobis cum clamore obiectabant nunc decursu temporis et maiore rerum cognitione

evanuerunt. Ad cognoscendum ergo actualem statum dissentionum, proponitur:

A Sancta Sede nominatim ad unitatem invitandi sunt in primis: Patriarcha Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, Mosquensis, Armenus (Ecmiazin) et alii Patriarchae minores aliorum rituum

Omnes hi Patriarchae et Praesules in propria ditione Metropolitas, Episcopos et Clerum consulere velint de oppositionibus hic et nunc adhuc vigentibus in fide. Ipsi opiniones accurate colligere, excutere, definire coram membris Sanctae Synodi et breviter argumenta tractanda et discutienda statuere velint.

Cum idoneis delegatis a Sancta Sede missis, de his colloquia privata habeant coram S. Synodo et simul textum argumentorum definitive conscribant.

Postea Congressus regionalis aut nationalis adunabitur coram Patriarchis et membris S. Synodi et coram delegatis a Sancta Sede ut per modum « quaestionis et responsi » breviter exaretur textus definitivus ad Concilium proponendus, super quo oratores ab eis designati sermonem et postea, si opus erit, controversiam habebunt.

Si post liberam discussionem, duae partes consentiunt, textus ab omnibus subsignandus est nec amplius abiurationibus aut anathematismis opus est.

Optandum est ut omnes Episcopi dissidentes ad Concilium convocentur. Absentes aut renuentes delegationem et declarationem suam propriis Metropolitis committere possunt.

Hae cautelae ad vitandas defectiones et disertiones quae post Unionem Concilii Ludgunensis II et Florentini repente evenerunt.

Etiamsi non omnes forsan invitationi S. Sedis aut Patriarcharum respondere velint, attamen cum Patriarchis et Metropolitis bene dispositis consessus semper tentandus et prosequendus est. Porta unionis aperta remanebit omnibus qui, suo tempore, gratia tactis, ad ovile regredi optabunt.

Cum Protestantibus. Incipiendum est ab Anglo-Catholicis. Rogandi sunt omnes Archiepiscopi, Metropolitae dissidentes ut colloquia « irenica » habeant cum suis subditis; postea cum Delegatis S. Sedis, ut exaretur textus definitivus argumentorum quae in Concilio tractari debent per oratores ab eis electos ad expositionem et controversiam faciendam. Consensione facta, omnes subsignent declarationem et primus gressus ad unionem perficietur.

Compendium discussionum et argumenta tractanda

Cum Ecclesia Orientali. Ecclesia catholica latina cum Orientalibus consentire potest in omnibus quae non sunt contraria definitionibus dogmaticis, etsi professio fidei cum aliis verbis et modis exprimatur.

Contra, ab Ecclesia Orientali exquiratur si agnoscere velit haec essentialia ad unionem:

Validitatem et liceitatem Baptismi latini per infusionem.

Praesentiam realem in Missa latina cum azymis et sine epiclesi.

Validitatem et liceitatem Communionis sub una specie.

Statum tertium aut medium post mortem.

Indissolubilitatem matrimonii.

Primatum Romani Pontificis, in honore et iurisdictione.

Infallibilitatem personalem Summi Pontificis in materia fidei et morum, quum loquitur ex cathedra scilicet cum Ecclesia infallibili.

Cum monophysitis insuper, dualitatem naturae, humanae et divinae in unica persona Christi (de fide).

Cum Protestantibus. Argumenta definienda multa sint et ardua:

De interpretatione Sanctae Scripturae, reiecto libero examine.

De Divinitate Christi.

De Baptismo.

De praesentia reali in Eucharistia.

De valore Sacrificii Sanctae Missae.

De aliis Sacramentis: Poenitentia.

De indissolubilitate Matrimonii.

De Ordinationibus Anglicanis.

De cultu B. Mariae Virginis.

De primatu.

De infallibilitate Romani Pontificis.

Laboremus! Veritatem facientes in caritate!

De mediis ad praeparandam et fovendam concordiam iam nunc applicandis

Usque ad saeculum decimum octavum etiam post separationem, cum tolerantia Sanctae Sedis, in Oriente Missionarii latini in Ecclesiis graecorum praedicabant, confessiones audiebant, sacramenta administrabant, functionibus sacris aderant. Quare ad imminuenda odia, praeiudicatas opiniones et diffidentias, necnon ad fovendum mutuum consensum, caritatem et zelum, denuo hic modus agendi non tolerandus est. Acatholici non sunt haeretici aut schismatici formales vitandi. Siquidem eos ad

unitatem convocamus, iam nunc signa caritatis et amicitiae eis exhibere debemus.

Ergo, ab hinc iam inde, leges prohibentes communicationem in divinis, paulatim mitigandae et abrogandae (can. 731, can. 1258). Et, tempore opportuno optandum est ut moderentur et abrogentur (cann. 1060-1062, 1063-1064, 1102, 1109, § 3, 1026, 2319).

SCHEMA PROPOSITUM PRO REGIMINE ECCLESIAE POST UNIONEM FACTAM

Ab hinc iam nunc, praevidendae et definiendae sunt mutationes essentiales in distributione sedium residentialium et beneficiorum, necnon abrogationes imponendae, quia, unione facta, duplex hierarchia cuius una erat catholica latina non iam amplius necessaria erit, immo et inopportuna erit. Quaestio satis implicata videtur et ardua in regionibus graecis et protestanticis.

Quum centrum Unitatis sit e constitutione divina Petrus et eius legitimi successores et quum post accessionem ad unitatem tantae plebis dissidentium timendum est ne denuo disgregatio oriatur, omnes strictius Centro Unitatis adhaerere debent. Itaque:

1. Summus Pontifex Romanus, Pontifex Ecclesiae Universalis Occidentis et Orientis, Patriarcha Occidentis cum primatu iurisdictionis et honoris super alios Patriarchas, Episcopus Episcoporum.

2. Patriarchae residentiales, in Oriente secundum leges et canones ecclesiae orientalis electi, et approbati postea a Sancta Sede. Opportunum videtur ut tot sint Patriarchae quot sunt ritus diversi, linguae et magnae nationes. Patriarchae sint etiam dignitate Cardinalatus insigniti et directe cum Sancta Sede communicent.

3. Omnes Patriarchae, Metropolitae et Episcopi ad visitationem SS. Liminum regulariter sint convocati.

4. Romanus Pontifex per Legatos speciales, Patriarchatus territoria regulariter visitet, statum Ecclesiarum advigilet et Summum Pontificem certiorem faciat.

5. Dixi per Legatos speciales, quia Orientales et quidem Occidentales, aegre ferunt interventum Nuntiorum in negotiis ecclesiasticis (can. 267). Nuntiorum institutio a Regalitate temporali oritur; nec tam Constitutioni divinae Ecclesiae conformis videtur. Nihilominus, haec institutio utilis est ad fovendam libertatem et dignitatem Ecclesiae in relationibus cum potere civili.

6. Demum admittendi sunt in nostris Universitatibus, Seminariis et Scholis clerici orientales et occidentales ut edocentur in vera doctrina

catholica et efformentur magistri qui habeant sensum catholicum. Vicissim nostri scholas et universitates extraneas frequentare possint. Accurate emendandi sunt omnes libri theologiae et doctrinae christianae in scholis a discipulis lecti.

7. In sacrificio Missae, in dipticis, nominetur Summus Pontifex, in signum unionis et oboedientiae.

Conclusio

Eminentissime Praeses,

Hae sunt per summa capita animadversiones, consilia et vota quibus invitationi Tuae responsum dare mihi pergratum fuit Tibi cum magna sinceritate et libertate mentem meam pandi ne expectationi Tuae non sim impar ac in sublimi opere Unitatis Ecclesiae a Summo Pontifice Ioanne XXIII incepto parvus quidem operarius inveniar.

Etiamsi Unitas Ecclesiae immediate non compleatur Paterna vox tamen Supremi Pastoris non frustra audita fuerit. Magnum tentamen ab eo inceptum, cum gratia divina, fructus afferet in praesenti et in futuro. Augusta manus eius separationis et inimicitiae murum dirupit. Porta unici ovilis patet ad omnes qui vocem Boni Pastoris audire volunt.

Deo Patri omnipotenti et Spiritui Sancto qui mentes edocet, illuminat et corda fovet; necnon B. Mariae Virgini cuius maternum munus est fratres disiunctos in amore Filii sui congregare preces effundimus ut Domini nostri Iesu Christi supremum votum mox adimpleatur: *Pater, ut sint unum! Unum ovile et unus Pastor! Amen.*

* * *

De quaestionibus seorsim tractandis

Ad Sacram Congregationem Rituum

1. In Missa, « Orate fratres » in integro versus fideles alta voce dicatur.

2. In fine Missae, Benedictio sacerdotalis detur primum, ac postea addatur « Ite, Missa est ». Et cum his, sine Evangelio S. Ioannis aut precum adiunctione populus dimittatur. Aut, post benedictionem dicatur Evangelium S. Ioannis cui « Ite, Missa est » sequatur.

3. In omnibus Missis IV Temporum, in Ecclesiis ubi non celebrantur neque Baptismi Catechumenorum neque Ordinationes, Lectiones supprimantur aut saltem facultativae sint.

Ad Sacram Congregationem de Sacramentis

De Matrimonio. Proponitur ut ad annullationem Matrimonii valeant casus sequentes (iuxta Orientales):

1) Amentia incurabilis unius coniugis.

2) Derelictio unius coniugum ab altero innoxio, post tres interpellationes in anno.

3) Damnatio alterutrius ad carcerem aut exilium, tota vita durante. Tres casus « Mortis moralis ».

De usu linguarum exterarum nationalium in Liturgia. Liturgia duos fines habet: 1) instruendi fideles in doctrina et pietate; 2) honorandi Deum.

Attamen, quomodo fideles docebuntur et aedificabuntur si linguam latinam non intelligunt? Usus commentarii, traductionis in libro, sunt media caduca. Quum Ecclesia Catholica sit universalis et congreget nationes ex « *omni tribu et lingua* » quaestio, praesertim nostris temporibus est maximi momenti, et apertis oculis, cum forti animo, funditus est solvenda. In die Pentecostes, multitudo advenarum, unusquisque « *in sua lingua* » magnalia Dei audivit. Nonne haec est via a Spiritu Sancto manifestata?

Quare aliquae nationes inter quas Orientales et Slavi, solum propriae linguae usus privilegio fruuntur? Nonne maiores eis plures nationes non sunt? Olim in imperio Romano lingua latina erat communis cum graeca. Tempora mutata sint et superata! Lingua latina in scholis tantum et in paucis regionibus auditur. Optandum est ergo ut in magnis nationibus, liturgia, in omnibus suis partibus, sicut mos est orientalium et aliorum, in lingua nationali seu vernacula, celebrari possit. In omnibus regionibus concedatur saltem ut magna pars Missae et Ritualis in lingua nationali intelligibili modo recitetur! Concessio sit universalis in tota Ecclesia: Ad evitandos errores ab Ecclesia accurate examinentur traductiones textus in lingua vernacula.

De Calendario universali. Optandum est quoque ut occasione Unitatis, dies Festi Paschae firma et immutabilis definiatur, ita ut saltem omnes Christifideles aut etiam in parte, eodem Calendario uti possint!

De Ecclesia. Post unionem, maximi momenti sunt istae quaestiones definiendae et a Concilio Vaticano non clare declaratae.

Quomodo infallibilitas Ecclesiae cum infallibilitate personali Pontificis inter se conveniant? Num una alteri officiat et substituatur. Num semper simul aut quando unam sine altera exercere licitum et validum sit?

De Episcopis. Ex constitutione divina, Episcopi positi sunt ut re-

gant et doceant fideles. Haec potestas est ordinaria, sc. eis competit immediate per consecrationem sed Episcopi non possunt eam exercere sine S. Pontificis designatione, inspectione et directione. Hoc licet asserere cum doctissimis theologis, quum nihil contra definitum sit; et forsan definiri possit. Ergo optandum est ad conservandam doctrinae et disciplinae uniformitatem cum Ecclesia Orientali ut Episcopi omnes (et Latini praesertim) amplioribus facultatibus fruantur; ita ut, exceptis casibus Sanctae Sedi reservatis (et paucissimos esse petere liceat) sine periodico recursu S. Congregationibus et sine consueta coarctatione eis *pro semper* facultates concedantur dispensandi in causis matrimonialibus, in casibus reservatis in Confessione et etiam in Liturgia, dummodo nihil sacris legibus contrarium agatur.

Post Unionem, multa sunt modificanda, moderanda, immo etiam abroganda in rebus non essentialibus. Amen!

✠ IOSEPHUS DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

VIETNAM

1

Exc.mi P. D. PETRI M. PHAM-NGOC-CHI

Episcopi tit. Sozopolitani in Haemimonto
Vicarii Ap. Buichuënsis (Buichu), *Administratoris Vic. Ap. Quinhonensis*

Qui-Nhon, le 9 septembre 1960

Eminence Révérendissime,

Lors de mon passage à Rome au mois de juillet 1960 pour la visite *ad limina,* je savais par Monseigneur Pericle Felici qu'une lettre de Votre Eminence concernant le futur Concile Œcuménique a été envoyée à mon adresse à Bui-Chu (Nord Viet-Nam) (partie occupée par les communistes).

Je n'ai jamais reçu la dite lettre et cela se comprend.

Monseigneur m'avait alors remis une autre.

Rentré à mon Evêché ces derniers jours, j'ai pris immédiatement le temps pour réfléchir sur les points susceptibles d'être traités par les Pères du Concile. Je suis sûr que mes vœux sont aussi ceux de beaucoup d'autres. Mais en bon enfant de l'Eglise j'ai l'honneur de les présenter à Votre Eminence pour être soumis éventuellement à la discussion dans le futur Concile Œcuménique. C'est un peu tard! Mais mieux vaut tard que jamais!

Que Votre Eminence Révérendissime daigne agréer l'expression de nos sentiments respectueux et religieusement dévoués en Notre-Seigneur,

De Votre Eminence Révérendissime
le plus humble serviteur

✠ Pierre M. Pham-Ngoc-Chi
Evêque tit. de Sozopolis in Haemimonto
Administrateur Apostolique de Qui-Nhon

1. Attentis circumstantiis, necesse est mutare in nostris Seminariis et Scholis theologicis sive methodum educandi formandique iuventutem clericalem et religiosam, sive materias (aliquas) tradendas. Omnes enim confitentur plurima, quae traduntur longe lateque in Seminariis, num-

quam deduci in praxim et esse omnino inutilia pro vita sacerdotali; e contra alia non pauca, quae sunt utilia immo necessaria, numquam discuti vel audiri in Seminariis!

2. Optandum est ut, sacerdotio suscepto post unumquodque triennium vel quinquennium annus unus vel menses sex assumantur in aliquo loco apto pro re-formatione et re-educatione.

3. Vita communis clericorum est restauranda quando in paroecia sunt duo vel plures sacerdotes, ministerium exercentes.

4. Optandum est ut aetas ministerii parochorum et episcoporum limitetur ut fit apud omnia Gubernia: nimis provecta aetas multum nocet ministerio, proinde animabus. Proponitur igitur ut parochus vel episcopus desistat, quando attingit 75 annos completos pro regionibus frigidis, 65 annos etiam completos pro regionibus calidis, exceptione facta pro casibus particularibus.

5. Cum vocationes sacerdotales et religiosae ubique diminuantur, necesse est multum promoveri apostolatum laicalem qui est optima formula ad fidem sive servandam sive provehendam. Patres Concilii discutiant magnopere supra hoc punctum et praesertim media apta inveniant ut finis obtineatur: habere quam plurimos apostolos laicos!

6. In regionibus in quibus vocationes ad statum religiosum laicalem (Fratrum) diminuuntur, necesse est attendere ad vocationes religiosas mulierum, quae adhuc abundant in multis regionibus (v. g. in Viêt-Nam). Religiosae sunt maxime utiles et necessariae sive ad scholas catholicas tenendas, sive ad opera caritativa vel socialia promovenda sive ad Actionem Catholicam organizandam.

7. Necesse est insistere ut nostri sacerdotes et praesertim religiosi utriusque sexus sint magis simplices quoad habitationem et vestitum! Quoties audiuntur murmurationes plebium de sumptuositate talis vel talis Congregationis quae ex instituto debet vivere in spiritu paupertatis! Optandum est ut Patres Concilii limites aliquos ponant pro huiusmodi Institutis: si quae plus habeant, debent erogare pauperibus vel adiuvare Missiones!

8. Utrum melius non sit ut uniformitas habeatur quoad habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem? Magna diversitas existit nunc in mundo, ita ut canon 136, § 1 in pluribus locis non observetur et inutilis evadat idem canon quoad § 3!

9. Proponitur ut detur legislatio pro maiori simplicitate quoad vestes sacras in administratione Sacramentorum et in celebratione Missae, praesertim in regionibus calidis.

10. Desiderium commune est ut prima pars Missae sive lectae sive cantatae (ab initio usque ad finem) dicta sit lingua vernacula, ita ut

christifideles magis possint communicare de altaris sacrificio et de doctrina christiana. Hoc est necessarium speciatim pro regionibus ubi catechesis non amplius potest dari in ecclesiis diebus dominicis nec in scholis publicis!

11. Desiderium commune est etiam ut abbrevientur Missale et Breviarium Romanum, praesertim occasione festorum.

Pro Ecclesia universali sunt tenenda solum festa principaliora, alia reserventur pro particularibus regionibus vel institutis. Item non sunt instituenda nova festa et nova officia: iam nimia sunt quae nunc existunt!

✠ PETRUS M. PHAM-NGOC-CHI
Episcopus Sozopolitanus in Haemimonto
Vicarius Apostolicus Buichuënsis
Administrator Vic. Ap. Quinhonensis

2

EXC.MI P. D. IOANNIS B. URRUTIA

Episcopi tit. Isauropolitani, Vicarii Ap. Huéensis (Hué)

Hué, 18 août 1959

Eminence,

En réponse à la lettre de la commission N. Prot. 1 C/59-1773 en date du 18 juin 1959, j'ai l'honneur d'émettre le vœu suivant:

Une des principales préoccupations de la hiérarchie dans l'Eglise est la sanctification du clergé.

Pour la formation des prêtres, l'Eglise a édicté des lois précise (Lib. III, Titre XXI, canon 1352 à 1371).

Elle veille avec soin à l'execution des prescriptions établies pour l'organisation et la marche des séminaires.

Après son ordination, le prêtre doit aussi observer les prescriptions édictées au Lib. II, Titre III, canon 124 à 144.

Ces prescriptions ne sont pas suffisantes. Il faut, semble-t-il, les renforcer.

Aujourd'hui, dès sa sortie du séminaire, la vie du prêtre est dévorée par l'action. Le prêtre est obligé de s'adonner aux œuvres extérieures. Sa vie intérieure doit-être intense. Or beaucoup perdent l'équilibre et se laissent envahir par l'activisme.

Ne convient-il pas d'*imposer* au prêtre un moyen de se prémunir contre ce danger d'activisme qui appauvrit sa vie spirituelle?

Ne serait-il pas souhaitable qu'on institue dans l'Eglise universelle une période d'arrêt du ministère de 4, 6 ou 12 mois (c'est à fixer), 3, 4 ou 5 ans après l'ordination (à fixer aussi).

Le programme pourrait comprendre:

1. L'approfondissement de la notion du sacerdoce d'après les documents pontificaux. Nombreux sont les prêtres qui ne les ont jamais lus.

2. La pastorale. L'expérience que les prêtres auraient du ministère rendrait cette science plus interessante et plus vivante.

3. L'étude du bréviaire. On étudierait le bréviaire en tant que louange de Dieu... Sa récitation est une des principales fonctions du prêtre. Or il faut l'avouer: la récitation du bréviaire devient une corvée pour bien des prêtres. On récite le bréviaire dans les moments libres; parfois cette récitation est reportée après tout travail exterieur dans des conditions de fatigue physique et intellectuelle qui la rendent pénible et de peu de fruits.

N'est-ce pas par ce que le prêtre ne comprend pas la beauté et la richesse des psaumes, des homelies...?

Etudié et médité pendant une période de calme, le bréviaire prendrait l'importance qu'il doit avoir dans la vie de tout prêtre et les conséquences seraient incalculables pour sa sanctification personnelle et son apostolat.

D'autres matières pourraient entrer dans ce programme.

Le but principal de ce temps d'arrêt du ministère serait d'aider le prêtre à réaliser la grandeur et les exigences vraies du sacerdoce. Ceux qui les auraient conservées depuis leur séminaire les approfondiraient davantage. Ceux, chez lesquels ces notions seraient estompées, reviendraient à une conscience plus nette, plus éclairée de leur vocation.

En général, le prêtre est, toute sa vie, ce qu'il est, non au sortir du séminaire, mais ce qu'il est après 4, 5 ou 6 ans de sacerdoce. C'est la période où, chez beaucoup, naissent des façons personnelles de concevoir le sacerdoce, des habitudes qui influent sur toute la vie.

Or aucune prescription n'aide le prêtre à surmonter favorablement cette « période critique ».

Dans les fonctions temporelles: officiers de l'armée, directeurs d'industrie, fonctionnaires etc., il y a à faire des stages de perfectionnement. Les religieux font de longues retraites imposées par leur reglement.

Le prêtre diocésain a besoin aussi d'une période assez prolongée de calme, de prières et d'études pour fortifier son union au Christ et apprendre à faire le Christ en Lui. Son apostolat deviendra ainsi de la Sainteté en acte.

Voilà le vœu que je soumets humblement à la commission ante-pré-

paratoire. Il me parait d'une très grande utilité pratique pour la sanctification du clergé.

Daignez agréer, Eminence, l'hommage de mon dévouement respectueux en entier en N.-Seigneur.

✠ IOANNES B. URRUTIA
Episcopus tit. Isauropolitanus
Vicarius Apostolicus Huéensis

3

EXC.MI P. D. MARCELLI PIQUET
Episcopi tit. Erizeni, Vicarii Ap. Nhatrangensis (Nhatrang)

Nhatrang, 22 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Ego infrascriptus Episcopus titularis Erizenus et Vicarius Apostolicus Nhatrangensis, consilio virorum peritorum et prudentium ecclesiasticorum usus, vota quae sequentur humillime expono ut tractentur in futuro Concilio Oecumenico. Non inspicitur bonum particulare alicuius regionis sed bonum commune totius Ecclesiae quamvis forte in variis locis rationes allatae non existant.

Hac occasione libenter usus, humiliter Sacram Purpuram deosculor et gaudeo me profiteri Eminentiae Vestrae Reverendissimae

addictissimum servum
✠ MARCELLUS PIQUET
Episcopus tit. Erizenus
Vicarius Apostolicus Nhatrangensis

I. *De sacri caelibatus Lege*

Cum in multis orbis regionibus haec quaestio disceptetur, videtur dicendum aliquid de hac lege. Nemo dubitat hanc legem esse sacram et caelibatum clericorum considerandum esse tamquam florem in Ecclesia Catholica. Pulchritudinem caelibatus clericorum in sacris etiam admittunt multi acatholici et inter pastores protestantes non inveniuntur pauci qui laudant hoc praeceptum, non obstante labili defectione aliquorum clericorum qui aliquando ambulantes in vanitate sensus dilectam sponsam Christi, id est Ecclesiam, suis scandalis contristarunt.

Facile tamen admittitur violatio huius praecepti. Effraenatum desiderium fruendi gaudiis vitae naturalis est causa principalis huius viola-

tionis. Inspicientes historiam ecclesiasticam negare non possumus scandala semper adfuisse. Nostris tamen temporibus duo bella immania novam mentalitatem introduxerunt. Multi ratiocinantur hoc modo: Quod datum est a natura, per legem aut praeceptum potestatis humanae auferri non potest. Hic modus ratiocinandi saepe saepius invenitur apud clericos in sacris, obliviscentes obligationis in sacri ordinis subdiaconatus receptione acceptatae. Sane *Codex I. C.* (can. 132 § 1) docet clericos in sacris, peccantes contra castitatem, reos esse sacrilegii. Astute autem distinguunt inter votum et praeceptum. Admittunt quidem peccatum sed non sacrilegium. Ut se excusent adducunt argumenta quae sumuntur ex auctoribus primi subsellii qui hanc quaestionem tractant ex professo. Errant quidem; nempe nullus auctor a peccato sacrilegii excusat; sed auctores tantum differunt in modo explicandi.

Alii dicunt praeceptum imponi contra legem naturalem quae ius dat omni homini ad matrimonium. Post ordinis sacri receptionem audent dispensationem petere a Sancta Sede vel vivunt modo concubinario aut audacter matrimonium civile ineunt.

Certum est nostro saeculo hanc legem saepe saepius violari. Sitne abroganda? Non potest esse quaestio de aliqua abrogatione et lex debet permanere in sua integritate quamquam in aliquibus casibus modificatio aliqua intervenire potest.

In quibusdam regionibus sacerdotes zelo animati quaestionem solvere studuerunt concedendo licentiam aliquibus diaconis matrimonium ineundi. Hi diaconi matrimonio coniuncti adiuvare debent parochum in officio paroeciali (tamquam catechistae, praedicatores, sacristiae custodes etc.). Si theoria in se est bona, vix in praxim deduci potest, saltem in his regionibus. Qui enim ascendit ad ordines, vult certe etiam recipere ordinem sacrum presbyteratus. Nemo pateretur permanere in statu inferiori tamquam clericus inserviens parocho vel alio sacerdoti.

Lex sacri caelibatus considerari debet non solum in individuo, sed facilitas illam observandi differt in variis regionibus. Gratia Dei sane semper adest. Periculum tentationis est diversum. Fatendum est observationem legis caelibatus in missionibus orientalibus difficiliorem evadere quam in aliis orbis partibus. Si non omnes cadunt, sunt tamen qui labili defectione Ecclesiam contristant. Causae huius defectionis sunt intrinsecae et extrinsecae. Ad causas extrinsecas revocare possumus aestus temperiem necnon mores populorum; quodam atavismo permoti, pagani et etiam christiani hoc peccatum non considerant secundum obiectivitatem theologicam. Mirantur quidem sed obliviscuntur facti, illud tamquam aliquod naturale aestimantes. Causae intrinsecae sunt temperamentum et inconstantia, necnon debilitas carnis.

Non obstantibus his causis, videtur lex sacri caelibatus servanda esse in his regionibus. Attamen aliqua modificatio secundum varias circumstantias et regiones non est respuenda. Falsum est dicere a priori hanc legem esse abrogandam totaliter. Falsum est etiam affirmare legem nullo modo modificari debere. Si nempe haec lex sacri caelibatus per se servanda est vi can. 132 § 1, secundum varias regiones haec sunt attendenda. Si quis alumnus pius, doctus et ingenio praeditus, desiderat matrimonium inire et postea suscipere sacerdotium non videtur esse repellendus a sacerdotio. Ante sacri subdiaconatus receptionem debet inire matrimonium et postea suscipere tres ordines sacros. Ordinarius autem illi non debet ordines conferre nisi ille admiserit sequentes conditiones. Coniugatus sacerdotio auctus numquam promoveri potest ad aliquam dignitatem ecclesiasticam, nec ad officium vicarii delegati et provinciarii et decani. Excludi semper debet ab officiis a quibus removentur religiosi saecularizati vi can. 642 §§ 1, 2, 3. Admissio harum conditionum in scriptis danda est ante receptionem sacri subdiaconatus.

Sacri Concilii oecumenici est deliberare de hac re gravissima. Eius decisioni humillime nos subicimus.

II. *De habitu ecclesiastico*

Constat quod quidam clerici sive in ordinibus minoribus sive in maioribus constituti habitu laicali incedunt, praesertim durante itinere. Usus habitus ecclesiastici valde aedificat fideles dum habitus laicalis aliquando scandalum infert apud ruricolas. Suadendum est ut habitus ecclesiasticus secundum loci consuetudinem retineatur. Sic salvatur dignitas sacerdotalis et clericalis apud populum et habitus custodit ipsos clericos in variis circumstantiis. Videtur esse necessarium extendere praeceptum canonis 136 etiam ad alumnos seminarii maioris, divinis mysteriis per primam tonsuram nondum mancipatos, saltem in regionibus in quibus omnes alumni seminarii maioris veste clericali incedere solent.

III. *De officio divino*

Propter penuriam sacerdotum multi sacerdotes religiosi proprio officio utentes addicti sunt paroeciis tamquam parochus vel vicarius. In missionibus funguntur ministerio divino tamquam rector districtus nondum in quasi-paroeciam erecti. Propter multiplicationem cleri saecularis qui sequitur calendarium dioeceseos oritur maxima diversitas quoad officium divinum. Adest etiam discordantia inter missam et officium divinum. Accidere potest quod vicarius autochtonus recitat officium diversum a

parochi calendario dum parochus celebrat missam diversam a suo officio. Ad conformitatem inter officium et missam in ecclesia paroeciali nova lex est introducenda obligans parochum vel vicarium religiosum uti calendario dioecesano. Quod iam praescriptum est religiosis quibus commissum est seminarium.

IV. *De causis matrimonialibus*

Attentis magnis difficultatibus instituendi tribunal pro causis matrimonialibus tractandis, melius videtur transferre competentiam tribunalis dioecesani ad aliquod tribunal regionale. Difficultates provenire possunt ex numero parvo iudicum competentium vel ex difficultate eos convocandi propter magnam distantiam, praesertim in missionibus. Convenit ut iudices eligantur inter magistros seminarii maioris qui recte censentur periti in materia iuridica. In missionibus attamen videtur applicanda modo generali instructio pro causis matrimonialibus in Sinis servanda ex indulto, dato die 18 mensis februarii anno 1929 vel etiam indultorum S. C. de Disciplina Sacramentorum concessum missionibus Africae die 5 mensis maii 1933.

✠ Marcellus Piquet
Episcopus tit. Erizenus
Vicarius Apostolicus Nhatrangensis

4

Exc.mi P. D. SIMONIS H. NGUYEN VAN HIEN

Episcopi tit. Sagalassensis, Vicarii Ap. Saigonensis (Saïgon)

Saigon, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ubi notitia de Oecumenico Concilio convocando ad nos pervenit, gaudium magnum omnium pervasit corda tam pastorum quam fidelium generalisque incepit oratio ad Deum ut Opus tam magni momenti felices successus acquireret. Mihi autem pergratum est quod Summus Pontifex Tuam Eminentiam Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae praeficere dignatus est.

Mihi liceat aperire mentem circa desiderata quae mihi videntur utilia pro bono Ecclesiae saltem in terris Missionum.

Circa Fidem

Cum in Evangeliis, Dominus noster usque ad satietatem insisteret de Patre, Filio et Spiritu Sancto tamquam Principio et fine omnium rerum et de hominibus ut fratribus inter se, optandum videtur Ecclesiam definiri ut *Magnam Familiam Divinam* cuius Pater est Deus, frater maximus, Iesus Christus et Spiritus est Spiritus Sanctus et Summus Pontifex locum tenens Iesu Fratris ac Redemtporis, in hac Ecclesia. Virtus principalis huius Familiae est *pietas filialis*.

Ad affirmandam talem fidem cuius singula mysteria sunt partes, componendum est aliquod Symbolum sub precum forma, in quo resumuntur omnia Mysteria credenda ab omnibus, diebus Dominicis, recitanda et iuxta ordinem in actu liturgico explicanda cum suis applicationibus practicis.

Optandum est ut definiatur doctrina de Maria Mediatrice omnium gratiarum et Socia in Redemptione nostra.

Circa Sacram Liturgiam

Ut Liturgia sacra sit et Gratiarum actio (adoratio) et catechesis, optandum est ut lectiones desumantur e Sacra Scriptura quibus illustrentur Mysteria, eligantur Psalmi magis respondentes sensui Mysterii; ut actus liturgici apti sint ad excitandos sensus familialis admirationis, gratitudinis, amoris, etc.

Quoad Baptismum, pars praeparatoria sit succincta synopsis principaliorum Mysteriorum cum maiore instantia in conversione vitae cum suis obligationibus.

In omnibus caeremoniis, expurgentur quae huius aetatis hominibus manent incomprehensibilia, adaptentur quae sunt adaptanda, renoventur quae anachronismum sapiunt.

Circa disciplinam ecclesiasticam

Readaptentur ad mentem nostrae aetatis canones Iuris maxime respicientes Clerum, Religiosos et Processus.

Cum lex ieiunii et abstinentiae a carne et ab operibus servilibus in multis regionibus propter conditiones modernas vitae iam amplius non observetur, in aliam formam magis practicabilem mutetur ut saltem spiritus legis aptius retineatur.

Circa quaestiones sociales et Actionis Catholicae

In renovatione Iuris Canonici Codicis, inserantur canones de his quaestionibus.

Sacram Purpuram osculando, impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae cui felices exitus pro gloria Dei Optimi et Patris et pro unitate Sanctae Ecclesiae a Domino nostro Iesu per Mariam ominor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimus servus
✠ Simon Hoa Hien
Episcopus tit. Sagalassensis
Vicarius Apostolicus Saigonensis

5

Exc.mi P. D. LUDOVICI C. M. DE COOMAN

Episcopi tit. Taciamontanensis, Vicarii Ap. de Thanh-Hoa
(Thanh-Hoa)

Voreppe, 21 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Epistolam Eminentiae Vestrae (Prot. N. 1 C/59-2743) nuper recepi. Paululo miror has litteras mihi missas fuisse. Etenim Eminentia Vestra mihi nuntiat quod « Desiderat in primis Augustus Pontifex cognoscere opiniones seu sententias atque colligere consilia et vota Excellentissimorum Episcoporum atque praelatorum, qui in Concilium Oecumenicum *ex iure* vocantur » (can. 223). Atqui absque dubio in Concilium Oecumenicum non possum *ex iure* vocari, quippe qui non sum episcopus residentialis, sed solummodo vicarius apostolicus. Unde fit ut sola benevolentia Summi Pontificis in Concilium Oecumenicum vocari possim. Sed ex epistola Eminentiae Vestrae non constat Summum Pontificem id velle.

Sed forsitan Summus Pontifex desiderat cognoscere opiniones, consilia vel vota vicariorum apostolicorum. Ideo demisse audeo unum tantum votum exprimere: liceat mihi optare ut in Ecclesia Catholica gradus vicarii apostolici omnino deleatur.

Omnes ordines ecclesiastici ab initio Ecclesiae conditi sunt. Solus gradus vicarii apostolici adventicius est. Sic per decursum 16 saeculo-

rum Ecclesia Catholica congruenter vixit sine vicariis apostolicis. Medio tantum saeculo XVII gradus vicarii apostolici institutus est ad unum finem tantum, nempe ut diversa incommoda vitentur dimanantia ex iure patronatus Regno Lusitaniae a Sancta Sede concesso. At haec incommoda iam vetustate perempta sunt omnia. Sublata causa institutionis vicariorum apostolicorum ipso facto perimi potest ipsa institutio. Sanato morbo inutilia evadunt remedia.

Unde notari potest omnia Concilia Oecumenica congregata fuisse ante institutionem vicariorum apostolicorum, excepto solo ultimo, id est Vaticano, in quo intervenerunt vicarii apostolici, sed modo quodam humiliore. Etenim historici narrant quam severe, durante Concilio Vaticano, vicarios apostolicos percensuit episcopus Aurelianensis Dupanloup et contra quem fervide illos defendit Ludovicus Veuillot Quae dissesiones vicariis apostolicis quoddam dedecus necessario attulerunt. Faxit Deus ut istiusmodi discordiae in proximo Concilio absint.

Praeterea liceat advertere Praelatos Nullius, charactere episcopali carentes et plerumque territorium sat exigum gubernantes, de iure tamen vocari ad Concilium Oecumenicum; dum e contra vicarii apostolici, etsi charactere episcopali sint insigniti et potestate iurisdictionis ordinaria potiantur in territoriis saepe sat amplis, nihilominus de iure excluduntur a Concilio Oecumenico. Hoc discrimen aliquo modo absonum videri potest.

Praeterea nemo non videt institutionem vicariorum apostolicorum iam valde consenuisse. Exempli gratia sit Asia Orientalis. Illic habentur tres amplae nationes, nempe Iaponia, Cina et India, quarum incolae complectuntur fere mediam partem generis humani. Atqui in his regionibus genus vicariorum apostolicorum penitus extinctum est. Sed e contra in Tonkino (id est in Vietnam Septentrionali) vicarii apostolici adhuc extant ut olim. Quod quidem aliquam mirationem concitare potest, si comparetur status catholicismi ex una parte in tribus nationibus supra citatis, et ex altera parte in Tonkino. Utique, laxe computando, in Iaponia unus catholicus numeratur pro 300 incolis, in Cina unus pro 200 et in India unus pro 100. In Tonkino autem unus existit catholicus pro 11 incolis. Non habemus recens rationarium. Sed liber « Les Missions Catholiques en Indochine », anno 1939 editus, nobis suppeditat copiam numerorum exactorum et relative recentium. Sic igitur anno 1939 in toto Tonkino numerabantur 12.711.000 incolae inter quos erant 1.151.653 catholici. Ergo unus catholicus pro 11 incolis, quae proportio eximie superat proportiones in Iaponia in Cina et in India notatas.

Hi 1.151.653 catholici concrediti sunt curae decem vicariorum apo-

stolicorum. Unde apparet quod numerus medius catholicorum uniuscuiusque vicariatus apostolici longe superat 100.000. Aliunde, anno 1939, numerus catholicorum solius vicariatus apostolici Bùi-chu, nempe 237,693, superabat numerum omnium catholicorum totius Iaponii.

Summatim proportio catholicorum relate ad populationem totalem in Tonkino longe superat eam quae invenitur in caeteris nationibus Asiae Orientalis, exceptis insulis Philippinis.

Quibus omnibus non obstantibus, omnes episcopi Tonkini, utpote vicarii apostolici, regulariter excluduntur a Concilio Oecumenico, dum e contra omnes episcopi Iaponiae, Cinae et Indiae de iure debent invitari.

Tandem animadvertendum quod in Italia sunt 355 archiepiscopi et episcopi qui omnes usque ad ultimum de iure ad Concilium Oecumenicum vocari debent. Rursum in Vietnam sunt 18 episcopi, qui pascunt 1.600.000 oves Christi, sed quia inter vicarios apostolicos numerantur, nullo modo de iure ad Concilium Oecumenicum vocari possunt.

Haec sufficiant ad demonstrandum quam molesta sit haec distinctio inter episcopos residentiales et vicarios apostolicos. Ideo audeo emittere votum ut penitus deleatur gradus vicariorum apostolicorum.

Dignetur Eminentia Vestra gratos habere sensus summae reverentiae quos profiteor erga Eam.

✠ LUDOVICUS DE COOMAN
Episcopus tit. Taciamontanensis
Vicarius Ap. de Thanh-Hoa

INDEX

ARABIA

AUREA CHERSONESUS

BIRMANIA

CAMBOGIA

CEYLON

COREA

CYPRUS

IAPONIA

INDIA

INDONESIA

PAGG.

INSULAE PHILIPPINAE

INSULA PHORMOSA

IORDANIA

IRAN

IRAQ

LAOS

LIBANUS

PAKISTAN

PALAESTINA

R.A.U.
(Syria)

RHODUS

SINAE

THAILANDIA

TURCHIA ASIATICA

VIETNAM